






MEDICINA MORALIS TRIPARTITA, A CONTAGIO SOLICITATIONIS COMPREHENSÆ IN DIPLOMATIBVS PONTIFICIIS, ET A DENVNCIATIONE IN SANCTO OFFICIO CONFESSARIOS TVTIVS PRÆSERVANS.

IVXTA MENTEM, ET PRAXIM INQVISITIONIS HISPANICÆ.

AVCTORE R. ADM. P. FR. IOSEPHO NVÑO Borgensi, Lectore Iubilato, Aragoniæ Inquisitionis Qualificatore, & Iudice ordinario, Archiepiscopatus Cæsar-Augustani Synodali Examinatore, & Exprovinciali Ordinis Minimorum Sanctissimi Patris nostri Francisci à Paula.



Anno 1602.



Cæsar-Augustæ: Apud EMMANVELEM ROMAN, Typog. Univ.

Qvidqvid in hoc opere de Confessariis solicitantibvs dicam svbiicio S.R.E. et ivdicio DD. Inqvisitorvm. Et si qvid dixerim contra praxim, et stylvm Sancti Tribvnalis nvllo modo seqvendvm ivdico.



REGIO ; SERENISSIMO ; SVPREMO
CATHOLICÆ FIDEI AREOPAGO,
IN CVNCTO HISPANIARVM ORBE DIFFVSO,
S V B
EXCELLENTISSIMO DOMINO D.D. DIDACO
SARMIENTO DE VALLADARES, ÆCVMENICO PRÆSIDE, ET INQVISITORE, PLACENTINO PRÆSVLE, A CONSILIO REGII STATVS, &c.

SVBQ; ILLVSTRISSIMIS DOMINIS
D.D. Antonio Zambrana de Bolaños.
Reverendissimo Patre Magistro Fr. Petro de Matilla.
D. D. Bernardo Vigil de Quiñones.
D. D. Bartholomæo de Ocampo & Mata.
D. D. Ioanni Baptistæ de Arzamendi.
D. D. Ioanni Vieyra de Otero.
D. D. Nicolao Rodriguez Fermosino.
D. D. Augustino Garcia Ybañez.
Eiusdem Supremi Senatus Consultissimis Consiliarijs, Apostolicisq; & orthodoxis adversus Hetherodoxos Inquisitorib9.

Labio, Corde, Silentio.

S. P. D.

SERENISSIME FIDEI SENATVS:

SVB faustissima sacri tui ominis tutela, subque splendida gloriosi tui nominis vmbra, in publicum Orbis Theatrum rudis hæc nostra podit Minerva. Animum tibi con-

cõſecro, dũ ſacro præſens opuſculum, cum quilibet liber ſit proprij Auctoris ſimulachrũ Verbum eructavit bonum gratum cor meũ, dum dico Excellentiæ tuæ humillima opera mea, bino iure tibi prius debita, quam præli prælio commiſſa. Tibi debita, quia vndique reſonant reſponſa, oracula, dogmata tua. Tibi debita, quia vndequaq; clamitant munia, officia, & munera mea, ex Apoſtolico tuo Throno, vti lumina, derivata. Hoc igitur opus, tot titulis tuum, *minimus tuus* Cliens cernuus, congennulatus, & provolutus tuas ad aras profundit; vt hinc dignoſcatur, & tuæ Olympus magnitudinis, & meæ abyſus parvitatis; cum hæc potius neceſſaria reſtitutio, quam ſpontanea oblatio ſit cenſenda. Hinc pariter agnoſces, quòd non arbitrio, ſed imperio impulſus; non libertate, ſed neceſsitate coactus; non deliberatione, ſed ſympatica neceſsitudine inductus, te (Princeps Excellentiſsime) tuumque Supremum Senatum in Mæcenatem ſelegi digniſsimum; cum iuxta cultam, & celebratiſsimam Senecæ paræmiam, *qui beneficium recipit, libertatem vendit.*

Sen. lib. de Benef.

In æternum ergo ſpecimen feliciter contractæ ſervitutis offero, & conſecro hoc cordis, & mentis holocauſtum, hoc venerationis ſymbolum, hoc ſinceræ dilectionis hierogliphycum, & hoc gratiſsimæ memoriæ *ære perennius* monumentum. Tibi etiam, velut Sacro Minervæ Numini, digitos, & calamum ſacro; tibi, quaſi Mercurio, linguam Libo; velut Argo, oculos dico; vti Saturno, aurum Theologiæ reddo; vti Palladi palmam refero; & tibi (Phæbee Præſul) vti olim Phæbo, hæc orthodoxa ſpicula defero; vt tuæ inhærentes manui, in fulgidos, & placidos vertantur radios.

Nec

Nec incongrua, aut adulatoria vtimur nomenclatura, dum tuam magnitudinem salutamus loquutione phœbea. Inter inclyta namque Solis stemmata, vnum præ cunctis celebratur nobilius, omnia, nempe, illuminare, cunctaque respicere, vt divinum illud proclamat oraculum: *Sol illuminans per omnia respexit.* Hoc amplissimo attributo non cares, sed imò gaudes, Princeps Gloriosissime. Illuminasti siquidem, & respexisti Supremum Sanctæ Crucis Valli-Soletanum Collegium, litteraria Toga; Academiam illam, Doctoratus laurea; ius cæsareum, & canonicum, vespertina Cathedra: Illuminasti Vrbem, Orbis Dominam, in Sacra Rota; Valli-Soletanum fidei Tribunal, iudiciali sententia; Regias Navarræ catenas, Regentis sapientia: Respexisti Præsulatum Ovetensem, Sacra Infula; Placentinum, Cydari promerita. Illuminasti Regium Castellæ Areopagum, Præfectura; Augustissimum Regij status Senatum, consilio; amplissimam Hispaniarum Coronam, Regiminis clavo, & caduceo. Respexisti denique, & illuminasti œcumenicum Catholicorum Tribunal, meritis, consilijs, fide, luce, & Supremo Præsidis gubernaculo; cuius Sacrosanctum dominium, (cum omne cingat Hispanicum Imperium) in cunctum protenditur Orbem Catholicum; ita vt possimus proclamitare: à Solis ortu, vsque ad occasum; à Mari vsque ad Mare; à Gelida, torridam vsque ad Zonam tua pervolitat fama, & dominatur sapientia; tuum sacrum veneratur nomen, & timetur numen. Idcirco tripartitam Theologiam lito tibi, vti per triplicem Orbis cardinem dominanti. Omnia ergo respicis, omnia

Eccl.42: v.16.

nia exaltas, cuncta illuminans. Proh Deum immortalem, qualis quantusque vir!

Verum enim vero nec sistit hic admiratio, adhuc maiora detego, superiora contemplor. Huius supremi, & superni Dominij ipsum tuum sacrum nomen vaticinium est, & oraculum. *Excellentissimus D. D. Didacus Sarmiento de Valladares.* Primicerius Hispanicæ fidei vindex, legifer, administer, & Inquisitor fuit ille *Didacus*, tonitrui filius, Europæ fulmen, & flumen; Gentilitatis fulgur, fulgor, & terror; hinc tu cum *Didaci* nomine hæreditasti omen, factus, & veneratus Hispaniarum Inquisitor œcumenicus. Pergo. Quod Hispani *Sarmiento*, latini vocitant *Palmitem*. Palmes ergo in vinea Domini præfulges ad dominium, ad suppliciũ, ad triumphum, ad trophæum.

Palmes præes in dominio, dum tot Inquisitorum propagines, & palmites diffundis per cunctas Hispanici Orbis plagas, & oras, in ore omnium laudatos, & veneratos; ita vt in te
Psal. 79. v. 12. Davidicum illud videatur impletum: *Extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius.* Sat erat tuæ gloriæ, & magnificentiæ hoc Aragonicum fidei Tribunal, tantis impresentiarum circundatum viris, quos, vt Iudices, formidamus; vt Parentes, diligimus; vt Sapientes, reveremur; quorumq; zelum, fer-
Esth. 9. v. 28. vorem, memoriam, & famam *nulla vnquam delebit oblibio*; nec edax poterit abolere vetustas. Hos tuos *palmites* dum veneratione contemplor, occurrit de te celebrandum illud Ezechielis ora-
Ezec. 19. v. 11. culum: *Vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum.*

Pal-

Palmes præexiſtis ad ſupplicium, dominicum ſectando decretum. Siquis enim in Orthodoxa fide non manſerit; à te *mittitur foras, ſicut palmes*, vt areſcat; & coligens eum in ignem mitis, vt ardeat; ignem ſubminiſtrante ignito fidei tuæ *Palmite*. Hoc igneum ſpectaculum, & vidit, & horruit, & toto pectore concelebravit Hiſpania anno ab Orbe redempto 1680. dum edacibus tradidiſti flamis tot perfidos, & rabidos hetherodoxos. *Ioan.* 15. *v.* 6.

Palmes tandem, & Palma ades ad triumphum, & trophæum, quibus in ævuum Eccleſiæ tempora cingis, Hiſpaniam extollis, Vrbem, & Orbem imples, tot anathematizatis hæreticis, tot convictis Iudæis, tot repreſis, vinctis, devictis, & poſtratis fidei inimicis. Demum nec Auguſtiſsimum Agnomen *Valladares* miſterio vacat, aut caret. Quid enim aliud *Valladares* inſonat nobis, niſi quòd zelus tuus infractus, impavidus, & inconcuſus *Vallum* eſt Hiſpaniæ, & Eccleſiæ, quo cingitur, & *vallatur*, ne hæretica fraus inſurgat, aut fraudulentus Hereticorum furor invadat.

Tibi ergo (Præſul, & Senatus Sereniſsime) tot circundato glorijs, tot circumamicto honoribus, tot exaltato dominijs, tot condecorato lauris, ſupplex conſecro munus, & opus, ab Auctore *Minimum*, à veneratione magnum, ab argumento maximum, à Mæcenate Supremum. Benigno igitur, quo polles, vultu, illud ſupice, & ſuſcipe. Claudo tandem aliquando epiſtolam ijſdem verbis, quibus ſuam finivit Scholarum Monarcha Doctor Angelicus, dùm auream ſuam Evangelij catenam ad Vrbani IIII. aras

ad-

adgenulatus appenderet: *Suscipiat magnitudo vestra præsens opus, vestro discutiendum, corrigendumque iudicio, & vestræ solicitudinis fructum; vt ad locum, vnde exeunt flumina, revertantur.* Diu incolumis vive, regna, & impera.

Serenissime Domine

Magnitudinis tuę addictissimus, & minimus servus

Fr. Iosephus Nuño.

CENSVRA REVERENDISSIMI PATRIS *Orentij Ardanuy, in Cæsaraugustano Societatis IESV Collegio Primarij Theologiæ Professoris, Fidei Censoris, & Archiepiscopatus Cæsaraugustani Examinatoris Synodalis.*

MOREM gerens Perillustri Domino D. D. Bartholomæo Sanz de Vera, Oxomensis Ecclesiæ Præcentori, & totius Archidiœceseos Cæsaraugustanæ Vicario Generali, & Gubernatori, sic volenti, & iubenti, manibus excepi, oculisque volvi volumen ad vnguem castigatum, & ad libram accersij librum oppidò pervtilem, cui titulus: *Medicina Moralis tripartita à contagio solicitationis comprehensæ in Diplomatibus Pontificijs, & à denuntiatione in Sancto Officio Confessarios tutiùs præservans.* Eius Auctor RR. P. M. Fr. Iosephus Nuño, Aragoniæ Minimorum Provinciæ Ex Provincialis, vir, & de re litteraria optimè meritus, & in causis Fidem, eiusque Sacrosanctum Tribunal concernentibus apprimè gnarus, assiduèque versatus: qui eo quo pollet ingenij acumine, dicendi facundia, & rerum complanandarum dexteritate, quæstiones difficiles, veluti arduas aggreditur Spartas, & tanta eas facilitate, & fœlicitate dissolvit, vt quoquò se vertat, aspera, & salebrosa in vias planas convertat. Prioris instar Iosephi, Iosephus iste de crimine pessimo Fratres non tam accusat, quam liberat, dum salutaria, & præservativa alexipharmaca præparat; Confessarios enim solicitantes dum pœnis propositis territat, à sacrilego, infandoque piaculo vendicat, & modum indigitat, quo crimina vitent, vel sceleris iam admissi leviores pœnas luant. Pœnitentes item monet, & instruit vt possint, vt soleant, vt debeant sceleratos huiuscemodi Ministros ad Tribunal Sacrum deferre, ne sceleris redarguantur *Genes. 37.*

alieni, & quod reticent crimen, proprium faciant; nam vt ait Macedonius ad Augustin. *Epist.*53. *Certum est eos culpæ societate vinciri, qui eum impunitum esse volunt, qui culpæ tenetur obnoxius.* Tandem voluminis Auctor sacri iura Tribunalis sarta tecta tuetur, dum rationum, & auctoritatum pondere præmunit; & quæ contra reponi possent, solida, & arguta subtilitate elidit, & invicta dextra victrices præcidit lauros, quibus faustum, & salutiferum Inquisitionis stemma redimitur. Sed his supersedeo, & multa quidem, & magna de tanti Magistri dotibus silentio premo; vereor enim, vel amicum, in modestissimo Auctore supercilium. Quoad opus ipsum

Eccles. 4. attinet, liber iste tripertitus, funiculus mihi videtur triplex, nulla temporum iniuria, aut detractorum livore disrumpendus. Materiem continet gravem, vtilem, difficilem, quippè differit vt sint sancta sanctè tractanda; & quia *casta placent Superis*, teste vel Tibullo, in eos invehit, stylumque vertit, qui vt Augustinus aiebat: *Sacramentum Numinis faciunt criminis*, homines nequã,

Iuvenal. satyr. 2. & perditissimi: *Qui Curios simulant, & bacchanalia vivunt: Qui Cœlum terris immiscent, & mare Cœlo*; qui libidine incendunt quacumque incedunt; qui sacra proculcant, & suis commaculant concupiscentijs. Quo pharmaca salubritèr instituta abeunt in animorum vulnera, & secunda post naufragium tabula fit naufragij causa, & salutis mysterium vergit in interitum, adeò detestando facinore, vt referente Tacito, nec scelestissimus Tiberius rem haud absimilem in Anubidis mystis tulerit, aut inultam ire permiserit. His ergo malis mederi satagit volumen istud, quippè dum pericula obijcit, & pœnas solicitantibus infligendas censet, à tantis eos piaculis amovet; nam vt canebat Poëta ille Anglicus: *Nemo*

Aug. serm. 1. *Dom.* 2. *cavenda timet, qui metuenda cavet.* Caveant igitur Sacerdotes, ne pereant, & Augustinum sibi alloquentem

au-

audiant: *Omnibus enim castitas pernecessaria est, sed maximè Ministris Christi, quorum vita aliorum debet esse eruditio,& assidua salutis prædicatio.* Absit ergo vt tanti Præceptoris monentis negligamus verba, Dei, hominumque experturi verbera. Et vt munere, in præcipientis obsequium, fungar censorio, librum accuratè volvi, exlex nihil reperi, neque aliquid, quod aut in legem peccarit, aut in Fidem; singula enim, & bonis moribus,& orthodoxis respondent dogmatis. Imò quæque attexit adeò sunt perspicua, vt iuxta vulgatam parœmiam Delio natatore haud opus habeant, ita profunda, vt ab alta veritatis fovea credideris eruta; tam solida, & præclara, vt adamantis instar haud quaquam tenebricosis offucijs, aut mallei malè ferientis ictibus sint obnoxia. Quo perdoctum opus dijudico, & prælo dignum, & plausu. Cæsaraugustæ in Societatis IESV, Collegio, 14. Iunij anni 1692.

Orentius Ardanuy,
è Societate IESV.

IMPRIMATVR.

Sanz de Vera, Gub. & V.G.

APPROBATIO D. RAPHAELIS MIRASSOL, ET CERESSO, in Vniverſitate Cæſaraugustana Sacræ Theologiæ Doctoris, & in Metropolitana Sede Portionarij Pœnitentiarij.

MEDICVS mihi proponitur honorandus, magis quam approbandus, dum medicinam hanc tripartitam à RR. P. Fr. Ioſepho Nuño Confeſſarijs præparatam, tot maturis conſultationibus confectam, tot frequentibus experimentis probatam invenio. Cœleſti ſanè conſilio opus hoc in ſalutem animarum conſcriptum, vt iuxta æquiſſimam Sanctæ Inquiſitionis ſtateram, appendantur aquæ, doctrinæ ſcilicèt, in menſura, quod divinum reſonat eloquium: *Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura*, ne Confeſſarij circunferantur omni vento doctrinæ, ne varijs fluctibus hinc, indè, agitati, in profundum carcerem demergantur. Gratulari debemus longè doctiſſimo Auctori, qui dividens aquas ab aquis, eas quæ ſuper firmamentum Sacri Tribunalis permanent, manifeſtat, alias quæ luto impunitæ obſcœnitatis coinquinantur, procul expellit: *Hominum natura* (vt ait elegantiſſimè D. Laurentius Iuſtinianus) *cum ſit corruptibilis carnis indumento veſtita, originaliſque delicti colluvione fœdata, quandiù peregrinatur à Domino ſemper eſt proclivis ad malum, in virtutum cenſura inſtabilis, ad caſum facilis, ſæpiſſimè namque concupiſcit noxia, abhorret vtilia, pernicioſa amplectitur, labenti inhæret, vmbramque inſequitur, veritate contempta.* Quot Confeſſarij ſicut in virtutum cenſura, ita & in ſententiarum diſcuſione inſtabiles, concupiſcentes noxia, abhorrentes vtilia, pernicioſa amplectentes, labentibus inhærentes, confugientes ad vmbram huius, vel illius ſententiæ excuſangentis à denunciatione, crimen ſolicitationis fortasè perpetrarunt? Spes evadendi ſupplicium provocabat ad fa-

Iob 28.25.

D. Laur. Iuſtin. lib. de obedientia, c. 26.

cinus,

cinus, ignaros æquissimæ praxis Sanctæ Inquisitionis, *& dicentes in corde suo: non requiret*; ideò hic oculatissimus Auctor, qui virgam vigilantem quotidie videt, in integerrimo Fidei Senatu, docet, & monet Confessarios Ezechielis gerens officium, qui loquens de viro illo magno, ait: *Et funiculus in manu eius, & calamus mensuræ*. Iustissimum Sancti Officij Tribunal funiculum mensorium habet in manu, & calamum mensuræ. Temerè errant, qui iudicant huius, vel illius Auctoris liberi calamo, denunciationem, & punitionem in Sancto Officio mensurandam. Plurimum huic medicinæ tripartitæ debemus, quæ docet nos omnium Auctorum calamos, iuxta mensuram huius calami, vel sequi, vel abijcere. Exactissimè personam Medici agit, qui pondus in pilulis observat, & in potionibus, ne Confessarij ex Medicis fiant infirmi, ex Iudicibus Rei, ex Pastoribus lupi, ex Custodibus prædones. Saluberrimum est opus, sapientia, & vtilitate conspicuum, animarum saluti, sicut & Auctoris instituto congruentissimum, *quoniam solùm Deus illud approbat opus, quod de radice intelligit assurgere charitatis*, ait D. Laurentius Iustinianus, vt Religionis Minimorum stemmata, quæ *charitas* sunt, in hoc volumine maximè resplendeant, quia ex eodem Iustiniano. *Effundere vtique doctrinam, effundere charitatem*. Nec Regijs decretis quidquam dissonum inveni; sic sentio obtemperans iussui Perillustris D. D. D. Bartholomæi Perez de Nueros, à Consilijs Catholicæ Maiestatis, & Generalis Gubernationis Assessoris. Cæsaraugustæ die 26. Maij anno 1692.

Psalm. 9.

Ezechiel. cap. 40.

S. Lauren. Iustin. de institut. & regim. Prælator. cap. 18.

D. Raphael Mirassol, & Ceresso.

IMPRIMATVR.

Perez de Nueros, Assessor.

CEN-

CENSVRÆ RR. PP. Fr. FRANCISCI A PAVLA, Lectoris Iubilati, Inquisitionis Aragoniæ Qualificatoris, Archiepiscopatus Cæsaraugustani Examinatoris Synodalis, Aragoniæ Provinciæ Ordinis Minimorum Provincialis; & Fr. Petri Ybañez, eiusdem Ordinis Lectoris Iubilati, Regis Catholici Concionatoris, & eiusdem Provinciæ Ex Provincialis.

CVM Maximus Imperator Constantinus Pius circa editionem sacrorum librorum studium adhiberet, suas commissionis litteras missit ad Provincialem Iudicem Provinciæ Palestinæ, vt ille faceret quidquid ipse fecisset, quod totum notum fecit Eusebio Cæsariensi sua Imperiali Epistola: (1) *Quod visum est nostræ voluntati, decuit nos tuæ notum facere sapientiæ. Directæ sunt enim litteræ nostræ ad Provinciæ Iudicem, quatenùs omnia confectioni librorum necessaria præbere curet. Vt enim citiùs codices conscripti conficiantur erit opus diligentiæ tuæ.* Quæ sanè verba commendationem magis quam approbationem includunt, sic tanti Imperatoris sequens augusta vestigia zelo, religione, & pietate nulli secundus RR. P. N. Fr. Bernardinus à Fuscaldo, totius Sacri Ordinis Minimorum P. N. Francisci de Paula Supremus Corrector Generalis Apostolicus dixerit suæ commissionis litteras ad me in hac Religiosissima Aragonum Provincia Provincialem Iudicem, vt opus quidem cunctis vtilissimum, & valdè necessarium, cui titulus est: *Medicina moralis tripartita à contagio solicitationis comprehensæ in Diplomatibus Pontificijs & à denunciatione in Sancto Officio Inquisitionis Confessarios tutiùs præservans*; Auctore R. Adm. P. Fr. Iosepho Nuño, nostri Ordinis Lectore Iubilato, Sanctæ Inquisitionis Qualificatore, & Iudice Ordinario, Archiepiscopatus Cæsaraugustani Synodali Examinatore,

(1) *Cassiodor lib. 2. cap. 16.*

tore,

tore, huiusque Provinciæ Ex Provinciali, & pro nunc Definitore, inter radiantes calculos miro, & eleganti modo contextum, meo præcedente iudicio, se omnium oculis legendum obijcere possit. In quo (vt meo muneri satisfaciam) licèt tacere velim Auctoris diligentiam in scrutandis Sacræ Paginæ sententijs, Summorum Pontificum Oraculis, Conciliorum Decretis, Sanctorumq; Patrum doctrinis, quibus Medicina hæc superabundat: *Dedit namque ei Dominus spiritum sapientiæ, & in omnibus intellectum*. Quomodo mirari desinam claram eius solertiam, qua res admodum difficiles, parùmque tritas, ita perspicuas, exploratasque reddit, *divisa à tenebris luce*, vt iam cunctis possint esse meridiana luce clariora, nullis involuta tegumētis? Rectè namque appellatur *Medicina*, si enim in illa Hierosolymitana Piscina, (2) *vbi iacebat multitudo languentium post motionem aquæ factam à medicina Dei Angelo; nempè, Raphaele, iuxta communem sententiam, sani fiebant qui in Piscinam descendissent*. Sic postquam motæ sunt aquæ sapientiæ, & doctrinæ in hac *Medicina morali*, Auctore vices Angeli gerente, Confessor qui in illam se totum immiserit à contagio solicitationis proculdubiò præservatus existet. Præsertim cum omnia quæ circa hoc sparsa erant per multos, in vnum collecta teneat, tam firmissimis conclusionibus stabilitis, solidis fundamentis innixis, magnoque Doctorum calculo comprobatis, vt ad vnguem observari videatur sententia Hieronymi, quod *ita studendum est brevitati, vt nullum damnum fiat intelligentiæ*. (3) Cui consonat Seneca *de vita Beata*: (4) *Onerat discentem turba non instruit: multoque satius est paucis te Auctoribus tradere, quam errare per multos*. Quapropter vt medicamina hæc prosint ad medelam, suaderi debeo Confessarijs omnibus Erasmi verbis: (5) *Si vis esse liber ab omnibus vitijs, & nullius mali tibi cons-*

(2) Ioan. cap. 5.

(3) S. Hieronym lib. comment. in Isaiam.

(4) Seneca de vita beata, lib. vnic. c. 9.

(5) Erasmus Rot. in proœm. lib 4. Catonis.

conscius vivere, hæc semper habeas præ manibus: in quibus invenies, in quo de ipso Magistro possis uti; nam vt ipse Erasmus alibi commendans Christiani hominis institutum, ait: (6) *Quæ nunc leges Sanctæ Ecclesiæ sunt oracula, quæ tutò sequi possis; perindè sic lege vt rem seriam*; & vt in tanti operis excellentiam, nostramque exindè vtilitatem finem imponam, non proprio, sed eruditissimi viri Rodolphi Agricolæ vtar testimonio: (7) *Oportet nos certa quædam, & ad manum deposita vitæ habere præcepta quæ omnes nostras, velut ad filum, dirigant actiones, quorumque tenax infixa mentibus nostris memoria, recti nos limitem egredi, vbique vetet*: *hic liber aptus, vel maximè ad hanc rem, atque accommodatus mihi videtur*. Sicque mea est sententia, quam citiùs possit, luce potiatur publica, vt radijs suæ doctrinæ ignorantiæ tenebras depellat, & luceat omnibus hominibus: cui etiam, iusta proportione servata, applicari potest illud Apocalypsi: (8) *Hæc verba fidelissima sunt, & vera, & Beatus qui legerit, & custodierit verba libri huius*. Salvo semper, &c. In hoc S. Mariæ Victricis Cæsaraugustano Conventu, die 24. mensis Maij anni 1692.

(6) Erasm. in præfat. ad Christ. hom. instit.

(7) Rodol. Agric. in epist. ad Ioann. Agric.

(8) Apoc. 22. v. 6.

Fr. Franciscus de Paula.

EX commissione Reverendissimi P. N. Fr. Bernardini à Fuscaldo, Ordinis Minimorum Generalis Apostolicus, vidi, & voluptate perlegi opus inscriptum: *Medicina moralis tripartita à contagio solicitationis comprehensæ in Diplomatibus Pontificijs, & à denunciatione in Sancto Officio Confessarios tutiùs præservans*; cuius Auctor est R. Adm. P. Fr. Iosephus Nuño, Lector Iubilatus, & Tribunalis Inquisitionis Aragoniæ Qualificator, & Ordinarius, Archiepiscopatus Cæsaraugustani Exami-

na-

nator Synodalis, & huius Provinciæ Aragoniæ Ex Provincialis: opus sanè egregium, eruditum, vtilissimumq; de quo possum sine tædio prædicare, quod de Claudiano Mamerto Sydonius Appollinaris scripsit: *Sentit vt Pytagoras, dividit vt Socrates, explicat vt Plato, implicat vt Aristoteles, vt Demosthenes irascitur, vernat vt Hortensius, incitat vt Curio, suadet vt Cato, persuadet vt Tullius.* Estque in eo claritas, & vtilitas, & potest applicari Auctori sententia Senecæ *lib. 10. Ede quamplurimum, quam celerrimè vndè, vt tuo nomini celebritas, & nostris temporibus claritas, & studiosis omnibus pariatur vtilitas.* Nihil in eo invenitur dissonum fidei, & bonis moribus. Sic sentio, &c. In hoc Conventu Cæsaraugustano die 25. Maij anni 1692.

Fr. Petrus Ybañez.

LICENTIA ORDINIS.

FRATER Bernardinus à Fuscaldo, totius Sacri Minimorum Ordinis S. Francisci de Paula Corrector Generalis Apostolicus. Cum R. Admod. P. Fr. Iosephus Nuño, nostri Instituti Lector Iubilatus, S. Inquisitionis Aragoniæ Qualificator, & Ordinarius, Examinator Synodalis, ac Provinciæ nostræ Aragoniæ proximè Provincialis præteritus, & ad præsens Definitor, profunda litterarum eruditione, & peculiari religiosa virtute apud nos summoperè commendetur, vt librum huiusmodi præsignatum titulo; nempè: *Medicina moralis tripartita à contagio solicitationis comprehensæ in Diplomatibus Pontificijs, & à denunciatione in Sancto Officio Inquisitionis Confessarios tutiùs præservans*; quem diligenti studio, ac indefesso labore præclarè elucubravit, prælo committere, ac in lucem mandare possit, licentiam eidemmet præsentium vigore litterarum concedimus, dummodò à RR. Adm. PP. Lectoribus Iubilatis Fr. Francisco de Paula, eiusdem Provinciæ Aragoniæ Provinciali, & S. Inquisitionis Qualificatore; & Fr. Petro Ybañez, olim prænunciatæ Provinciæ Provinciali, Regioq; Concionatore prælegatur, examinetur, & approbetur. In quorum fidem, &c. Dat. in hoc nostro S. Andreæ de Frattis Romano Conventu die 3. Ianuarij anni 1692.

Fr. Bernardinus à Fuscaldo,
Minimus Generalis Apostolicus.

Loco † Sigilli.

De mandato Reverendissimi P. N. Generalis:
Fr. Iosephus Gasch, Collega Hispanus, & Secr.

AD

AD LECTOREM.

STIMVLOS mihi ad ſcribendum admovit (benigne Lector) ardens erudiendi te deſiderium integerrima S.Officij praxi præconceptum, & per ſexdecim annorum ſpatium non ignavitèr enutritum. Salubris eſt materia huius libri, gratis (vt ſpero) oculis excipienda, cuius fundamentum altitudo conſilij,& ſupra eminentiam decisionum S.Inquiſitionis erectum, ſibi vendicat illud Davidis, *Pſalm.*86. *Fundamenta eius in montibus Sanctis.* Nec mea mens erat ab hoc opere incipere, ſed commiſeratione ductus curſum inflecto, dum hiſce temporibus videmus, quod in ſuis diebus plangebat doctiſſimus Inquiſitor D. D. Ioannes Eſcobar del Corro, creſcente ſolicitantium Confeſſariorum copia. Ego ſanè animo revolvens, oculis cernens lavacrum hoc Sacramenti Pœnitentiæ tot ſpurcitijs pollutum, iterum, atque iterum cum Ieremia flevi, dum in Eccleſia hiſce annis, eadem mihi, atque illi cauſa ante oculos obſervatur, *cap.* 1. *&* 4. *Thren. Omnes portæ eius deſtructæ, Sacerdotes eius gementes, virgines eius ſqualidæ... Quomodò obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarij, &c.* Vtinam Deus effrænem concupiſcentiæ flammam, quæ ad vſque rivos aquarum Sacramentalium pertingit, extinguat. Nec parùm luxuriantem Confeſſariorum iuvit audaciam, ignorantia praxis S. Inquiſitionis, & aliquorum Doctorum in opinando licentia. Quærelam hanc elegantèr adductus iam Dominus Inquiſitor expreſſit dum in ſuo Prologo hæc ſcribit: *Hoc tamen argumentum, vel nimis ieiunè tractarunt, vel ſuis placitis ita rem totam laxarunt, potiùs vt videantur audaciam, quam terrorem huius fæcis Auctoribus obtuliſſe, nimirùm dùm limitant valdè denunciandi obligationem, dum ſceleris ipſius minuunt gravitatem.* Ad levandum igitur aliquorum mærorem, & nutantes aliorum ſententias confirmandas, pluribus opus hoc viſum eſt neceſſariũ, cum in hac via quaſi cæcus gradiatur, qui lucis expers, nec de

praxi

praxi Tribunalis Fidei certior factus, periculosiùs incedit. Licèt enim Sacrum hoc Tribunal in abſconditis ſuis reſolutionibus, & modo procedendi ſimilimum ſit libro quẽ vidit Ioannes *cap.* 5. *Apocalyp.* multis ſignató ſigillis, cuius apertionem lachrymarum amaritudo precedit, neceſsè eſt, vt aliquando ſolvat Agnus ſignacula eius, ad abſtergendas lachrymas ſeniorum qui Confeſſarij ſunt, & eorum oculos illuminandos. Ideòque ad hoc noſtri Regni Aragonum Tribunal congruentiùs ſpectat, librum iſtum tot ſigillis zelatum aperire, quia in ſanguine Agni fundatum eſt, dum eius Primus Inquiſitor S. Petrus de Arbues in defenſionem Fidei, niveas Canonicatus infulas purpuratas ſuo ſanguine reliquit hac in Eccleſia Metropolitana, cuius inſigne, ſicut & Lucerna eſt Agnus. Plurima reperies bona in hoc tractatu, quia ex Auctoribus probati iudicij collecta, & quod proprio labore partùm expono, accuratè didici in graviſſima huius Senatus Scholà. Methodum obſervo perſpicuam, ne aliquorum captum Confeſſariorum prætervolet, quia omnia quæ in hoc tractatu ſunt, omnibus eſſe volo. Sub tua cenſura prodeunt in lucem, & ſi qui ſunt defectus, indulge, quia calamum arripui zelo, publicæ vtilitatis accenſus; ſi tamen fœlicibus tuæ probationis auſpicijs hoc opus excipitur, aliud aggrediar valdè proficuum his, qui pro Beneficijs Curatis adipiſcendis quotidie in litterarijs certaminibus verſantur. Vale.

ERRATA CORRIGENDA.

PAg. 9. n. 6. vbi tenetur, corrige *tenentur*. Pag 12. vbi habetur Confeſſarijs, lege *Confeſſarij*. Pag 38. n. 71 vbi iuriſdictionem Epiſcopalem, lege *iuriſdictio Epiſcopalis*. Pag. 64. n. 128. vbi vtrumque, lege *vtramque*. Pag. 81. n. 163. vbi ab, lege *ad* Pag. 105. n. 215. vbi mortali, lege *morali*. Pag. 111. n. 225. vbi eadem, lege *eandem*. Pag. 116. n. 237. vbi qui, lege *quia*. Pag. 174. n. 29. vbi donorandi, lege *dehonorandi*. Pag. 183 vbi confeſſionis, lege *confeſſionis*. Pag. 190. num. 68. vbi inviſcere, & iſte, lege *inviſcere, & iſta*. Pag. 230. n. 152. vbi ſunt, lege *ſint*. Pag. 270. vbi de peccatis, lege *à peccatis*. Pag. 272. vbi ſolicitans, lege *ſolicitantes*. Pag 307. n. 33. vbi ex, lege *eſt*. Pag. 331. n. 385. vbi in loco electo, lege *locum electum* Pag. 367. n. 469. vbi exaratæ, lege *vxcrata* Pag. 386. n. 2. vbi pœnitenti ſolicitato, lege *pœnitentem ſolicitatum* Pag. 428. n. 96. vbi apponitur, lege *opponitur*. Pag. 436. n. 114. vbi homicidum, lege *homicidam*. Adverto, quòd vbi in 3 p. ponitur poſt paginam 472. pag. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. eſſe legendum 473. 474. 475. 476. 477. 478.

PARS

TRACTATVS TRIPARTITVS DE CONFESSARIIS SOLICITANTIBVS.

PARS PRIMA.

Procemium.



IVRE optimo Summi Pontifices speciali vigilantia, tanquam primi Patres, & Pastores Ecclesiæ gregem Domini custodientes contra Confessarios solicitantes, qui sub ovili pelle, & prætextu administrandi Sacramentum Pœnitentiæ tanquam lupi oves catholicas dilacerant, varia diplomata Pontificia ediderunt, & præcipuè Gregorius XV. Bullam contra prædictos confessarios expedivit; in qua omninò viam porrigendi loco panis venenum, occludit. Intentum non solum Gregorij XV. sed etiam aliorum Pontificum fuit, vt confessarius arceatur à tam enormi crimine ne loco panis porrigat venenum, & ex Patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur; & Sacerdotes ex suo officio sancti, sanctè Sacramentum Pœni-

tentiæ tractent, & ne illud Sacrum Lavacrum obscœnitatibus polluatur.

2 Vt autem timore pęnarũ à tam gravi crimine liberentur, Summi Pastores pro qualitate huius delicti varias pęnas taxarunt, vt constat ex Diplomate Pij IV. expedito anno 1561. die 16. Aprilis. Idem Statuerunt Paulus IV. Paulus V. & Clemens VIII. & hic ad puniendũ hoc delictũ iurisdictionem privativam concessit Tribunali Sanctæ Inquisitionis quo ad Pręlatos Regulares. Sed quia non obstantibus his, & alijs prohibitionibus, hoc crimen solicitationis quotidie sub certis cautelis, & prætextibus triticum seminatum in agro Domini per suos operarios primos suffocabat; Gregorius XV. per Bullam quæ incipit: *Vniversi Dominici gregis*, die 30. Augusti, anno 1622. Totalitèr erradicavit cizaniam; siquidem in illa non solum determinat puniendos esse Confessarios solicitantes in confessione, vel immediatè ante, vel post, sed etiam si Confessarij ad hoc crimen perpetrandum solicitent non solum inter se, sed etiam cum alijs, vel occassione, vel prætextu confessionis, etiam ipsa confessione non sequta, sivè extra occassionem confessionis in confessionali, aut in loco quocumque vbi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessionẽ audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire; aut cum eis illicitos Sermones, vel tractatus habuerint.

3 Ad omnia dubia occurrit Summus Pastor, & pro enormitate delicti taxat gravissimas pœnas, & ne in futurum dubium oriatur de pœnis imponendis solicitantibus, & de modo contra eosdem procedendi, delictum, pœnas, & probationes sygillatim declarat, & ne occultum hoc crimen maneat, confessarijs omnibus mandat, vt moneant pœnitentes ab alijs Confessarijs solicitatos de obligatione denunciandi solicitantes, etsi contrarium consulerint, vel docuerint, ipsi Confessarij non monentes per DD. Inquisitores puniantur. Publicatis his constitutionibus circa intelligentiam, & mentem Summorum Pontificum, & præcipuè Bullæ Gregorij XV. Doctores varia docuerunt, exquibus contra intentum Docto-

rum

rum malitia humana in perniciem Populi Christiani enormia delicta perpetravit. Ad talia crimina erradicanda Supremum Consilium Inquisitionis Hispaniæ, iuxta mentem Pontificis, & litteram Gregorianæ Bullæ, pro delictis pœnas taxavit absque consideratione ad laxa placita aliquorum Doctorum fixis oculis in Constitutionibus Pontificijs.

4 Vt autem à crimine tam enormi, non solum denigrativo Confessarij; sed retractivo pœnitentium à sanctissimo lavacro pœnitentiæ, Confessarij fugiant administrando Sanguinem Christi sincerè, & sanctè, opiniones secundum praxim, & stylum Sanctæ Inquisitionis in hoc tractatu amplecter, & si aliqua contra eius stylum, & saniorem intelligentiā doceam, moneo Lectores, ne illa sequantur: vt autem aliqua principaliora præoculis habeantur in toto hoc tractatu, primo de verbo ad verbum Decretum Gregorij XV. ad cuius terminos omnia Decreta aliorum Pontificum reducuntur, referam, & postea ante divissionem huius tractatus quæstionem Procemialem exagitabo, ex cuius decissione vtilitas huius tractatus clarè constabit.

BVLLA GREGORII XV.
CONTRA CONFESSARIOS SOLICITANTES in confessionibus.

GREGORIVS PAPA XV. AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

5 VNiversi Dominici Gregis curam, quamquam immeriti, cœlesti dispositione gerentes, sedulo invigilare tenemur, vt ab omnibus pravis contagijs conservetur immunis, multoque maiori studio providere, vt omnis pestis, ab ijs avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne quod Evangelica scripta nos admonent sale infatuato non sit in quo saliatur, & ad nihilum proficit vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quoniā autem à Romanis Pontificibus Præcessoribus nostris, quibusdam in lo-

cis provissum fuit, vt impium, ac nefandum scęlus, quod non solum inter Christi Fideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab ijs arceatur, videlicèt vt aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas Confessiones deputatus, Sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento, solicitando Penitentes ad turpia abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex Cœlesti Medico infernalis beneficus, ex Patre Spirituali proditor execrabilis animarum reddatur: idcirco nos ea, quę his perniciosissimis diaboli insidijs arcendis certis locis salubriter constituta sunt, vt nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus. Alias siquidem â fel. record. Pio Papa IV. Prædecessore nostro emanarunt Litteræ thenoris subsequentis, videlicèt Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiscopo Hispalensi, in Regnis Hispaniarum Hęreticæ Pravitatis Inquisitori Generali. Cum sicut nuper, non sine animi nostri molestia, accepimus diversi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in eorum Civitatibus, & Diœcessibus Curam Animarum habentes, sivè eam pro alijs exercentes, aut alias audiendis confessionibus pœnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutantur, nec illi, & qui id instituit Domino Deo, & Salvatori nostro Iesu-Chisto iniuriam facere vereantur, mulieres videlicèt pęnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones alliciendo, & provocando, seù allicere, & provocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconçiliationis graviori peccatorum mole eas onerando, & in manibus diaboli tradendo, in Divinæ Maiestatis offensam, & animarum perniciem, Christi fidelium scandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus; per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs per te, vel per aliũ,

seù alios à te deputandum, seù deputandos, contra omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Civitatum, & Diœcesum, de præmissis quomodolibet diffamatos, tàm Sæculares, quàm quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinium Regulares, cuiuscumque Dignitatis, status, gradus, Ordinis, conditionis, & præheminentiæ existant, tàm super præmissis, quàm super Fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras, & iuxta facultatum tibi contra Hæreticos, aut de Hæresi quovis modo suspectos à Sede Apostolica concessarum continentiam, & thenorem procedas, ac culpabiles repertos, iuxta excessuum suorum qualitates, prout iuris fuerit, punias eos, etiã si, & prout de iure fuerit faciendum, devita præcedente degradatione Sæcularis Iudicis arbitrio puniẽdos tradendo. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, necnon Ordinum quorũlibet, quorum ipsi Sacerdotes, fuerint etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus, Privilegijs quoque Indultis, & Litteris Apostolicis sub quibuscũq: thenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam Motu propio, aut alias quomodolibet concessis etiam iteratis vicibus aprobatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum thenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, cęterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annullo Piscatoris, die 16. Aprilis, anno 1561. Pontificatus nostri anno 2. Igitur, vt Litteræ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum inviolabiliter observentur Motu propio, & ex certa sciẽtia, ac matura deliberatione nostra, ac de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra Hæreticam Pravitatem Generalium Inquisitorum, præinsertas Litteras huiusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta Apostolica Auctoritate, thenore præsentium aprobamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus; illasque non solum in prædictis

Reg-

Regnis Hispaniarum, sed in quibusvis Christiani Orbis partibus, firmitèr, & inviolabilitèr observari præcipimus, & mandamus. Ac præterea, ne in futurum de pęna ijs delinquentibus imponenda, & modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit. Stàtuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli Sacerdotes, tàm Sæculares, quàm quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cuiuscumq; Dignitatis, & Pręeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quæcumq; illæ sint, ad inhonesta, sivè interse, sivè cũ alijs quomodolibet perpetranda in Actu Sacramentalis Confessionis, sivè ante, vel post immediatè, seù occasione, vel prætextu Confessionis huiusmodi, etiã ipsa Confessione nõ sequta, sivè extra occasionem Confessionis in Cõfessionali, aut in loco quocumq; vbi Cõfessiones Sacramẽtales audiantur, seù ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, solicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos Sermones, sivè tractatus habuerint, in Officio Sanctæ Inquisitionis severissimè, vt infra puniantur. Et præterea omnes Hæreticæ Pravitatis Inquisitores, & Locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum Vniversi Orbis Christiani in suis quemque Diœcessibus, & Territorijs per has nostras Litteras etiam privativè quoad omnes alios specialitèr, ac perpetuò Iudices delegamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis Fidei iuxta Sacrorum Canonum formam, necnon Officij Inquisitionis huiusmodi Constitutiones, Privilegia, Consuetudines, & Decreta diligentèr inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminũ qualitate, & circunstantijs, suspensionis ab executione Ordinis, privationis Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorũ quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa; necnon vocis activæ, & passivæ, si Regulares fuerint; exilij, damnationis ad triremes, & carceres

ceres etiam in perpetuum absque vlla spe gratiæ, aliásque pœnas decernant: eos quoque si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint devita præcedente degradatione Curiæ Sæculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei, tã perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum, (cum difficilis sit probationis) testibus etiam singularibus, cõcurrentibus præsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & Curiæ Sæculari vt pręfertur, reum tradendum esse pronuntiandi. Non obstantibus omnibus, quæ dictus Prædecessor in suis Litteris prædictis voluit non obstare, cęterisque contrarijs quibuscumque. Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab alijs, vt supra solicitatos, moneant de obligatione denuntiandi solicitantes, seù, vt præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seù locorum Ordinarijs prædictis, quod si hoc Officium prætermisserint, vel pœnitentes docuerint nõ teneri ad denuntiandum Confessarios solicitantes, seù tractantes, vt supra; ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij Publici subscriptis, & sygillo alicuius personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus Fides in iudicio, & extra vbique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem præsentes Litteræ, seù illarum exempla ad Balbas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personalitèr intimatæ fuissent. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annullo Piscatoris, Die 30. Augusti, Anni 1622. Pontificatus nostri anno 2.

S. Card. S. Sussannæ.

An-

ANno à Nativate D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, indictione quinta, die vero prima mensis Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Gregorij, Divina Providentia Papæ XV. Anno eius secundo, retroscripta constitutio, sivè Litteræ Apostolicæ affixæ fuerunt ab Baibas Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum Basilicarum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ, vt moris est per me Brandimartem Latinum Apostolicum Cursorem.

Octavius Spada Mag. Cursorum.

QVÆSTIO UNICA PROœMIALIS an sufficiat probabilitas Doctrinæ vt Confessarius liberetur à pœnis taxatis contra solicitantes.

6 PLura sub titulo involvuntur, ex quorum decissione, quæstionis resolutio pendet, & acquiescientia aliquarum difficultatum, quas his temporibus non sine fundamento plures graves Magistri excitarunt, cum videant puniri in Sancto Officio delicta, quæ secundum mentem Doctorum non infimæ notæ. in Bullijs cōtra solicitantes non comprehenduntur, & vt menti horum satisfaciam prius aliqua supponam, & postea difficultati satisfaciam, pro quo sit.

§. I.

Aliqua supponuntur.

7 SVppono primo, quod præter propositiones damnatas à Supremis Ecclesiæ Pastoribus, nulla alia opinio est censuranda, quæ controvertitur inter Catholicos, donec alterutra damnetur ab Ecclesia. Ita determinavit sub præcepto Sanctæ Obedientiæ formalis Sanctissimus Dominus noster Innocen

cen

cencius Papa XI. felic. recordationis in decreto, quo damnavit 65. propositiones die 2. Martij anni 1679. ex quo infert Pater Cardenas, explicando contra Caramuel primam propositionem damnatam, quod in Summo Pontifice est auctoritas damnandi propositiones probabiles; quia probabilitas est perfectio amissibilis, quæ potestas, vel auctoritas est reservata Sedi Apostolicæ, & ita illam Innocentius XI. reservavit. Quare quando Tribunal Sanctæ Inquisitionis aliquem librum prohibet; quod est probabile non facit improbabile, sed declarat continere propositiones scandalosas, erroneas, improbabiles, temerarias, &c. quia huiusmodi propositiones contentas in illo volumine iudicat coincidere cum alijs propositionibus damnatis à Sede Apostolica.

8 Suppono secundo: iuxta damnationem tertiæ propositionis Innocentij XI. in praxi opinionem tenuæ probabilitatis sequendã non esse; hoc est, vt explicat Cardenas prudenter operari non possumus amplectendo opinionem, de cuius probabilitate graves Doctores dubitant, exempli gratia: est opinio probabilis, quod Religiosi professi non initiati ordine sacro in Religione addicta ad chorũ, horas canonicas extra chorum recitare non tenetur. Sed quia graves Auctores iudicant hanc sententiam probabilem non esse, nam Reginaldus *lib.* 18. *num.* 4. illam temerariam vocat; Sanchez *lib.* 7. *conf. cap.* 2. *d.* 3. *num.* 6. non probabilem, Diana *part.* 6. *tract.* 8. *resol.* 12. prorsus improbandam; post talem damnationem talis opinio ad praxim deducenda non est; siquidem est dubium de eius probabilitate; ac per consequens ad summum solùm probabilitate tenui gaudere potest.

9 Ex quo notabili infertur, quod si in alijs materijs in praxi opinio probabilitatis tenuæ sequenda non est, multò minus in hoc crimine solicitationis, cum non sit singulare peccatum tantùm, sed pestis grassans in vniversas oves Christi; huius farinæ sunt plures opiniones in hoc Tractatu referendæ, & sufficiat nunc exempli gratia vnam adducere, quæ vtinam tam frequenter non reduceretur ad praxim. Est opinio

aliquorum Doctorum pœnitentem ad confessarium denuntiandum non teneri, illo in solicitationem consentiente, quã sententiam suo in loco referam, & impugnabo: hæc opinio est tenuæ probabilitatis; quia de probabilitate huius opinionis cum maximo fundamento gravissimi Magistri dubitant: quare hodie nulla est controversia, hoc genus probabilitatis insufficiens esse, vt confessarius immunis à pœnis taxatis in Bullis contra solicitantes evadat.

10 Quod enim vertitur in dubium est; an quando pro parte Confessarij est opinio certò probabilis liberans illum à crimine solicitationis contentæ in Bullis, & contra illum est alia sententia contradictoriè opposita primæ in favorem animarum, Confessarius cum prima liberetur à pœnis taxatis in Bullis contra solicitantes? Quia ab hoc puncto pendet vnicè meum motivum scribendi, ne Confessarij fissi in probabilitate opinionum tàm enorme delictum committant, & incidant in manus Sancti Officij cum magno scandalo pusillorum; exemplum maximè controversum his temporibus apponam. Valdè plausibilis est sentẽtia defensans, quod solicitare in Confessionario extra occasionẽ confessionis sine simulatione non est casus comprehensus in Bulla Gregoriana, ad cuius terminos alia diplomata Pontificia, & decreta Sacræ Congregationis reducuntur. Ista sententia est probabilior saltem extrinsicè, quàm contraria, quia pro illa, vt postea suo loco referam, sunt plusquam viginti & quatuor Auctores, & pro contraria ad summum sex; quod ergo inquiritur est, an qui hoc modo solicitavit fissus in huius sententiæ probabilitate, liberetur ab incarceratione in Sancto Officio, & à pœnis contra solicitantes stabilitis immunis reddatur? Resolbo nunc quæstionem; pro-
quo sit.

§. II.

§. II.
Deciditur Quaestio.

11 SIT conclusio: non est sufficiens probabilitas favens Confessario in crimine solicitationis circa iurisdictionem, vt à pœnis taxatis in diplomatibus Pontificijs liberetur, si sit contra stylum procedendi in Sancto Officio. Hæc conclusio sub his terminis singularis apparet, sed in praxi est communis non solùm in Sancto Officio, sed etiam in omnibus Tribunalibus Ecclesiasticis, & secularibus. Quod sit communis modus procedendi in omnibus Tribunalibus cognoscere de criminibus secundùm sententiam probabilem circa iurisdictionem, referunt Thomas Hurtado *tom. 2. resol. moral. tract. 3. cap. 6. resol. 44.* Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 46.* Vazquez 1. 2. *disp. 64. num. 5.* Probatur primo conclusio: quia vt asserunt Fagundez *in precept. 2. Eccles. lib 8. cap. 8. num. 38.* Diana *part. 1. tract. 11. resol. 27. ad 3. argum.* & Thomas Hurtado *loco citato tract. 5. cap. 6. à num.* 1452. stylus, & praxis Tribunalis Sanctæ Inquisitionis fundatur in vnius sententiæ probabilitate absque eo, quod contrariæ probabilitatem tollat: ergo stat benè, quod sit opinio probabilis liberans Confessarium à pœnis latis contra solicitantes, & quod sit stylus, & praxis Tribunalis procedendi sequendo contrariam sententiam, ac per consequens, quod confessarius solicitans per Tribunal puniatur.

12 Confirmatur; nam iuxta Bullas Clementis VIII. *expeditas an.* 1596. & 1599. DD. Inquisitores debēt iudicare secundum id, quod habent de iure communi, vel de consuetudine, etsi contrarium faciunt munus officij non implent: ergo si est opinio favens Confessario, & consuetudo, & stylus iudicandi in Sancto Officio in contraria sententia fundatur, iuxta istam tenentur DD. Inquisitores iudicare reum.

13 Dices, si hoc est verum, sequitur, quod aliquando sententia probabilior reddatur improbabilis. Probatur sequela;

suppono, quod sententia favens reo sit probabilior, & contraria minus probabilis, & quod stylus, & praxis Tribunalis sit iudicare secundum sententiam condemnantem reum; in hoc casu non reducitur ad praxim, nisi sententia minus probabilis: ergo sententia probabilior redditur saltem practicè improbabilis; cumque istæ sententiæ frequenter sint practicæ, sententia probabilior per stylum Tribunalis manet innanis, & improbabilis. Thomas Hurtado occurrit huic obiectioni *num.*1454. dicendo, verum esse, hoc multoties contingere, vt patet in sentētia defensante, Confessarium solicitantem in Confessionali non esse reum Bullæ Gregorianæ si simulatio abest, quæ est contra praxim Inquisitionis; sed tunc talis sententia est probabilior speculativè, & practicè in foro conscientiæ, non practicè in ordine ad forum externum; quia praxis huius Tribunalis fundatur in probabilitate contrariæ sententiæ, quin tolat probabilitatem alterius.

14 Ex quibus deducitur aliqua observatio pro Confessarijs consulentibus denuntiationem fęminæ solicitatæ, quam omnes debent commendare memoriæ in hoc, & similibus casibus, qui quotidie se offerunt; quia aliud est ius iudicandi in Tribunali, & ius consulendi in foro conscientię, vt optimè advertit Thomas Hurtado loco citato num.1456. Vbi hæc habet verba: *Verum est, quod Theologi dum consilium dant pro foro conscientiæ non semper tenentur illud dare secundum praxim receptam in Tribunali, sed possunt sequi opinionem oppositam.* Citat Granado, Çeballos, & Henriquez. Et ego addo, quod semper, & quando talis casus se offert Confessarij consulentes ne resolvant repentè, sed videant Auctores, & Bullas, & communicent de licentia pœnitentis casum cum Theologis versatis in materijs pertinentibus ad Sanctum Officium, attendendo ad tertiam propositionem damnatam ab Innocencio XI. nam si in dando consilio sequuntur opinionem probabilitatis tenuæ, possunt contra illos procedere D D. Inquisitores secundùm tenorem Bullæ Gregorij XV. & decreti Alexandrij VII. in quibus Confessaris non

mo-

monentes de obligatione denunciandi subijciuntur iurisdictioni Tribunalis Sancti Officij.

15 Ostenditur secundo nostra conclusio; nam Consilium generale fidei Romæ, & in Hispania non ponit in numero cum Tribunali Summi Pontificis, à quo habet potestatem, sicut Tribunal Vicarij Generalis, & Episcopi non distinguntur, sed hoc non obstanti Consilium generale Romæ, & Cõsilium generale, & Supremum Hispaniæ iuxta variam praxim, & stylum diverso modo procedunt in condemnandis reis, & sic Sacerdotem solicitantem, & eum qui contraxit vinas nuptias vivente prima vxore, Romæ facit adiurare de vehementi, & in Hispania de levi; ergo probabilitas favens Cõfessario non sufficit, vt evadat pœnas contra solicitantes, si contrariatur stylo Tribunalis.

16 Tertio probatur conclusio efficacissimè. Quamvis Innocencius XI. damnet propositionem defensantem non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, & iurisdictio in Sacerdote ad absolvendũ ad lineam valoris Sacramenti Pœnitentiæ pertineat; nihilominùs, vt refert Pater Cardenas, explicando primam propositionem, plures Doctores gravissimi docent, Sacerdotem validè posse absolvere pœnitentem sequendo opinionem certò probabilem de iurisdictione, relicta tutiore, & præcipua ratio est, quia consuetudo dat iurisdictionem, & est consuetudo in Ecclesia absolvendi sequendo opinionem certò probabilem: ergo si est consuetudo, & praxis in Sancto Officio iudicandi de solicitatione Confessarij iuxta opinionem probabilem, etiamsi sit in favorem Rei alia opinio certò probabilis, Confessarius non relevatur à pœnis latis contra solicitantes in Bullis, quia per consuetudinem iudicandi secundum sententiam contrariam D D. Inquisitores habent iurisdictionem certam contra talem Confessarium.

17 Quarto probatur conclusio alia instantia: vt refert Carena *part.* 1. *de Episcopis titul.* 4. *num.* 11. etiam si sit tutior

sen-

sententia secundum Farinac. *quæst.* 136. *num.* 56. *& seqq.* quod Inquisitores sine Episcopo non possunt ferre sententiam absolutoriam, nihilominùs si in aliqua Inquisitione practicatur sententia contraria, hæc est sequenda : ergo quia DD. Inquisitores tenentur iudicare, iuxta stylum Tribunalis etiam si praxis inquisitionis non fundetur in opinione probabiliori, vel tutiori : quare optimè dicit Thomas Hurtado loco citato num. 1455. quod quamvis opinio in qua fundatur praxis Tribunalis non sit probabilior, sed opposita favẽs reo, tamen nullus iuste conqueri potest si iuxta praxim suam inquisitio ipsum puniat : ergo non sufficit probabilitas favens Confessario, si stylus inquisitionis sequatur opinionem contrariam condemnantem, vt à pœnis contentis in Bullis contra Confessarios solicitantes huiusmodi Confessarius liberetur : ne ergo deveniant Confessarij ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis non confidant in probabilitate opinionum, quæ criminosis potius favent, quam animabus.

18 Confirmatur ex alia doctrina erudite ponderata à Patre Salelles *tom.* 1. *de mat. inqq. lib.* 1. *cap.* 16. *reg.* 127. Licèt graves Doctores teneant, quod Inquisitores possunt cognoscere de abusu Sacramenti Pœnitentiæ non solùm in rebus venereis, sed etiam circa furtum, & homicidium, &c. talitèr quod hæc facultas ex iure communi eis competat, citatque pro hac sententia Peñam, Castrum à Palao, & alios, quia huiusmodi abutentes sunt suspecti in fide; tamen quia in multis Tribunalibus deest consuetudo procedendi contra tales delinquentes, & ipsé testatur de Tribunali Melitensi; in his Inquisitionibus, nec tales delinquentes incarcerantur, nec contra illos admittitur denuntiatio; idemque traddit de abusu aliorum Sacramentorum, vt Baptismi, Extremævnctionis, Matrimonij, &c. in re venerea, & tenent Acuña Freitas, Sanchez in select. Castrus à Palao citati per Salellem *num.* 17. ergo in puniendis delictis ad consuetudinem, & praxim Tribunal Sanctæ Inquisitionis attendit: ergo si praxis stat pro punitione parum refert, quod sit sententia certo probabilis in favorem Confessarij solicitantis.

Pro-

19 Probatur vltimo ab inconvenienti. Suppono, quod Confessarius enormia crimina in materia venerea committeret in confessionali extra occasionem confessionis absque simulatione: nunc sic; est sententia certò probabilis defensans non pertinere ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis punire huiusmodi Confessarium; est enim alia sententia cum æquali probabilitate ad illud pertinere; si enim esset sequenda opinio favens Confessario, hoc delictum impunitum maneret, quia ex vna parte Tribunal Sanctæ Inquisitionis hoc delictum punire non posset; ex alia parte si Prælatus de hoc crimine cognoscere vellet, Confessarius allegare posset non pertinere ad suam iurisdictionem, quia est sententia defensans talium criminum punitionem ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis pertinere: ergo ne talia crimina impunita maneant, ad stylum, & praxim Tribunalium recurrendum est: ergo si praxis Sanctæ Inquisitionis fundatur in opinione probabili de cognitione talis solicitationis; parum refert quod sit opinio certo probabilis in favorem Confessarij solicitantis, consequenterque, vt Confessarius solicitans per DD. Inquisitores non puniatur, non sufficit opinio probabilis in favorem illius.

§. III.

Argumenta militantia contra conclusionem soluuntur.

20 ARrgues 1. ex reg. 11. de regulis iuris in 6. *Cum sunt partium iura obscura reo favendum est potius, quam actori*; sed quando est sententia favens Confessario reo, & Tribunali Sanctæ Inquisitionis, est obscurum, an Confessarius debeat puniri, vt solicitans, vel non: ergo favendum est Confessario stando pro opinione illi favente: ergo si adest probabilitas, quod non est solicitatio cõprehensa in Bulla DD. Inquisitores tenentur iudicare secundum talem sententiam.

Va-

21 Varijs modis poteſt occurri huic obiectioni. 1. ſecundum ſententiam D. Ioann. Eſcobar à Corro *tom. 2. part. 2. quæſt. 2. de iure, vel præcepto denuntiandi*, qui diſtinguit inter opinionem circa ius, & circa factum, & dicit quod ſi opinio eſt circa ius poteſt ſequi à Iudice etiam ſi contraria ſit probabilior; ſed hoc non habet locum quando ſententia verſatur circa factum; nam in hoc caſu opinio eſt circa iura partium, & iniuria ſequeretur pronuntiando contra habentem melius probatam ſuam intentionem; ex qua probatione ſequitur potiori iure eſſe ius iſtius, quam alterius; ſicut etiam ſequeretur iniuria contra reum iudicando in concurſu parium probationum, vt diſcurrunt Bañez, Bonacina, Diana, Trullench, quos citat Eſcobar. Idem defenſat Thomas Hurtado *tract. 3. cap. 6. reſol. 44.* Citatque Thomam Sanchez, Valentiam, Sotum, Aragonium, Salonium, & alios. Secundum iſtam intelligentiam cum in caſu argumenti dubium non ſit circa factum, non eſt contra regulam allatam iuris punire talem Confeſſarium. Licèt hæc reſponſio non careat ſolido fundamẽto, ſecundum ſententiam Reverendiſ. Magiſt. Lumbier Elianæ Familiæ ſtellæ fulgentiſſimæ in obſervatione 4. 2. propoſitionis coincidit cum ſecunda propoſitione dãnata ab Innocentio XI.

22 2. Reſpondeo: quòd quando DD. Inquiſitores iudicant de ſolicitatione ſecundùm opinionem certo probabilem, etiamſi ſit dubium ſpeculactivum, non autem eſt dubium practicum, nam licèt opinio certò probabilis includat in propoſitione directa dubium; in reflexa autem per quã regulatur praxis, illud excludit, ideòq; iudicare ſecundũ ſententiam certò probabilem, etiamſi non ſit in favorem rei non eſt contra regulam iuris poſitam in argumento. Præterea, quia ſemper praxis Sanctæ Inquiſitionis fundatur in opinione certò probabili, cum qua ſemper operatur cum omnimoda ſecuritate formali; nam vt diſcurrit Caſtrus à Palao *tom. 1. diſput. 2. punct. 1. num. 3.* & citat Ioannem Sanchez: Omnes opiniones probabiles ſunt æqualiter ſecuræ formaliter, quod

 intel-

intelligo de opinionibus certò probabilibus; ac per consequens possunt cum omnimoda securitate hodie reduci ad praxim; excepto in valore Sacramenti circa materiam, & formam; nam in materia, & forma Sacramentorum non solùm desideratur securitas formalis; sed etiam materialis, quia si materialitèr, vel à parte rei non est instituta illa materia, vel forma à Christo D. parum refert, quod opiniones propugnantes pro illis sint certò probabiles.

23 Argues 2. Tribunal Christi specialitèr resplendet in Tribunali Sanctæ Inquisitionis; nam in hoc ad imitationem illius iustitia, & pax osculatæ sunt; ideòque Sancta Inquisitio condecoratur ense, & ramo olivarum pro armis, symbolum iustitiæ, & misericordiæ; sed in Tribunali Christi si reus affert in sui favorem sententiam certò probabilem iuxta illam à Ministro Christi iudicatur: ergo idem fieri debet in Tribunali Sanctæ Inquisitionis; etiam si pro reo sit sententia minùs probabilis, dummodò non sit tenuæ probabilitatis.

24 Confirmatur idem assumptum: etiam si post damnationem Innocenciij XI. Iudex non possit iudicare secundùm sententiam minùs probabilem in causis civilibus, non ita est in criminalibus, vt discurrit Reverendissimus Lumbier *loco citato num. 96.* itaq; si est sententia favens reo, quãvis sit minùs probabilis iuxta illam Iudex potest ferre sententiam: imò addit Pater Cardenas supra secundam propositionem *dissert. 3 cap. 2. art. 3. num. 31.* quod in hoc casu licèt secundùm propositionem directam Iudex sequatur opinionem minùs probabilem, secundùm reflexam, inqua consistit vltimum iudicium ad operationes regulandas, opinionem probabiliorem amplectitur, quia ferè est communis opinio, quæ docet in causis criminalibus esse sequendam opinionem faventem reo, etiam si talis opinio sit minùs probabilis; sed punire Confessarios in Sancto Officio, & non solùm punire, sed tantùm incarcerare ex causis criminalibus criminalior est; ideòque cum summa maturitate, & prævio Consilio Su-

premi Senatus procedunt DD. Inquisitores ad incarcerandum, si non timetur fuga, quia non solùm punitio, sed etiam incarceratio est maximè denigrativa rei, vt Pater Salelles in diversis locis ponderat: ergo si est sententia certò probabilis, quod solicitatio non est comprehensa in Bullis; iuxta illam debent DD. Inquisitores iudicare.

25 Antequam respondeam ad argumentum non possum omittere doctrinam Thomæ Hurtado, quæ apertè contrariatur cum illis, quæ traddit idem Auctor locis citatis in resolutione quæstionis; nam in *tract*. 4. *cap*. 8. *resol*. 62. §. 3. *num*. 877. Stat pro doctrina posita in argumento, siquidem defensat non posse DD. Inquisitores procedere contra Confessarios solicitantes, si circa solicitationem sunt opiniones oppositæ, scilicèt an solicitatio sit comprehensa in Bulla, vel non; siquidem præcipuè *num*. 1452. & *seqq*. defensat stylum, & praxim Sanctæ Inquisitionis fundari in probabilitate vnius sententiæ, etsi stylus Tribunalis sit iudicare secundùm illam non possunt rectè procedere sequendo contrariam sententiam, ideòque *num*. 1456. etiam citato idem repetit: ergo apertè est sibi contrarius traddendo doctrinam positam in argumento in citata resolutione.

26 Respondeo nunc ad argumentum: esse maximam disparitatem inter Tribunal Christi, & Sanctæ Inquisitionis; licèt in his duobus sit maxima affinitas; nam Tribunal Christi est ad absolvendum, & Tribunal Sanctæ Inquisitionis multoties cum pœnitentijs salutaribus absolvit, vt facit cum illis, qui sponte nullis indicijs præventi integrè, & sincerè fatentur sua crimina, etiamque habet similitudinem maximam cum Christi Tribunali, nam sicut istud principalitèr est institutum in favorem animarum, ita & illud. Discriminatur autem in eo, quòd Tribunal Christi est pro foro interno, ideòque ad absolvendum, ad emendationem, & dolorem de præteritis criminibus solùm attendit; at verò Tribunal Sanctæ Inquisitionis pro foro externo institutum est; & hac ratione non solùm attendit ad emendationem, sed

etiam

etiam ad punitionem, vt cęteri timeant; ideòque si crimen est iuridicè probatum, cum sententia probabili de iurisdictione DD. Inquisitores, vt dixi, non solum possunt, sed etiam debēt iudicare, si praxis Sancti Officij habet consuetudinem iudicandi secundùm illam sententiam, etiam si sit in favorem rei sententia contraria probabilior, quod omnia Tribunalia Sęcularia, & Ecclesiastica obseruant; quia si est sententia certò probabilis pro iurisdictione, & consuetudo iudicandi secundùm illam, cum consuetudo iurisdictionem certò tribuat, sequendo talem opinionem absque periculo procedunt.

27 Ad confirmationem ex dictis facillimo negotio respondetur: sed vt firmiori fundamento alia argumenta, quæ possunt fieri contra nostram resolutionem diluantur est maximè memoriæ commendandum, quod alia est probabilitas facti, & alia iurisdictionis: verùm enim est, quod si est probabilitas facti in favorem rei, taliter quod Auctores clasici iudicent factum, vel delictum non esse legitimè probatum secundùm dispositionem iuris, tunc tenentur Iudices sequi opinionem faventem reo; siquidem verificatur regula iuris posita in argumento 1. *Cum partium iura, &c.* Sed quando delictum est legitimè probatum, vel per testes, vel per Confessionem rei, & est probabilitas certa de iurisdictione pro vno Tribunali, si tunc tale Tribunal habeat consuetudinem iudicandi, & condemnandi talem reum, non solùm potest iudicare de illo delicto, sed tenetur iudicare.

28 Roboratur hæc doctrina cum stylo aliorum Tribunalium; nonne Tribunal sęculare in pluribus casibus solùm cum sententia probabili, quam plures Theologi iudicant improbabilem, vel tenuæ probabilitatis, cognoscit de causis Ecclesiasticis? Si hoc toleratur inoffenso pede, quare non possunt DD. Inquisitores idem facere sequendo sententias certò probabiles, de quarum probabilitate nullus cordatus vir, si fundamenta meditetur, potest dubitare? Ergo stat benè,

nè, quod sit sententia certò probabilis defensans delictum solicitationis non esse comprehensum in Bullis, & aliunde sit alia sententia affirmativa contra reum, & quod DD. Inquisitores sequendo istam, vt solicitantem puniant Confessarium, quia sequuntur opinionem faventem iurisdictioni.

29 Ex quibus Colligo DD. Inquisitores iudicando secundùm sententiam certò probabilem in causis pertinentibus ad suam iurisdictionem prudentissimè operari, quia procedunt secundùm praxim, & consuetudinem omnium Tribunalium, etsi Tribunalia solùm iudicare possent de rebus pertinentibus ad suam iurisdictionem absque controversia, vix aliquem condemnarent; ac per consequens delicta enormia manerent impunita. Hoc suadetur aparitate; si enim præcipiendo secundùm sententiam probabilem optimè præcipit superior, & subditus tenetur obedire, etiam si iudicio speculativo contrarium sentiat, vt tenent Clavis Regia, Navarro, Valentia, Turrianus, Laymam, Paleotus, Vazquez, Corduba, Salas, & alij, quos citat, & sequitur Thomas Hurtado *tom.1. resol. moral. tract. 2. cap.5. num.139.* quare non potest rectè iudicare sequendo opinionem probabilem circa iurisdictionem, dummodo non sit tenuæ probabilitatis? Maneat ergo decisum non sufficere opinionem certò probabilem defensantem, solicitationem factam à Confessario non esse comprehensam in Bullis, vt talis Confessarius liberetur à pænis latis contra solicitantes, si praxis Inquisitionis in iudicando de hoc delicto fundatur in sententia contraria certò probabili. Ne autem Confessarij fissi in probabilitate opinionum incidant in manus Sancti Officij defectu cognitionis, sequar in toto hoc tractatu opiniones, quas intelligo observari secundùm stylum Sancti Officij.

(.?.)

QVÆ-

QVÆSTIO I.

An Bulla Gregorij XV. sit recepta in Hispania.

30 VT omnia cum claritate intelligantur, omnes meas resolutiones principalitèr reducam ad terminos Bullæ Gregorij XV. quia licèt alia diplomata Pótificia sint in viridi observantia, in dicta Bulla comprehenduntur omnia, quæ sunt dispersa in Constitutionibus antecentibus; vt autem omnia rectè, & clarè procedant, totum Tractatum in tres dividam partes. In 1 dissolvam difficultates pertinentes ad iurisdictionem DD. Inquisitorum circa cognitionem huius criminis, ad personas subiectas Tribunali Inquisitionis, ad obligationem denuntiandi Confessarios solicitantes, & vltimo loco ponam duas propositiones damnatas ab Alexandro VII. In secunda agam de omnibus delictis solicitationis comprehensis in Bulla Gregoriana. In tertia autem de obligatione monendi pœnitentes solicitatos, vt denuntient Confessarios solicitantes, de pœnis contẽtis in Bulla Gregoriana contra prædictos Confessarios solicitantes, & de modo probandi hoc delictum, & procedendi in Sancto Tribunali, vt autem circa receptionem Bullæ Gregorij XV. in Hispania nullum sit dubium, priùs resolvã propositam quæstionem.

§. vnicus. Resolvitur Quæstio.

31 HÆC quæstio fuit controversa ab Auctoribus tempore, quo pauci habebant notitiam huius Bullæ promulgationis: ideòque Doctissimus Castrus à Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 1. num* 9. affirmat hanc Bullam non esse in Hispania receptam ab Inquisitoribus, & addit, quòd ita illi retulit Doctor D. Isidorus de San Vicente Inquisitor

Cæ-



Cæsar-Augustanus vir pius, doctus, & in materijs Inquisitionis satis versatus.

32 Fundamentum ad hoc stabiliendum est, quia in Bulla Gregoriana in cognitione de crimine solicitationis sunt æquales Inquisitores, & Ordinarij Locorum: ergo non receperunt hanc Bullam Inquisitores Hispaniç, quia in hac parte derogat iurisdictioni Inquisitorum concessæ à Pio IV. & à Clemente VIII. vt privativè ipsi Inquisitores cognoscant de hoc crimine. Præterea, quia hæc Bulla parum, vel nihil extendebat iurisdictionem Inquisitorum, nam Inquisitores Hispaniæ propter identitatem rationis iurisdictionem sibi concessam à Pio IV. contra solicitantes fęminas, etiam ad viros solicitatos extendebant, sicut iurisdictionem concessam ad puniendam sodomiam extendunt ad bestialitatem: ex alia parte Inquisitionis iurisdictio limitatur, quia conceditur per dictam Bullam Ordinarijs Locorum iurisdictio, quare si esset recepta dicta Bulla, hęc facultas non esset privativa, sed cumulativa; aliundè videmus, quod Inquisitiones Hispaniæ in hac materia cognoscunt privativè, talitèr quod separatim non intromittuntur Ordinarij: ergo quia hæc Bulla Gregoriana non est recepta in Tribunali Sanctæ Inquisitionis.

33 Sit conclusio Bulla Gregorij XV. est publicata, & recepta in Hispania ab omnibus Inquisitionibus. De hac conclusione non potest hodie dubitari, quia omnibus annis publicatur in edictis, & vlterius sic referunt graves Doctores, Pater Hieronymus Trimarchius ex nostra Minimorum Religione citatus per Ægydium Trullench *tom. 1. in Præcep. Decal. lib. 1. cap. 3. dub. 18. num 4. in fine*, & Diana 1. *part. tract. 4. resol.* 25. asserunt, quod prædicta Bulla fuit Panormi promulgata per DD. Inquisitores, *die* 10. *Martij an.* 1614. & ne aliquis dubitaret de promulgatione D.D. Andreas Pacheco Inquisitor Generalis per epistolam Missam ad omnes Inquisitores *Matriti subscriptam die 6. Septembris anno* 1614. & postea D.D. Antonius de Sotomaior in edictis promulgarun

di-

dictam Bullam, & nunc omnibus annis publicatur.

34 Idem constat, nam vt refert idem Ægydius Trullench loco citato Vrbanus VIII. mandavit scribere litteras *die 3. Octobris anno* 1626. per Eminentissimum Cardinalem Millinum Ordinarijs, seu eorum Vicarijs Generalibus, vt cunctis Sacerdotibus Regularibus, & Secularibus in actu approbationis ad audiendas confessiones legatur Constitutio Gregorij XV. ita refert noster Trimarchius *in suo tract. de Confessore abutente disp. 1. sect. 5 num. 12.* & postea narrat *num.* 15. decrevisse eundem Vrbanum VIII. quod singulis annis feria 6. post octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis superiores regulares sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendæ in publica mensa, seu capitulo ad hoc specialiter convocato, & in quolibet Capitulo Generali, vel Provinciali, seu Conventuali, legantur Constitutiones Apostolicæ pertinentes ad Officium Inquisitionis, quod inviolabiliter in nostra Religione observatur, & credo, quod in omnibus, & inter alias Constitutiones legitur ista Gregoriana: ergo quod sit recepta hodiè non potest verti in dubium.

35 Quamvis autem receptio Bullæ Gregorianæ sit tam notoria; vt aliqui liberent pœnitentes ab obligatione denuntiandi, sequendo sententiam Castri à Palao, dicunt, quod talis Bulla non est in vsu, quia aliàs femina solicitata posset denuntiare Confessariũ solicitantẽ coram Ordinario; siquidem conceditur in dicta Bulla, vt simul, vel separatim de hoc crimine Ordinarij, & Inquisitores cognoscant; sed omnibus annis præcipitur sub excomunicatione, quod tales denuntiationes fiant coram Inquisitoribus: ergo quia hæc Bulla, vel nõ est recepta in Inquisitionibus Hispaniæ, vel non est in vsu. Audivi aliquos doctos verbaliter defendere, quod vi prædicti decreti Gregorij XV. femina solicitata satisfacit, si denuntiet Confessarium solicitantem coram Ordinario, & vt istæ voces non transeant ad praxim, sit secunda quæstio.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

An ex hoc novo indulto Gregorij XV. valeant Ordinarij de crimine solicitationis separatim cognoscere.

§. I.

Aliqua supponuntur, & deducitur quæstio.

36 SVpposito quod hæc Bulla Gregoriana est recepta in Hispania, est maxima difficultas circa illa verba: *Et præterea omnes Inquisitores, & locorum ordinarij super his contra prædictos simul, vel separatim in Omnibus, &c.* Quare Trullench *dub* 18. *citato* dicit, quod licet Bulla Gregorij XV. sit recepta in Hispania; ex parte qua concedit Ordinarijs facultatem cognoscendi in crimine solicitationis, nullomodo est recepta, imo per contrarium vsum abrogata; quare quod dubitatur in presenti est; an in Regnis Hispaniæ ex hoc novo indulto valeant Ordinarij de crimine solicitationis separatim cognoscere, & iudicare?

37 Vt autem hæc gravissima quæstio cum fundamento decidatur, suppono primo; quod ante Constitutiones Pauli IV. Pij IV. & Clementis VIII. Inquisitores minimè valebant cognoscere de crimine solicitationis. Ita Lodovicus à Paramo *de origine Sanctæ Inquisitionis lib.* 3. *quæst.* 10. *nu.* 92. Vnde olim Episcopi sibi hunc casum reservare cõsueverunt, vt refert Graff. *de varijs Episcopis de casib. reservat. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 8. *& seq.*

38 Suppono secundo, post dictas Bullas DD. Inquisitores ante Bullam Gregorij XV. absque controversia cognovisse de hoc crimine, eo modo quo cognoscebant de alijs caussis hæresis, vel de delictis generantibus suspitionem in fide cum interventu Ordinarij. Ita Sanctarellus *de hæresi cap.* 44. *dub.* 5. *num.* 1. Freitas *in addit. quæst.* 2. sed tales Bullæ solùm

ha-

habent locum in Hispaniarum Inquisitionibus, quia solùm ad istas fuerunt directæ.

39 Suppono tertio, quòd etiam si inter Doctores post Bullam Gregorianam punctum propositum sit valdè controversum nihilominùs inoffenso pede in Inquisitionibus Hispaniæ nihil est innovatum, & de nostra Aragoniæ Inquisitione attestare possum, inqua tanquam Ordinarius Illustrissimi D. Archiepiscopi Cæsar-Augustani simul cum DD. Inquisitoribus de hoc solicitationis crimine cognovi, & iudicavi.

40 Suppono quarto, Bullam Gregorij XV. confirmasse Constitutionem Pij IV. illamque extendisse ad omnes Christiani orbis partes, & simul ampliavit iurisdictionem DD. Inquisitorum ad huiusmodi delicti punitionem; vt constat ex tenore Bullæ; quare Bulla Gregorij XV. est directa ad omnes partes, vbi Christiana religio viget, ideòque incipit: *Vniversi Dominici gregis*. His suppositis.

41 Prima sententia docet, ex hoc novo decreto Gregorij XV. posse Ordinarios iudicare de crimine solicitationis separatim ab Inquisitoribus; hanc sententiam defensant Diana 1. *part. tract.* 4. *de denuntiat. resol.* 29. quamvis postea mutaverit sententiam, vt videbimus §. *seqq.* Peirinis *tom.* 2. *de privileg. Minim. Constit.* 4. *Gregorij XV.* §. 6. *num.* 20. Fagundez *ad* 2. *Ecclesiæ præceptum lib.* 4 *cap.* 3 *& seqq.*

42 Sit conclusio: in Regnis Hispaniæ non possunt iudicare Ordinarij de hoc crimine solicitationis separatim ab Inquisitoribus ex indulto, vel Constitutione Gregorij XV. Pro hac sententia sunt plures gravissimi Auctores, & præcipuè Escobar à Corro *tom.* 2. *part.* 2. *de Confessarijs solicitantibus quæst.* 2. §. 1. *de precepto denunciandi*. Diana 4. *part. tract.* 5. *de Confessarijs solicit. resolut.* 53. Trullench *loco citato*, Thomas Hurtado *tom.* 1. *resol. moral. tract.* 4 *de Confessarijs solicit. cap.* 8. *resolut.* 10. *à num.* 98. & alij citati ab his Auctoribus. In favorem huius assertionis primò stat praxis Inquisitionum Hispaniarum; nam absque controversia cum Ordinarijs, post dictam Bullam Gregorianam, cognoscunt,

cunt,& iudicant de crimine solicitationis,& si aliquando ad Episcopos hoc enorme delictum delatum est,isti remittunt negotium, vel delationem ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis.

43 Secundò probatur; quia in Regnis Hispaniæ, in quibus adest Inquisitio, ex consuetudine, & privilegio Pontificio Episcopi sine Inquisitoribus cognoscere non possunt causas pertinentes ad fidem,& si fuerint delatæ tales causæ ad illos, ipsi Ordinarij ad Inquisitores remittere tenentur, neque possunt reum incarcerare si non timetur fuga. Ita referunt ex communi sententia Santarellus *tract. de hæres. cap.*40. *dub.*2. *num.*15. Molina *de iust. tom* 5. *tractat.*5. *disp.*28. Barbosa *in Collectan. tom* 3. *lib.* 5. *tit.* 2. *cap.*17. *num.*3.

44 Hoc stabilito,sic arguitur: Constitutio Gregoriana Episcopis auctoritatem præbet, vt separatim de crimine solicitationis possint inquirere; vt faciunt in causis fidei iuxta dispositionem Sacrorum Canonum; sed vt dictum est in Hispaniarum Regnis, vbi adest Inquisitio, Episcopi separatim, nec iudicare, nec inquirere possunt de causis fidei, sed simul cum Inquisitoribus: ergo neque separatim in casu solicitationis inquirere,nec iudicare possunt; nam in dicta Constitutione non revocantur consuetudines,& privilegia Inquisitionibus Hispaniarum in contrarium concessa. Eodem modo discurrit Antonius Sousa *in annot. ad Bullam Gregorij XV. num.* 21. in favorem suæ Inquisitionis Lusitaniæ,vbi erat idem privilegium,& praxis.

45 Tertiò roboratur conclusio; nam in eadem Bulla dicitur,quod solicitantes: *Severissimè in Officio Sanctæ Inquisitionis vt infrà puniatur:* ergo secundùm Bullam, vbi adest Inquisitio, in illa cum assistentia Ordinarij, sicut anteà delictum solicitationis puniri debet: ergo per dictam Bullam in Regnis Hispaniarum, in quibus adest Inquisitio, facultas puniendi solicitantes semper est privativa,non autem cumulativa quo ad Ordinarios. Præterea,quia in dicta Bulla nulla

la fit mentio, vt dixi, derogationis privilegiorum,& consuetudinum Inquisitionis Hispaniæ; quod erat necessarium, vt Ordinarij separatim cognoscerent, vt tenent communiter Canonistæ.

46 Quartò probatur eadem conclusio; quia nostrum assertum constat ex declaratiōne per vivæ vocis oraculum Gregorij XV. quæ declaratio fuit intimata per D. Inquisitorem Generalem D. D. Andream Pacheco per epistolam Missam ad omnes Inquisitiones Hispaniæ latam *Matriti 6. Septembris anni* 1624. vbi hæc erant verba: *Que no ha sido su intencion, ni voluntad alterar en los tales Reynos el estilo, y costumbre, que los Inquisidores tenian de proceder privativamente contra los solicitantes, y que en esto se guardasse el modo, y termino, que se avia tenido hasta el dia que se publicò el dicho Breve Apostolico.* Etiam est alia Epistola Consilij Sanctæ,& Generalis Inquisitionis Hispaniæ *lata Matriti* 19. *Maij anno* 1629. vbi loquendo de dicto Brevi Gregorij XV. ita statuit: *Consultado el Ilustrissimo Señor Cardenal, ha parecido, que se executen los casos que se ofrecieren, advirtiendo, que aunque en el suena, que se dà jurisdiccion acumulativamente al Santo Oficio, ha declarado su Santidad, que no se entienda esta acumulacion en las Inquisiciones de los Reynos de su Magestad; y si algun Ordinario se entremetiere à conocer del dicho delicto, se inhibirà, dando luego aviso de ello al Consejo.* Ideòque Pater Molina *tom. 6. de iust. & iure tract.* 5. *disp.* 28. *num* 13. hæc habet: *Postquam hæc scripsi accepi, litteras Apostolicas esse in Hispanijs, in quibus præcipitur, vt hæc Episcopi, & alij Ordinarij Inquisitoribus relinquant, neque in eis se intromittant.* Quid clariùs pro nostra conclusione?

§. II.

Occurritur fundamentis contrarijs, & aliqua corollaria resolvuntur.

47 PRimùm fundamentum contrariæ sententiæ potest sic proponi: Bulla Gregorij XV. loquitur absolutè de Episcopis,& Inquisitoribus omnium Regnorum Christiani Orbis; sed de illis dicit, quòd cognoscere, & inquirere possunt de crimine solicitationis simul, vel separatim: ergo etiam in Regnis Hispaniæ, vbi adest Inquisitio, Ordinarij habent facultatem per dictam Bullam inquirendi, & cognoscendi de crimine solicitationis simul, vel separatim,quia vbi ius non distinguit,nec nos distinguere debemus.

48. Vt respondeas huic fundamento recole, quæ dixi in notabilibus, scilicèt ante Bullam Gregorij XV. solos Inquisitores in Hispania facultatem privativam quoad Episcopos habere cognoscendi de crimine solicitationis; hoc enim privilegium non derogatur per Bullam Gregorianam; imò potiùs illud confirmat; siquidem omnia contenta in Bulla Pij IV. refert absque eo, quòd aliquid deroget, quare respondetur, quod Bulla Gregorij XV. in ordine ad cognoscendum de hoc crimine per Ordinarios separatim, loquitur(cũ directa sit ad omnia Regna Catholica) de alijs Regnis, & Inquisitionibus, vbi talis consuetudo, & privilegium Papæ non adest,inquibus per dictam Bullam de crimine solicitationis possunt Ordinarij extra Regna Hispaniæ simul, vel separatim cognoscere,etiam si sit Inquisitio.

49 Secundum fundamentum contra vltimum quòd dixi de epistolis D.Inquisitoris Generalis,& Consilij Supremi, sic proponitur: declaratio adducta à D. Inquisitore Generali,& à Supremo Consilio, hodie non subsistit, quia Vrbanus VIII. in quodam motu proprio edito *die* 20. *Decembris*

anno

anno 1631. de plenitudine potestatis derogavit omnia vivæ vocis oracula, etiam facta ad instantiam Regum, quamvis sint subscripta ab aliquo Eminentissimo Cardinali; sed privilegium allegatum, per vivę vocis oraculum fuit concessum, vt constat ex tenore epistolarum: ergo hodie possunt cognoscere separatim Ordinarij, etiam in Hispania, de crimine solicitationis per facultatem concessam in Bulla Gregoriana. Respondetur fuisse derogata omnia vivæ vocis oracula, quę continebant novum privilegium, non autem ea, quæ erant declarationes Summorum Pontificum, & in hoc facto à Gregorio XV. ipse Summus Pontifex declarat iurisdictionem Inquisitorum in Hispania, & nullam de novo concedit.

50 Tertium fundamentum sic se habet: possunt Episcopi procedere separatim ab Inquisitoribus contra suspectos in fide, imò contra hæreticos, vt patet, *ex cap. per hoc, de hæret. in 6.* ex quo capite inferunt gravissimi Doctores, vt Panormitanus, *in cap ad abolendam de hæret.* cum Glossa, Silvester *ver. Hæreticus, §. 2. num. 10.* Simancas *de Cathol. inst. titul. 25. num. 4.* iurisdictionem Inquisitorum Episcoporum iurisdictioni non præiudicare, quia conceditur cumulativè, non autem privativè; sed crimen solicitationis generat suspicionem in fide: ergo possunt Ordinarij procedere separatim ab Inquisitoribus contra Confessarios solicitantes tanquam suspectos in fide.

51 Respondetur ad maiorem, in qua est tota vis argumenti cum distinctione: Episcopi possunt separatim cognoscere, & procedere contra suspectos de fide in terminis iuris communis concedenda est propositio; ex consuetudine, & privilegio Apostolico in Hispania, est neganda: hæc doctrina est Ludovici Molina *de iust. tract. 5. disp. 28. num. 13.* Videatur, quia ex suis rationibus constat, quam vtilitèr talis consuetudo fuit introducta in Hispania, & privilegium Pontificium concessum.

52 Potest pro sententia contraria addi hoc quartum fundamentum, vt constat ex quæstione proemiali, vt Iudices

cog-

cognoscant de aliquo crimine, vel causa sufficit probabilitas circa iurisdictionem; sed est probabile, vt constat ex contraria sententia defensata à gravibus Auctoribus cum fundamento in diplomate Pontificio, quod Ordinarij, separatim ab Inquisitoribus, possunt cognoscere de crimine solicitationis: ergo sequendo illam possunt inquirere, & cognoscere contra solicitantes separatim. Respondetur, non sufficere, vt dixi in eadem quæstione proemiali, quòd sit opinio probabilis quomodocumque circa iurisdictionem, sed vlteriùs requiritur consuetudo, & praxis procedendi in tali Tribunali sequendo illam sententiam probabilem de iurisdictione; & in hac materia praxis est in contrarium, si quidem in omnibus Inquisitionibus Hispaniæ procedunt, & inquirunt de hoc crimine DD. Inquisitores, & ad pronunciandam sententiam contra solicitantes simul Inquisitores, & Ordinarius concurrunt.

53 Inquires, an in Regnis, in quibus non adest Inquisitio Hispanica, si Confessarius solicitans, & fœmina solicitata eodem tempore citentur ab Episcopo, & Inquisitoribus, debeant comparere coram Inquisitoribus, vel Episcopo? Hoc dubiolum moveo, quia meo videri illud inconsequenter resolvit Diana *loco citato, vers. Notandum est*; quia cum communi sententia fatetur, per Bullam Gregorij XV. Episcopos habere iurisdictionem procedendi contra Confessarios solicitantes separatim in Regnis, in quibus non adest Inquisitio Hispanica, & in hoc §. asserit, quod iurisdictio Inquisitorum in hac parte est potentior, quia delegata à Summo Pontifice, & Episcoporum Ordinaria: in quo imbolvitur inconsequentia, quia per dictam Bullam sunt æquales Inquisitores, & Ordinarij; ac per consequens habent ambo iurisdictionem delegatam. Quare iudico in talibus Regnis, vbi non adest Inquisitio Hispanica, posse comparere coram Episcopo, vel coram Inquisitoribus, quia per dictam Bullam sunt æquales, & aliundè sicut Inquisitores habent iurisdictionem delegatam, & ordinariam, ita Episcopi.

Ex

54 Ex dictis in hac quæstione infero primo cum Escobar à Carro *part. 3. de Confessarijs solicitan. quæst. 1. de Iudicib. in caus. solicit. num* 8. contra Fagundez *ad 2. præceptum Eccles. lib. 4. cap. 3 num. 45. & 47.* non excusari fœminam solicitatam ad denunciandum Confessarium Inquisitoribus propter denunciationem factam coram Ordinario in Hispania; nam licèt Bulla Gregorij XV. sit recepta in Hispania, est cum ipsa declaratione ipsius Summi Pontificis; nempè quòd in Regnis, in quibus adest Inquisitio Hispanica, cognoscere de crimine solicitationis, solùm competit Inquisitoribus, non autem Ordinarijs separatim. Præterea, quia respectu Hispaniæ non est verbum in Bulla, quod sonet derogationem huius facultatis, imò colligitur contrariū cum simul confirmet Bullam Pij IV. in qua Inquisitori Generali Hispaniæ facultas privativa cognoscendi de hoc crimine conceditur.

55 Infertur secundò cum eodem Escobar *num. 9.* quod si solicitans, vel est absolutus, vel condemnatus ab Episcopo, post Constitutiones Apostolicas, possunt Inquisitores iterùm cognoscere, & iudicare de tali crimine solicitationis; nam cum hoc crimen generet suspicionem in fide ad minùs de levi; ideòque facultas de illo cognoscendi privativè ad Inquisitores pertineat; etiam si talis Confessarius sit absolutus, vel condemnatus possunt Inquisitores illum reassumere, saltem vt illum cogant ad abiurationem de levi.

56 Dices: ergo saltem in casu, in quo Confessarius solicitans non esset suspectus in fide posset puniri ab Ordinario, & posteà non esset remittendus ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis. Probatur, quia cessante præsumptione contra fidem, suspenditur iurisdictio Inquisitorum; sed in hoc casu cessat præsumptio: ergo talis solicitans potest puniri ab Ordinario absque eo, quòd posteà remittatur ad Inquisitores. Respondetur negando consequentiam, & maiorem illius probationis; nam licèt ratio commissionis sit suspicio, commissio autem Pontificis absoluta est. Ex quo infert Molse-

fessus *in Summ. tom. 1. tract. 7. cap. 24. num. 45.* quòd si Confessari solicitantes non sunt suspecti de hæresi (quòd solùm in aliquo casu extraordinario potest contingere) ab Inquisitoribus pœnitentia salutaris sine abiuratione secundùm qualitatem delicti imponi debet: ergo adhuc in casu, in quo non est suspicio de hæresi, facultas cognoscendi de hoc crimine privativè pertinet ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis.

57 Infertur tertiò ex doctrina traddita à Castro Palao *1. part. tract. 4 disp 8. punct. 13. de modo iudicandi in causis fidei* contra Pegnam *in direc. part 3. comment. 97.* quòd si Episcopus absque Inquisitoribus, vel Inquisitores absque Episcopo, vel eius Vicario sententiam condemnatoriam contra solicitantes proferant est nulla; nam postquam in *Clementina 1. de hæret §. duro*, dixit Pontifex non posse Inquisitorem sine Ordinario, vel è contra, ad sententiam contra reos procedere, concludit: *Non valebit, etsi secùs præsumptum fuerit irritum sit, & innane*, sed quod irritum est, & innane nullum præstat effectum: ergo talis sententia erit nulla; imò propter hanc rationem, si postea coincideret in idem delictũ, vel in hæresim abiuratam, si esset hæreticus, non esset puniendus vt relapsus.

§. III.

Aliqua dubiola connexa cùm quæstione resolvuntur.

58 EX vltimo corolario oritur primùm dubiolum non contemnendum: supposito quòd Inquisitores sine Episcopo, nec Episcopus sine Inquisitoribus non possunt proferre sententiam contra solicitantes, quæ condemnatoria sit, an sententia diffinitiva absolutoria, vel interlocutoria, qua reus absolvitur à tortura, vel ab alio actu possint Inquisitores sine Episcopo, vel è contra proferre? certum est non posse fieri hoc in Hispania; nã in instructionibus particularibus datis Inquisitoribus disponitur, quòd Inquisitores

tores sine Ordinario non proferant tales sententias, & iuxta tales instructiones iurisdictio Inquisitoribus conceditur à D. Inquisitore Generali. De hoc stylo attestatur Simancas *de Cathol. instit. tit.* 3. *rubric. de absol. num.* 9. Difficultas maior est an attento iure communi ita fieri debeat? Azorius 1. *part. lib.* 8. *cap.* 18. *quæst.* 16. dicit, debere fieri absolutionē cum concursu Inquisitorum, & Ordinarij, & vocat hanc sententiam tutiorem, & æquiorem.

59 Fundamentum principale est; quia antequam Inquisitor proferat contra reum sententiam debet Episcopum requirere, & inter se communicare processum, & videre, an reus sit condemnandus, vel absolvendus: ergo assistentia vtriusque requiritur ad condemnandum, & absolvendum; aliàs si valida esset sententia diffinitiva, quando absolvitur reus, dissentiente Ordinario, vel è contra, ex iure communi non esset remittenda causa Pontifici, sicut disponitur *in cap. per hoc*, sed debebat prævalere sententia absolutoria, vtpotè in favorem rei. Ideòque in Inquisitione Hispanica, quando non est fundamentum ad damnandum reum, optimè proceditur non pronuntiando sententiam diffinitivam, sed suspendendo causam.

60 Sed quia contraria sententia fere communis est, placet referre eius principale fundamentum, quòd est huiusmodi: à iure antiquo non est recedendum nisi quando per ius novum expresse est correctum, *l. Sancimus, C. de testament. l. præcipimus, de appellat, authent. de non alien. aut permut. rebus Eccles.* §. *fin. cap. ad nostram de regular.* sed iure antiquo disponitur expressè, quòd Episcopus potest diffinire totum hoc negotium, & hoc solùm est correctum quoad sententiam condemnatoriam, vt constat ex *Clement.* 1. per illa verba: *Neque ad sententiam procedere contra eos*: ergo quilibet eorum potest separatim proferre sententiam absolutoriam. Præterea, quia motivum Summi Pontificis ad stabiliendum concursum Inquisitoris, & Ordinarij, fuit propter multas quærelas diversorum; sed quærelæ non fuerunt de absolutionibus,

ſed de condemnationibus: ergo quo ad ſententiam abſolutoriam non fuit correctum ius antiquum; ac per conſequens, quilibet eorum ſeparatim ſententiam abſolutoriam proferre poteſt.

61 Confirmatur; quia in quodam reſcripto Vrbani IV. quod incipit: *Præ cunctis*, §. *ſi vero*. & *Clement.* 7. incipiente *cum ſicut* dicitur, quòd Inquiſitores in criminibus contra fidem procedant contra exemptos, & ad proferendam ſententiam, ſi fuerit condemnatoria, concurrant, & procedant cum conſenſu Ordinarij: ergo tales textus inſinuant tacitè, quòd ſi ſententia fuerit abſolutoria non eſt neceſſarius concurſus Ordinarij: ergo ſi regularis in crimine ſolicitationis abſoluitur, vel quia de illo non eſt conuictus, vel propter beneficium ſpontaneitatis, non eſt neceſſaria aſſiſtentia Ordinarij, ſed poſſunt ſeparatim DD. Inquiſitores proferre ſententiam.

62 Fateor fundamentum eſſe efficax, ſed non ideò recedendum à ſententia negante: primò quia *in cap. per hoc de hæret. in* 6. abſolutè præcipitur, quòd in cauſis in quibus debet dari ſententia per Epiſcopum, & Inquiſitores, tàm contra reos, quàm pro reis, ambo concurrant. Secundò, quia licèt in Clementina ſolùm directè ſit ſermo de ſententia condemnatoria, indirectè loquitur de qualibet ſententia, quia requirit, quòd communicetur proceſſus, & examinetur per Inquiſitores, ſimul cum Epiſcopo, quod eſt neceſſarium non ſolùm pro ſententia condemnatoria, ſed etiam abſolutoria: ergo non ſolùm requiritur concurſus Epiſcopi, & Inquiſitoris, ad proferendam ſententiam condemnatoriam, ſed etiam ad abſolutoriam.

63 Ex quibus oritur aliud dubiolum: quid faciendum cum Inquiſitores, & Ordinarius diſcordant in proferenda ſententia? Reſpondeo ſpectato iure communi eſſe recurrendum ad Summum Pontificem, ipſiq; eſſe cauſam remittendam cum ſummaria informatione; ſic determinatur *in cap. per hoc de hæret. in* 6. vbi habentur hæc verba: *In qua* (ſcilicet

ſen-

sententia) *ferenda si non convenerint, per vtrosque negotium sufficienter instructum ad Sedem Apostolicam remittatur.* In Hispania autem causa remittitur ad Inquisitorem Generalem, & eius Senatum, & prout ipsis videtur executioni mandatur; hoc enim habet Inquisitio Hispanica ex iure particulari, vt testatur Molina *tract.* 5. *de iust. disp* 28. *num.* 14. & nullo modo contrarium potest credi; nam ita observatur in omnibus Inquisitionibus Hispaniæ, & non ita fieret sine speciali commissione Sedis Apostolicæ, ob præiudicium Ordinariorum.

64 Tertium dubiolum; an sit valida sententia contra sollicitantem in aliquo casu absque concursu Ordinarij? Aliqui supponendo cum sententia communi, quòd Ordinarius ad proferendam sententiam debet esse requisitus ab Inquisitoribus, respondent cum distinctione, & dicunt, quòd si intra octo dies à puncto requisitionis non comparet per se, vel per Vicarium ad significandum suum dictamen propter infirmitatem, sententia est nulla; sic Bonifacius de Vitalinis *dicta Clement.* 1. *num.* 75. *vers. Si propter infirmitatem,* Farinacius *quæst.* 186. *num.* 97. Sed absque limitatione est dicendum, quòd si requisitus intra octo dies non comparet, possunt DD. Inquisitores per se solos proferre sententiam; nam dicta Clementina dicit posse procedere requirentem, si requisitus intra octo dies non potuerit, aut noluerit convenire: ergo non solùm quando Ordinarius non vult convenire, sed etiam quando non potest, valida est sententia; in casu infirmitatis non concurrit, quia non potest: ergo si Inquisitores proferant sententiam talis sententia valida erit.

QVÆSTIO III.

Quæ personæ subijciantur Tribunali Inquisitionis per crimen solicitationis, & quæ sint exemptæ.

§. I.

Resolvitur quæstio quo ad aliquas personas subiectas, & exemptas.

65 Licèt Bulla Gregorij XV. sit tam expressa; vt nullus allegaret ignorantiam, ponam gradatim in hoc §. personas, quæ absque controversia per illam iurisdictioni DD. Inquisitorum subijciuntur, & postea, quæ per privilegia Summi Pontificis eximuntur. Primo dico, quod si Sacerdos, qui caret iurisdictione ad audiendas confessiones, illas audit, & solicitat, tenore dictæ Bullæ est denunciandus DD. Inquisitoribus. Probatur; quia iste Sacerdos simplex absolutè dicitur Confessarius, cum habeat potestatem ordinis, ideòque possit absolvere à peccatis venialibus, & in casu necessitatis ab omnibus; sed omnes Confessarij solicitantes per Bullam Gregorianam subijciuntur Tribunali Inquisitionis: ergo & simplex Sacerdos solicitans etiam si careat potestate iurisdictionis.

66 Dices: suppono quòd mulier solicitata diceret, quòd illa habebat peccata mortalia, de quibus simplex Sacerdos non potest absolvere; in hoc casu iste non est Confessarius respectu huius feminæ, quia caret iurisdictione absolvendi à peccatis mortalibus: ergo cum Bulla sit contra Confessarios solicitantes, femina solicitata per simplicem Sacerdotem esset absque onere denunciandi; ac per consequens huiusmodi Sacerdos, vi Bullæ Pontificiæ, non subijcitur iurisdictioni Inquisitorum. Dupliciter respondetur ad hanc instantiam: primò sufficere in illo Sacerdote esse iurisdictionem absolven-

tendi à peccatis venialibus, vt dicatur Confessarius solicitans comprehensus in Bulla; sicut diceretur Confessarius solicitans comprehensus in eadem Bulla si solicitaret pœnitentem, qui solùm haberet peccata reservata, ad quorum absolutionem iurisdictionem non haberet. Secundò respondetur, quòd etiam si liberaretur, quia non solicitaret in actu Sacramentalis confessionis, coincideret in manus Tribunalis tenore Bullæ, quia simularet confessionem venialium.

67 Secundò: subjciuntur iurisdictioni Inquisicionis omnes Confessarij solicitantes, sivè sint sęculares, sivè regulares virtute Bullæ Gregorij XV. Probatur apponendo verba Bullæ, quæ loquendo de Confessoribus denunciandis in Sancto Officio, hæc habet: *Omnes & singuli Sacerdotes, tàm sęculares, quàm quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ, immediatè subiectorum ordinum, institutorum, societatum, & Congregationum regulares, cuiuscumque dignitatis, & pręheminentię, aut quovis privilegio muniti existant &c.* En quo modo per dictam Bullam omnes Confessarij subijciuntur iurisdictioni Inquisitorum, si in crimine solicitationis sint cōprehensi.

68 Ex quo sequitur, nec iure, nec ratione nitti sententiam Sousæ *in Aphor. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 55. vbi pro certo statuit posse Confessarium circa dubiam solicitationem puniri per suum superiorem. Dixi non nitti iure, nec ratione, quia per verba relata Bullæ Gregorianæ nulla est iurisdictio in superiore regulari in casu certo solicitationis: ergo nec in dubio, præcipuè ad punitionem, quæ omninò iurisdictionem, & certitudinem requirit, *ex l* 1. §.1. *aut damnum* 8. §. *profect.* 5. *de pœnis*, *l.* 2. *cap. eodem*: & si hoc esset verum superiores regulares haberent iurisdictionem in omnibus delictis solicitationis, saltem ad inquirendum; an solicitatio esset vera, vel dubia, quod esset contra Bullas Pontificias, & iurisdictionem Inquisitorum.

69 Quòd enim pro certo habeo est, quòd si Confessarij regulares in audiendis confessionibus habeant aliquos excessus

ius extra lineam solicitationis, ex quibus oriatur levis suspicio, quòd non tractant Sacramentum Pœnitentiæ ea integritate, gravitate, & puritate, vt expedit; vt si frequentèr habeant locutiones, & coloquia cum spiritualibus filijs, possunt corrigi per suos superiores, & taliter possunt excedere, vt puniãtur, nõ sub nomine solicitationis, sed sub alio titulo, quia possunt esse delicta alteriùs lineæ.

70 Nec valet dicere, quòd beatus Pius V. sancivit in cõstit. quæ incipit: *Pastoris æterni*, vt Inquisitores possint inquirere in omnes Religiosos hæreticos, vel de hæresi suspectos, dummodo à suis Superioribus præventi non fuerint: nam hodie stat Constitutio Pauli V in qua interdicitur Prælatis regularibus cognoscere de causis hæreticalibus suorum subditorum, eosque punire, vt benè notat Santarellus de hæresi, *cap. 40. dub. 3. num. 21.*

71 Dico tertio: Episcopos consecratos non subijci in crimine solicitationis Inquisitoribus; quia Episcopus non est subiectus illis: constat ex Trident. *sess. 24. cap. 5. de reform. & ex c. Inquisitores de hæret. in 6.* vbi in crimine hæresis Episcopi non subduntur Inquisitoribus: ergo multò minùs in crimine solicitationis; si quidem solùm generat suspicionem in fide. Propter eandem rationem nec subduntur Episcopi titulares, quia verè sunt Episcopi; nec Episcopi electi, & à Sede Apostolica approbati, etiam si consecrati non sint; quia ex approbatione Sedis Apostolicæ nanscisci tur iurisdictionem Episcopalem, & privilegia illi annexa. Ita Molina *tom. 6. de iust. tract. 5. disp. 28. num* 19. Contrarium est dicendum de Episcopo electo, sed non approbato; idem Molina loco citato *num.* 20.

72 Dico quarto: Nuntios, seu Legatos Sedis Apostolicæ, & Ministros alios eiusdem Sedis, vel Officiales, nec in crimine solicitationis, nec in alio gravissimo, esse subiectos Inquisitoribus, neque Ordinarijs. Constat ex Extravag. *cum Matheus de hæret.* Et communiter hæc assertio patrocinatur ab omnibus Auctoribus. Dicuntur delegati Sedis Apostolicæ, vel

vel Ministri, qui mittuntur nomine Sedis Apostolicæ ad negotium tractandum eiusdem Sedis; non autem illi, qui ad causas particulares inter alios iudicandas, ac dirimendas quotidie à Sede Apostolica mittuntur, quia licèt isti sint Ministri, & negotium tractent nomine Sedis Apostolicæ, non faciunt eius negotium, sed personarum particularium, vel communitatum. Ita Molina *tract. 5. disp. 28. num. 20.*

73 Dico quinto: si Inquisitores solicitant in confessione non sunt denunciandi Episcopo, sed Excelentissimo D. Inquisitori Generali, & magno Inquisitionis Cõsilio. Sic Eximius Doct. P. Franciscus Suarez *de fide. disp. 20. sect 4. num. 26.* Diana *4 p. tract. 8. resol. 25.* licèt dicãt Hemeric *lib. 3. director. Inquisit. quæst. 30.* & Pegna *Schol. 79.* esse Inquisitores annumerandos inter Delegatos Sedis Apostolicæ. Sed mihi videtur certior sententia Simanch. *tit. 25.* dicentis, hos esse Ministros, vel Commissarios Inquisitoris Generalis: ergo si incidant in hoc, vel in alijs criminibus non sunt denunciandi, nec Episcopo, neque alteri Inquisitori, sed Supremo Senatui, vel Generali Inquisitori. Sed si Inquisitores denunciandi sunt (quod nunquam evenit) vt corrigantur, vel puniantur, vnus Inquisitor potest accipere depositiones testium, & illas remittere Inquisitori Generali, vel Supremo Senatui.

74 Ex quibus infero primò; Laicos fingentes se Sacerdotes, & Confessiones excipientes si solicitent ad venerea non esse denunciandos vi Bullarum contra solicitantes, quia istæ Bullæ solùm loquuntur de Sacerdotibus. At ex Constit. Gregorij XIII. lata adversus illos, qui se simulant Sacerdotes, & excipiũt Confessiones sunt denunciandi; suntquè etiam alia decreta contra prædictos Pauli IV. Sixti V. & Clementis VIII. de quibus in secunda parte.

75 Infero secundò; neque interpretem Confessionis etiãsi Sacerdos sit, & in confessione solicitet pœnitentem non esse denunciandum tenore Bullarum contra Confessarios solicitantes; quia interpres non est Confessarius, sed se tenet ex parte pœnitentis. Ita Ioannes Sanchez *disp. 11. num. 10.* &

37. Neque vi harum Bullarum esse denunciandum pœnitentem Confessarium solicitantem, quia dictæ Bullæ, & earum pœnæ non sunt contra pœnitentes, sed contra Confessarios solicitantes. Iterum in 2.p.de hoc erit sermo.

76 Sed superest vnum dubiolum, scilicèt; quibus personis faciēda est denunciatio contra Episcopos, Archiepiscopos, & Legatos Sedis Apostolicæ, si forsitā aliqui istorum solicitent in confessione; quia isti vt dixi non sunt subiecti Inquisitoribus, neque in hoc crimine, neque in alijs? Credo sub censura, quòd si hæc denunciatio fieri non potest Summo Pastori ob loci distantiam, vel ob aliam causam vrgentem potest fieri Inquisitoribus fidei. Ratio est, quia licèt Inquisitores non possint formare processum, incarcerare, nec sententiare prædictos immediatè subiectos Sedi Apostolicæ, nihilominùs benè possunt excipere testimonia, & dicta testium, & ita illa remittere ad Summum Pontificem; & colligitur ex Extrag. *cum Matthæus de hæret.* ergo denunciatio huius delicti contra prædictos facienda est Inquisitoribus, non vt iudicent, sed vt referant Pontifici.

§. II.

Vtrùm Generales Religionum possint propter hæresim, vel solicitationem puniri à DD. Inquisitoribus.

77 PRima sententia asserit: DD. Inquisitores non posse procedere contra Generales Religionum, sed ad summum facere summariam informationem, & illam ad Summum Pastorem remittere. Ita Hieronymus Rodriguez *in compend. qq. regul. resol.* 73. *num.* 1. Emmanuel Rodriguez *in qq. regul. tom.* 2. *quæst.* 81. *art.* 1 Navarrus *cap.* 1. *de foro competenti.* Noster Peirinis *tom.* 2. *privileg. Minim. constitut.* 9. *Pauli V.* §. 1. *num.* 2. dicit, quòd in causis Generalium ordinum, antequam contra illos procedatur, debent Inquisitores certiorem facere Supremum Senatum, dummodò

non

non sint suspecti de fuga, quia in hoc casu, possunt eos statim incarcerare. Sed in hoc nihil speciale tribuit Generalibus; quia Inquisitores ad Supremum Senatum fidei omnes causas Sacerdotum, tàm regularium, quàm sęcularium ante incarcerationem mittere debent, & ante executionem sententiæ, quòd inviolabilitèr observatur in praxi ex speciali instructione Supremi Senatus fidei Hispaniarum.

78 Noster Trimarchius *in suo Tractatu de Confessore abutente Sacramento Pœnitentiæ disp. 8. sect. 4.* defensat, quòd cum Generalibus Religionum debent procedere DD. Inquisitores, sicut procedunt cum Episcopis de hæresi suspectis, & præcipuè cum illis Generalibus, quorum Religio ferè est extensa per totum orbem Christianum, vt sunt Generales Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, Sancti Augustini, Minimorum, Iesuitarum, Capuchinorum, &c. dixit præcipuè, quia est certum, quòd rigorosè, omnes Generales etiam si habeant paucas domos sunt æquales in dignitate, vtpotè immediatè subiecti Summo Pontifici, & habent merum, & mixtum imperium in subditos; quòd verò hoc imperium, vel iurisdictio magis, vel minùs extensa sit non variat speciem dignitatis, sicut in Episcopis constat; nam non habet minorem dignitatem Episcopus Iaccensis, quam Episcopus Turiassonensis, etiam si istiùs iurisdictio sit magis extensa, imò quamvis Episcopus non habeat Diœcesim, vt videre est in Episcopo titulari.

79 Sit conclusio: Generales Ordinum non sunt exempti à iurisdictione Inquisitorum vi alicuius privilegij; sed possunt procedere contra illos inconsulto Summo Pontifice si in crimine solicitationis comprehensi fuerint; Idemquè est dicendum de Magistris Ordinum Militarium in crimine hæresis, vel generante suspicionem in fide. Probatur primò de crimine solicitationis, de quo in præsenti, ex Bulla Gregorij XV. hæc sunt verba: *Omnes, & singulos Sacerdotes, tàm sæculares, quàm quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum, Ordinum, Institutorum,*

Societatum, & Congregationum regulares, cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti existant, &c. Ex quibus verbis constat, Provinciales, Generales, imò, & Episcopum electum non confirmatum subijci Inquisitoribus in crimine solicitationis, vt patet ex illis verbis: *Cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ*, quia *in cap. Inquisitores,* solùm eximuntur Episcopi consecrati, vel saltem confirmati: ergo per dictam Bullam subijciuntur iurisdictioni Inquisitorum Generales Religionum, & Magistri Ordinum Militarium.

80 Probatur secundò: quia quòd Episcopi eximantur in causis fidei a iurisdictione Inquisitorum est privilegium, quòd præter *in cap. Inquisitores,* habetur in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 5.* Ex quo inferunt Auctores, quòd etiam in causa atrocissima hæresis, Episcopi non possunt citari ad comparendum, neque ab Inquisitoribus, neque à Cardinalibus, nisi ex speciali commissione manu Papæ signata: ergo si non eximuntur per aliud privilegium Generales Religionum, & Magistri Ordinum Militarium, subijciuntur iurisdictioni Inquisitorum: hoc enim privilegium hucusque non est in rerum natura. Probatur consequentia, quia vt optimè Eximius Suarez *lib. 8. de legib. cap. 10. num. 4.* privilegium iuri communi contrarium sub eadem ratione odiosum censetur, ideòque potiùs est restringendum quam ampliandum; idque determinavit Rota, vt constat ex novissimis Farinacij *in vna Romanâ mensæ Nummulariæ coram R. Coccin. 3. Iulij* 1614. & etiam sumitur argumentum *ex cap. ne aliqui de privileg. in 6.* ergo per tale privilegium non eximuntur à iurisdictione Inquisitorum Generales Religionum, nec Magistri Militares.

81 Nec valet dicere, quòd Generales in favorabilibus veniunt sub nomine Episcoporum, quia vt dicit noster Trimarchius *loco citato* habent in suos subditos, sicut Episcopi, merum, & mixtum imperium; & immediatè sunt subiecti Summo Pontifici. Non valet primò; quia hoc privilegium, vt di-

dixi, cum sit iuri communi contrarium est odiosum; ac per consequens non est extendendum ad Generales Ordinum. Secundò, quia etiam si admittatur sententia Thomæ Sanchez, qui *lib.7. de Matrim. disp. 47. num. 3.* dicit, in relativis privilegium vni concessum esse probabile concedi alteri; vnde privilegium fori concessum Marito, censetur concessum vxori; quia habent maximam conexionem, & sunt vna caro; sed Generales non habent conexionem cum Episcopis, quia aliàs sicut graviores causæ Episcoporum deferendæ sunt Summo Pontifici, ita Generalium, quòd est falsum, quia Capitulum Generale potest illos punire: ergo in ordine ad hoc privilegium non sunt exempti Generales à iurisdictione Inquisitorum, nec nomine Episcoporum veniunt Generales.

82 Probatur tertio conclusio evertendo principale fundamentum Trimarchij: si Generales non possent puniri ab Inquisitoribus absque speciali commissione Summi Pontificis, ideò esset quia habent nomen speciale, & elegans, ideòque non veniunt in generali loqutione, *ex cap. multa de præbendis, cap. Sedes Apostolica de restitut. cap. ne aliquis de privileg. in 6.* sed etiam si demus, ex hac parte per Bullam Gregorij XV. Generales non comprehendi in iurisdictione Inquisitorum; tamen per Bullam Vrbani VIII. quæ incipit: *Quòd sicut accepimus edita 5. Novembris anno 1631.* comprehenduntur in omnibus causis pertinentibus ad Sanctum Officium, vt constat ex illis verbis: *Nisi specialiter, & expressè excipiantur etiam si ipsi privilegiati forent magis speciali nota, & expressione digni*: ergo in causis pertinentibus ad Sanctum Officium omnes subijciuntur iurisdictioni Inquisitorum, etiam si habeant nomen elegans, vel sint digni speciali nota, si expressè non excipiuntur; sed Generales, & Magistri Militares non excipiuntur, sed tantùm Episcopi: ergo in crimine solicitationis subijciuntur iurisdictioni Inquisitorum.

83 Licèt ex dictis soluta maneant omnia, quæ affert

Trimarchius, vnum argumentum proponam, quòd sic formatur: *in cap. Inquisitores de hæret. in 6.* non solùm eximuntur in causa hæresis à iurisdictione Inquisitorum Episcopi, sed etiam Generales: ergo propter identitatem rationis potiori iure eximuntur in crimine solicitationis. Probatur antecedens in dicto capite hæc habentur verba: *Si tamen Inquisitores ipsi Episcopos, vel alios Superiores Prælatos sciverint, vel invenerint circa crimen hæresis commisisse, id tenebuntur Sedi Apostolicæ nuntiare*: ergo in dicto capite non solùm eximuntur à iurisdictione Inquisitorum in causis hæresis Episcopi, sed etiam Generales, vt constat ex illis verbis; *vel alios Superiores Prælatos*; ac per consequens potiori titulo in crimine solicitationis sunt exempti Generales à iurisdictione Inquisitorum.

84 Respodetur per superiores Prælatos nullatenùs intelligi Generales Ordinum, sed tales Superiores Prælati positi in dicto capite sunt Archiepiscopi, Patriarchæ, Cardinales, & alij delegati Papæ, vt ex verbis capitis cōstat, siquidem dicit *Superiores Prælatos*, quòd est idem ac dicere, quòd excipiūtur illi Prȩlati, qui sunt Superioris dignitatis, aut iurisdictionis quam Episcopi; quia aliàs si per Superiores Prælatos intelligerentur Generales, etiam cum sub nomine Superioris Prælati veniant Provinciales, & Vicarij Generales, omnes isti essent exempti à iurisdictione Inquisitorum in causis fidei, quod nullus dixit, aliundè stat communis intelligentia Doctorum in contrarium.

85 Ex quibus inferò malè dixisse Thomam Hurtado, & inconsequenter loquutum fuisse; siquidem *tract. 4. de Sacerdotib. solicitan. cap. 8. resol. 17. num. 153.* dicit, de Abbatibus, qui non solùm in Clericos, sed etiam in Laicos quasi Episcopalem retinent dignitatem, & iurisdictionem esse philosophandum eodem modo, ac de Episcopis quantùm ad subiectionem respectu Inquisitorum. Dixi inconsequentèr loquutum fuisse, nam si ille nobiscum sentit, Generales Ordinum esse subiectos in crimine solicitationis iurisdictioni Inquisito-

to-

torum, quomodò nunc contrariũ asserit de Abbatibus, siquidem eodem fundamento, quo statuit primos esse subiectos *resol.* 51. *n.* 614. *& seqq.* resolvo esse etiam subiectos secundos, scilicèt Abbates, quia in Bulla Gregorij XV. omnes Confessarij solicitantes includuntur, & aliunde in capite citato *Inquisitores*, non excipiuntur Abbates: ergo in crimine solicitationis subijciuntur DD. Inquisitoribus, quamvis non solùm habeant iurisdictionem in Clericos, sed etiam in Laicos.

QVÆSTIO IV.

An Bullæ contra Confessarios solicitantes sint favorabiles, vel odiosæ.

§. I.

Respondetur quæstioni.

86 HÆC quæstio est cum maxima distinctione, & claritate enucleanda, quia ex illius decisione pendẽt plures casus, qui frequentèr accidunt in materia hac solicitationis, in illa enim duplex est sententia. Prima asserit tales Bullas contra solicitantes esse pœnales, & odiosas: pro hac sententia stat Diana 1. *part. tract.* 4. *de denunciat. resol.* 12. citat Variola, Portel, Fagundez, Rodriguez, & alios, illamque tenet Thomas Hurtado *tom.* 1. *resol. moral. tract.* 4. *de Sacerdotib. solicitant. cap.* 8. *resol.* 32. §. 2. *num.* 349. vbi pro hac sententia citat D. Ioannem Escobar de Corro, sed malè, quia statim pro contraria sententia illum adducam.

87 Secunda sententia tenet quod tales Bullæ contra solicitantes, & præcipuè Bulla Gregorij XV. sunt favorabiles; Diana 4. *part. tract.* 5. *de Confess. solicitant. resol.* 33. hanc sententiam communem vocat, quia ante Bullam Gregoria-

nam Doctores Constitutiones Pontificias extendebant; siquidem in alijs Constitutionibus solùm Confessarijs solicitantes fęminas erant denunciandi tenore Bullarum,& extendebant illas ad solicitantes masculos. Sic Castrus à Palao *1. part. tract. 4. de modo proced. in causis fidei, disp. 9. punct. 1. num. 19.* Noster Peirinis *tom. 2. de privil. Minim. Const. 4. Gregorij XV. §. 5. num. 14.* Escobar à Corro *part. 1. quæst 3. de materia solicitationis num. 7 & seqq.*

88 Hanc secundam sententiam amplector. Fundamentum principale est; quia licèt secundariò hæc Constitutio Pontificia sit pænalis illius finis præcipuus est in favorem Sacramenti Pœnitentiæ,vt puriùs,& honestiùs,& cum maiori fructu animarum tractetur; patet ex verbis Bullæ Gregorij XV. sed quando finis præcipuus alicuius Bullæ favorabilis est,etiam si redundet in alterius gravamen extendēda est vt favorabilis,vt tenet Diana coordinatus *to. 5. tract. 2. de. censur. resol. 51.* citat Glossam *in cap. si propter, verb. Primi ann. de rescriptis in 6. & in cap. sciant cuncti, verb. Alios, de elect. in 6.* Idem tenent Felinus *in cap. de spon. num. 14. vers. Aliud est, & in cap. non dubium, num. 2 de sentent excom.* Bartolus *in l. qui exceptionem, num. 2. ff. de condit. indebit.* Ioann. Albertus, & Salicetus ibidem, Castrensis *in l. si quis, nec causam, num. 4. ff. si certus per.* Cobarruvias *lib. 1. variar. cap. 11. num 5.* qui alios citat, Tiraquellus *in tract in præfat. num. 56.* Mandosius *reg. 10. de ann. quæst. 3. num. 3.* Menoch. *recuper. posses. remed. 1. num. 28. & 38. cum seqq.* Cephalus *cons. 35. volum. 1.* Hondedeus *cons 95. num. 17.* Silvester *verb. Interpretatio in fin.* Sanchez *lib. 1. de Matrimon. disput. 1. num. 4.* Parisius *de resignat. lib. 12. quæst. 2. num. 23.* Ergo hæc Bulla Gregoriana non est vocanda odiosa, sed favorabilis. Probatur minor, nam quando favor, & odium non possunt separari, si finis præcipuus est favorabilis, Constitutio favorabilis vocatur, quamvis redundet in gravamen alterius, sed in hac materia favor non potest separari ab odio, vel onere; nam ex hoc quod Summi Pontifices

fices in favorem Sacramenti, & animarum subijciant Sacerdotes solicitantes in confessione Tribunali Inquisitionis, non potest non redundare in gravamen, & pœnam solicitantis, & finis præcipuus est favorabilis; constat enim hoc *in l. de sygillo servando*, quæ favorabilis est nulla alia ratione, nisi quia cum Sacramentum Pœnitentiæ sit in favorem animarũ, præcipuus finis huius legis est favor, licèt sit gravamen contra Confessarios frangentes sygillum: ergo cum eadem ratio militet in Bullis expeditis cõtra Confessarios solicitantes, quia in illis finis præcipuus est pura administratio Sacramẽti Pœnitentiæ in favorem animarum, tales Constitutiones favorabiles sunt.

89 Probatur secundo conclusio aparitate: quando enim Summus Pontifex concedit aliquod privilegium perpetuum, verbi gratia, quòd tales æquites, eorumq; successores non solvant decimas, quia contra Turcas extrenuè pugnarunt, etiam si ista lex non possit separari agravamine, vel detrimento alteriùs, nempè Episcopi, vel Rectoris; nihilominùs, quia finis præcipuus talis concessionis est favor, hæc lex non vocatur pęnalis, sed favorabilis; sed finis præcipuus Constitutionis Gregorianæ favorabilis est bono communi Ecclesiæ, Sacramento Pœnitentiæ, & animabus: ergo talis constitutio non est odiosa, sed favorabilis.

90 Ne aliqui intelligant esse liberè dictum finem præcipuum Bullæ Gregorianæ favorabilem esse, & aliorum diplomatum Pontificum circa hanc materiam, ponam finem contentum in Bullis. Pius IV. & Paulus IV. non solùm ponunt pro motivo, & fine abusum Sacramenti; sed quòd Confessores solicitantes loco reconciliationis cum creatore nostro onerant pœnitentes graviori molle peccatorum *in manibus Diaboli tradendo in divinæ Maiestatis offensum, & animarum perniciem.* Gregorius XV. in principio suæ Constitutionis omnia motiva proponit; sic loquitur: *Sacrosanctæ Pœnitẽtiæ Sacramento solicitando pœnitentes ad turpia abutatur, ac pro medicina venenũ, pro pane aspidem porrigat, & ex cœlesti medico*

in-

infernalis beneficus, ex Patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur : ergo finis præcipuus Constitutionum Pontificum est favor Sacramenti Pœnitentiæ, bonum commune spirituale, & pœnitentium beneficium : ergo hæc Bulla Gregoriana, & aliæ contra solicitantes favorabiles sunt.

91 Probatur tertiò: omnis dispositio, & lex pro conservanda honestate est favorabilis, vt patet *ex l. 3. § Prætor ait*, & præcipuè si est lata in favorem Ecclesiæ, vel Sacramentorum, *cap 1. §. fin. de postulat. Prælat.* vt constat in omnibus legibus, & dispositionibus Pontificijs factis in favorem immunitatis Ecclesiæ, etiam si secundariò afferant gravamen contra Laicos, & præcipuè dum agitur de salute animæ ad vitandum peccatum. Ita Glossa *in l. omnes 7. verbo Apostolicæ, cap. de serijs*; sed Constitutiones Pontificiæ contra solicitantes in Confessione sunt in favorem Sacramenti Pœnitẽtiæ, animarum, & ad enormia peccata evitanda vt dixi : ergo tales Constitutiones etiam si inseparabiles sint agravamine, non ideò sunt odiosæ, sed favorabiles.

92 Vltimò probatur à paritate; nam licèt verùm sit, quòd Bullæ Pauli V. & Pij IV. nullum verbum loquantur contra solicitantes masculos, nihilominùs ante Constitutionem Gregorij XV. Doctores communiter extendebant pœnas ad Confessarios solicitantes masculos, & Castrus à Palao *loco citato*, ad Confessarios solicitantes simulando se audire confessionem, & proximè ad confessionem, sed in his casibus extensio fiebat Bullarum: ergo quia Constitutiones Pontificię contra solicitantes sunt favorabiles.

93 Præter hucusq; dicta, exornatur nostra resolutio doctrina, & eruditione, quam traddit D.D. Ioan Escobar à Corro *in suo tract. bipartito de puritate sanguinis in nova editione Lugdunensi, quæst. 3. § 2 & 3.* vbi copiosè probat, statuta pro puritate sanguinis esse favorabilia, & non potest negari, onerosa, & pœnalia esse respectu prætensorum. In primis enim *num. 6 & seqq* ostendit, statutum Inquisitionis scilicèt, quòd eius Ministri habeant puritatem, sanguinis favorabile esse,

&

& non alia ratione, nisi, quia cum Inquisitio sit instituta ad punitionem hæreticorum,& præcipuè contra Apostatas à fide comprehensos in sectis Iudeorum, & Maurorum, vt refert Paramus *de origine Sanctæ Inquisitionis lib. 2 tit. 3. cap. 4. à numer. 2.* & ad ipsius fidei propagationem,& defensionem,quæ in publicam omnium vtilitatem vertitur,vt colligitur *ex tit. 6 Decretalium de sum. Trinit. & fide Cathol.* & ex adductis à Vazquez *in 3 part. disp. 169. cap. 1.* Idem tenent Thomas Sanchez *in Decal. lib. 2. cap. 2.* Bellarm. *lib. de pœnis, cap. 8.* Eximius Doctor P. Franciscus Suarez *in 3. part. to 3. quæst. 65. art. 4. in Comment.* & quod fidei causa favorabilis sit probat Textus *in Clement. sæpè, de verborum significat.* & Simancas *de Cathol. instit. cap. 40. num. 30.* Acuña *de Confes. solicitant. quęst. 5. num. 30.* Antonius Sousa *in opuscul. de Confes. solicitant. 1. part. cap. 18. num. 13.* Cum autem qui sunt infecti,quia descendunt ab hæreticis sectarijs,vel ab Apostatis, habeant ratione sanguinis cum inimicis fidei maximam coniunctionem, & amicitiam, quia facilè revertuntur ad mores parentum, vt constat ex cap. *Si gens* 10. & Aristotiles idem docet *in lib de generat lib. 1. cap. 19.* & cum illo Ioseph Mascar. *de probat. conclus.* 1073. *num.* 11. hinc fit talia statuta favorabilia esse.

94 Eadem ratione ostendit idem Escobar *num. 15. & seqq.* statuta ordinum militarium de nobilitate sanguinis favorabilia esse; quia si Ministri Sancti Officij pugnant contra inimicos Fidei calamo, & vigilantia; Æquites Ordinum Militarium armis. Idem statuit de statuto pro puritate sanguinis Ecclesiæ Toletanæ, quia finis huiusmodi statuti est pax,& concordia Ecclesiæ,quæ maximè conducit ad bonum publicum. Constat *ex l. inter claras 8. versic. Nam pax Eccles. cap. de sum. Trinit.* ideòque graviter puniuntur, qui contra Ecclesiæ pacẽ operantur. Text. *in cap. Qui contra 32. 24. quęst.* 10. vbi summarium ait: *Proprio expolientur bonore, qui contra pacem Ecclesię nittuntur*; & cum Iudei, & Hæretici, eorumque descendentes, inquieti mendaces, moribusquè pravis perdi-

ti sint, & nihil magis dissonum paci; hinc est, quòd statutum Ecclesiæ Toletanæ est favorabile. Idemque discurrit in statutis de puritate sanguinis pro Collegijs maioribus Hispaniæ, & de exercentibus prima officia Reipublicæ.

95 Exquibus, & alijs deducit idem Auctor, esse certum apud omnes, leges, & statuta, quæ publicam auctoritatem respiciunt, & concernunt, non esse odiosa, & stricti iuris, sed favorabilia; ac per consequens extendenda ad similes casus; constat *ex l. si quis in gravi 3. §. Hi quoque 14. ad S. C. Sylaneam*; ita explicat Glossa *verb. Alios, in cap. Sciant cuncti, de elect. in 6.* & *in cap. solitè de maiorit. & obed.* Sic Salas *de legib. quæst. 97. tract. 14. disp. 21. sect. 4. & 5.* Joann. Sanchez *in select. disp. 11. num. 12. vers. Et licèt prædicta lex, pag. 49.* Quare dum favor Reipublicæ intervenit, etiam si sit in odium, & pondus aliquorum, statutum nullo modo vt pœnale, sed vt favorabile est habendum, quia dicitur lex favorabilis, vel odiosa à præcipua causa, quam respicit, *l. ita vulneratus 51 circa fin.* Bart. *in l. Qui exceptionem, de condit. in deb.* & *in l. Quemadmodum, cap de Agricola*, & Auctores communiter.

96 Quòd autem statuta, Constitutiones, & Leges pariant extensionem, etiam admisso quòd sint pœnales, in casibus pertinentibus ad favorem Reipublicæ, tradunt Nicol. Ederard. *in topicis legalib. loco à ratione legis larga, numer. 71.* Andreas Tiraq. *in l. si vnquam, verb. Libertis. num. 62. C de revocand. donat.* Marsil. plura adducit *in pract. crim. §. Aggredior, num. 58. & seqq.* Ratio est, quia etiam odiosa, & restringenda ob bonum publicum favorabilia efficiuntur; vt communitèr tenent Doctores *in cap. Quæ sicut.* Ita idem Nicol. Ederad. *in locis legal. loco à ratione legis larga, num. 51.* Quare ob publicam vtilitatē licet recedere à regulis iuris communis, etiam si incidentèr in alterius odium vertatur, vt communitèr probant omnes, *ex l. Qui exceptionem 40. de condict. indeb.* Ita Molin. *de Hispan. primog. lib. 1. cap. 18 num. 2. & seqq.* Andreas Tiraquel. *de retract. in præ-*

fat. num.66. in fin. Iacobus Menoch *de recuper. remed.* I. *à num.7.* etsi contra hoc vltimum sint plures Auctores; tamen dum favor publicus principalitèr,& primario consideratur; odium verò personarum secundario ; tunc Constitutiones, & statuta absque dubio favorabilia sunt. Ita Escobar *num.* 46. qui citat pro hac sententia Velazquez, Tiraquel. Menoch. Nicol. Ederad. Farinac. & alios ; quia semper vtilitas publica privatis commodis præferri debet, *ex l. Actione 63. labeo 5 pro socio, l. vnd. §. penult. C. de conduc. tollend. capit. Bona prima*; & quamvis odium veniat in necessariam consequentiam concessionis favorabilis , considerandum non est.

97 Ex quibus concludit idem Escobar *num.*53. hæc statuta nobilitatis, & puritatis sanguinis , respectu Ecclesiæ Toletanæ, Sanctæ Officij, Ordinum Militarium, Collegiorum,& Senatuum favorabilia esse,quia eorum respiciunt vtilitatem communem, licèt gravamen respectu infectorum afferant; nam in eorum odium inventa fuerunt , vt constat ex serie statuti Toletani, & aliorum ; sed quia potentior , & dignior causa,& finis est favorabilis,siquidem est vtilitas illorum,& causa publica , non sunt vocanda huiusmodi statuta odiosa,sed favorabilia.

98 His positis sic arguo : omnia statuta relata etiam si afferant gravamen non sunt vocanda odiosa,sed favorabilia, quamvis odium veniat in necessariam consequentiam concessionis favorabilis,quia dignior causa, & finis est favorabilis;cum sit publica vtilitas;sed vt constat ex serie Bullæ Gregorianæ , etiamsi talis Bulla sit inventa contra Confessarios solicitantes,& ad sua delicta punienda , & odia veniant in necessariam consequentiam cõcessionis, dignior,& potentior causa est favor Sacramenti,& fidelium,vt constat ex tenore illius : ergo cum à potentiori,& digniore causa,& fine nomen accipiat , non est vocanda odiosa , sed favorabilis.

§. II.

Fundamenta contrariæ sententiæ proponuntur.

99 Contraria sententia gravissima habet fundamenta efficacissima. Primũ est Thomæ Hurtado *loco citato*, vbi ita discurrit: vt aliqua Bulla dicatur favorabilis non debet referri ad bonum commune, sed ad personas; sed istæ Bullæ contra solicitantes, quo ad favorẽ solùm ad bonum commune referuntur, non autem ad particulares personas: ergo non est favorabilis, sed odiosa, & pœnalis. Probatur minor; nam lex lata pro immunitate Ecclesiæ contra Iudices Laicos refertur ad bonum commune; sed hoc non obstanti, vocatur odiosa, & pœnalis ex hac parte: ergo lex, quæ non est in favorem personarum immediatè, sed refertur ad bonum commune pœnalis est, & odiosa.

100 Potest ad hoc dupliciter responderi. Primò iuxta doctrinam Dianæ 4. *part. tract. 5. de Confessarijs solicitantibus, resol.* 33. quòd adhuc admisso, quòd hæ Bullæ sint pœnales, potest fieri declaratio casus ad casum, quando est eadem ratio, & casus est omninò similis, vt fit *in cap. si postquam, de elect. & in leg. quædam, § nummularios, ff. de edendo*; eiusdem dictaminis est Escobar à Corro *loco citato*; nam extensio solùm fit, quando casus non est omninò similis, & in praxi Inquisitionis solùm fit declaratio ad casum omninò similem, vbi est eadem ratio, vel vt dicunt Iurisperiti fit inclusio casus in lege, & tunc non fit extensio, sed in pœnalibus inclusio.

101 Secundò respondetur secundùm nostra principia concedendo leges esse pœnales, etiam si sint favorabiles bono communi, si favor non refertur ad particulares personas; sed est negandum, quòd Bullæ contra solicitantes præter relationem ad bonum commune, quòd non sit de linea præcipui finis relatio favoris ad particulares personas; nam vt con-

constat expressè ex Bulla Gregorij XV. finis præcipuus non solùm est favor Sacramenti Pœnitentiæ, sed etiam pœnitentium, vt constat ex illis verbis: *loco panis porrigit venenum, &c.* Et non refert, quòd sint in gravamen Confessorum, sicut non refert, quòd leges in favorem Ecclesiasticorũ inseparabiles sint ab onere Laicorum, vt dicantur favorabiles.

102 Secundum fundamentum sic proponitur; vt asserit Eximius Suarez *lib. 5. de legib. cap. 2.* per totum; favorabilitas, & odiositas legum summendæ sunt ab earum materia, sed materia Constitutionum Pontificum contra Confessarios solicitantes sunt pœnæ: ergo tales Constitutiones sunt odiosę. Respondetur distinguendo maiorem, favorabilitas, vel odiositas est summenda à materia præcipua, & principaliori cõcedo maiorem, à conexa cũ principaliori nego minorem; materia autem Bullarum contra Confessarios solicitantes; præcipua, & principalior, est favor Sacramenti, & animarum; Ideòque licèt huic fini, & materię præcipuę, pœnæ contra Cõfessarios solicitantes conexæ sint, Bullæ non odiosæ, sed favorabiles vocandæ sunt.

103 Tertium fundamentum militat doctissimè contra hucusque dicta destruendo principale fundamentum nostræ sententiæ in hunc modum: si Constitutio Gregoriana (idem de alijs Pontificijs) esset favorabilis, & non odiosa, ideò esset, vt multoties dixi, & dicunt sectatores nostræ sententiæ, quia in favorem Sacramenti est promulgata, & ad animarum pericula evitanda directa; sed non idcirco non est odiosa talis Constitutio, aliàs nulla lex Pontificia esset odiosa: ergo talis Bulla Gregorij XV. odiosa est. Minor in qua est tota difficultas multipliciter parificatur. Primò, quia omnes leges etiam si odiosissimæ sint habent pro fine favorem totius Reipublicæ, & ipsius bonum. Secundò reservatio votorum est in salutem animarum, & quia pœnalis est odiosa. Tertiò reservatio peccatorum, vt asserit Tridentinum *sess. 14. cap 7.* fuit introducta in Ecclesia in favorem animarum, & tamen quia pœnalis est odiosa: ergo stat benè, quòd Constitutio Grego-

rij sit in favorem Sacramenti, & animarum, & quia pœnalis est non sit favorabilis, sed odiosa.

104 Hoc fundamentum est tam plausibile, & efficax, vt propter illud Sãtarellus de *Hæresi cap. 45. dub. 5. n. 5. vers. Respondeo*, defenset contrariam sententiam, & fateor quod solutionem addequatam in nullo Auctore potui invenire, sed ex diversis principijs videtur posse responderi, quod leges pœnales sunt favorabiles bono communi, & hoc convincere argumentum, libenter concedo; quare non est sufficiens ad hoc vt leges dicantur favorabiles, quòd tales sint respectu boni communis, si aliunde non sunt favorabiles particularibus personis; tunc enim dicuntur leges favorabiles, quando finis præcipuus est favor, & pro illis personis pro quibus est favor non sunt latæ pœnæ.

105 Vt hæc doctrina maneat omnino firma ponam exemplum in legibus favorabilibus Ecclesiasticis; lex enim liberans personas Ecclesiasticas à gavellis est favorabilis, quia finis præcipuus est favor; hoc non obstante in ipsa lege ponuntur, & stabiliuntur pœnæ contra impedientes, & turbantes hanc immunitatem Ecclesiasticis concessam, sed quia pœnæ non sunt latæ contra Ecclesiasticos pro quibus est favor, & hic se habet vt finis præcipuus legis; ideò hæc lex non dicitur pœnalis, sed favorabilis. Verum enim est, quòd Bullæ Pontificiæ contra sollicitantes sunt pœnales respectu Confessorum abutentium Sacramento Pœnitentiæ, sed pœnæ non sunt materia præcipua, & finis Bullarum, sed favor Sacramenti, & Pœnitentium, & respectu illorum pro quibus est favor, non est pœnalis Bulla: unde que Auctores docent communiter, quòd etiam si pœnitentes abutantur Sacramento Pœnitentiæ non subijciuntur pœnis harum Bullarum, quia respectu illorum sunt favorabiles, & si simul essent pœnales non essent Constitutiones favorabiles, sed odiosæ.

106 Per quod patet ad duplicem paritatem de voto, & casibus reservatis, nam constat ex illis, quæ diximus in principio responsionis ratio, ad illud de legibus pœnalibus,

bus, quæ solùm sunt favorabiles respectu boni communis, & nullatenùs in ordine ad particulares personas, sicut sunt istæ Constitutiones Pontificię contra solicitantes, quæ principalitèr ordinantur in favorem Pœnitentium. Nunc ergo facilè constat disparitas ad illud de voto, & casibus reservatis; quia cum reservatio sit gravamen, & onus respectu illorum quibus fit favor dicitur lex pœnalis, idemquè contingit in reservatione peccatorum; sed in Constitutionibus Pontificijs contra solicitantes fit favor Sacramento, & pœnitentibus,& respectu istorū non sunt latæ pœnæ,& aliunde vt constat ex Bulla Gregorij XV. talis favor est præcipua materia, & finis Constitutionis,vel legis Pontificiæ, ideòque tales Bullæ non sunt odiosæ,sed favorabiles.

107 Si autem vis sequi opinionem communem asserentem tales Bullas esse merè pœnales, & odiosas, idem resolves in casibus occurrentibus, si teneas quod ratio expressa in lege extenditur ad omnes eius species; etiam si lex sit merè pœnalis. Ita Andreas Tiraquell. *de cessante causa, limit. 2. num. 1.* Menoch. *cons. 11. num. 10.* quod est idem ac dicere, quòd lex pœnalis circa vnum casum extenditur ad omnes similes in quibus est eadem identitas rationis expressæ in lege, constat *ex leg. si vxor 13. § 1. ad l. Iul. de adulter.* ideòque consequenter defendunt isti Auctores, quòd casus expressi in lege solùm ponuntur exempli gratia, exquibus abundè invenies in decretalibus.

QVÆSTIO V.

An in crimine solicitationis ante denunciationem sit præmittenda correctio fraterna.

§. I.

Aliqua vtilia ad quæstionem referuntur.

108 VT cum maiori fundamento in hac gravissima quæstione procedam, oportet aliqua supponere

re de denunciationibus,& de correctione fraterna iuxta mẽtem Doctorum disputantium ex professo de hoc puncto. Pro quo suppono primò;denunciationem non esse allud: *Quam delationem criminis sine inscriptione ad Iudicem competentem ex vi præcepti, vt reus corrigatur, aut puniatur.* Colligitur hæc diffinitio denunciationis, *ex cap. 2. & 3. cap. super his 11. de accusat. cap. novit 13. de indicijs.* Ita Escobar à Corro *p. 2. quæst. 1. num. 2.* & alij, quos citat.

109 Breviter explicatur diffinitio: per illas particulas: *Delatio criminis*, convenit denunciatio cum accusatione, quia etiam ista est delatio ad vindictam, & pœnam. Per cęteras particulas discriminatur ab accusatione. Primò, quia ad accusationem requiritur inscriptio, vt constat ex pluribus legibus antiquis, licèt hodie non sint in vsu; sed non cessat similitudo supplicij in calumniantes, per *leg 3. §. idem Divus de testib. leg. 3. cap. de advoc. diversorum indicior.* Quarè denuntiator non tenetur suam assertionem probare; sed denunciatio debet fieri apud Iudicem competentem, qui de causa cogniturus est; & dicitur: *ex vi præcepti*; nam de crimine solicitationis, de quo loquimur, est præceptum formale denunciandi, quia licèt sit præceptum naturale ad denunciandos solicitantes, quia tale crimen est contra bonum commune, in dispendium animarum, & abusum Sacramenti; tamen huic præcepto naturali additur aliud positivum. Quarè qui omittit denunciationem non solùm peccat contra charitatem, ex qua oritur naturale præceptum, sed etiam contra iustitiam, ex qua tenemur obedire mandatis Superiorum, licèt plures Auctores non sine fundamento affirment vtrumque præceptum tantùm respicere vnam virtutem, & ex transgressione vnicum oritur peccatum, licèt gravius; sed cum hac differentia, quòd in præcepto positivo additur pœna excommunicationis.

110 Denique apponuntur illa verba in diffinitione: *Vt reus puniatur, aut corrigatur*: nam denunciatio fit Inquisitoribus tanquam Patribus, & applicant remedium, eo modo, quo in-

infirmitas possit corrigendo lascivum Confessarium ob illius bonum spirituale, quòd principalitèr intenditur per denunciationem. Ideòque Summi Pontifices taxant diversas pœnas contra Confessarios solicitantes, vt DD. Inquisitores tanquam periti medici illas applicent secundùm qualitatem morbi, & si oportet Confessarius tantùm corrigatur; si autem fuerit expediens puniatur gravibus pœnis, quia indiget efficatiori medicina, qui gravius ægrotavit.

111 Suppono secundò, quod vt aliquis sub censura teneatur denunciare oportet, vt subditus sit ferentis censuram, consequenterque, qui non est subiectus superiori concedenti monitorium, ędictum, vel legem sub excommunicatione, non ligatur excommunicatione lata contra non revelantes. Ita tenent communiter Theologi, & Canonistæ, & ratio est, quia præcipere est actus iurisdictionis; sed nemo potest iurisdictionem exercere in non subditum: ergo non potest ligari censura aliquis, si ferentis censuram subditus non est.

112 Suppono tertiò, quod nemo tenetur in sui damnum, vel in causa propria denunciare delinquentem, nisi aliter postulet commune bonum. Ratio est, quia non est præsumēdum Prælatum velle obligare contra ipsum denunciantem. Dixi nisi aliter postulet bonum commune, nam si oportet ad bonum commune, quia præferendum est particulari, etiam in causa propria est denunciandum, vt dicam postea de fęmina, quæ est complex delicti Confessarij solicitantis.

113 Suppono quartò non esse obligationem denūciandi ea, quæ non scimus verè, & realitèr. Probatur hæc suppositio; quia obligatio denunciandi non est extendenda vltra id quod præcipitur in ędictis; sed ędicta solùm loquuntur de scientibus; & qui non scit verè, & realitèr aliquid, propriè non dicitur sciens: ergo non est obligatio denunciandi nisi ea, quæ verè, & realitèr scimus. Vnde vt talis obligatio resultet in nobis oportet illa contenta in ędictis scire per administrationem alicuius sensus externi: ex quo deducitur, quòd

vt sit obligatio denunciandi crimina contenta in ędicto Inquisitionis sufficit vt quis habeat notitiam per auditum, nam verba ędicti sunt: *Si sabeis, ò aveis oydo dezir.*

114 Suppono quintò contra Bonacinam *tom. 1. disp. 6. de onere. & obligatione denunciandi, punct.* 1. § 4. *num.* 40. quòd vt aliquis habeat obligationem denunciandi non oportet, quòd possit probare delictum. Probatur, nam eodem loco loquendo de teste dicit, quòd si ædictũ præcipit testificare, tenetur quis se offerre in testem, etiam si non possit probare delictum, quia hoc non pertinet ad testem; sed neque ad denunciantem, quia in hoc distinguitur ab accusante: ergo quãdo in ędicto præcipitur denunciatio, si aliud non obstet, tenetur, qui scit delictum denunciare delinquentem; etiam si illud non possit probare. Quod est veriùs in delictis pertinentibus ad Sanctum Officium, quia Promotor Fiscalis præsentat denunciantes vt testes; quare si est obligatio testificandi, etiam si delictum non possit probari, etiam denunciandi in Sancto Officio, quia idem est ac præcipere testificationem.

115 Suppono sextò ex doctrina communi tradita à Bonacina *loco citato* §. 5. *num.* 1. & 2. quòd quamvis vi ædicti nemo obligetur ad revelandum, id quod scit sub secreto naturali, vel ratione consilij, vel ad remedium adhibendum pro salute animæ, aut corporis, aut si quis perijt remedium à medico, vel consilium ab advocato, quia obligatio secreti est de iure naturæ. Si delictum est in damnum Reipublicæ, vel tertij, vel contra bonum commune, & publicum spirituale, vel temporale: tunc enim non est servandum secretum, excepto secreto Confessionis; & ratio adæquata est, quia ius naturale dictat vt servetur secretum, nisi iusta, & rationabilis causa aliter postulet; sed causa rationabilis est, quòd tale secretum non servetur, quando delictum est in damnum publicum, & commune spirituale, vel temporale: ergo talia delicta debent propalari, etiam si notitia habeatur sub secreto naturali.

Sup-

116 Suppono septimo: obligationem constitutam in ædictis, vel monitorijs ad revelanda delicta incipere à die publicationis; quare qui non revelavit intra terminum assignatum in ædicto, vel monitorio promulgato sub excommunicatione latæ sententiæ, statim transacto termino ligatur vinculo excommunicationis: constat ex *cap. à nobis de sent. excommu.* Hoc cum grano salis intelligendum est, scilicèt non ligari excommunicatione, si sciens excusetur ob iustam, & rationabilem causam, vt si non potuit præmitere correctionem fraternam, quam sperat pro futuram in delictis, in quibus talis correctio locum habet; at si vltimus dies termini incidit in diem festum; tunc enim probabile est terminum censeri dilatum in sequentem diem feriatum. Ita Abbas in praxi *cap.* 34. *num.* 7 Clavis Regia *lib* 12. *cap.* 14 *num.* 34. *vers.* 3. Et Addo eadem ratione esse probabile posse differri per omnes dies feriatos, qui ad vltimum diem succedunt vt contingit tempore à Nativitate D. N. Iesu Christi (in quo hæc escribo) & Paschatum, quia non est maior ratio vnius, quam alterius.

117 Deinde adverto, quòd vt sit obligatio denunciandi intra terminum præfixum in ædictis, vel monitorijs oportet, vt sit notitia illorum, & obligationis denunciandi, & terminus præfixus incipit currere à die illius notitiæ. Ratio est, quia qui ignoravit ædictum non est peioris conditionis, eo qui illius habuit scientiam, sed iste non tenetur denunciare, nec ligatur censuris, quovsque transeat terminus præfixus: ergo neque qui ignoravit ædictum tenetur denunciare, nisi post notitiam ædicti transeant dies præfixi. Vnde si in ædictis assignantur sex dies, nec numeratur dies, in quo publicantur, nec dies denunciationis; quare qui ignoravit, vt incidat in censuras contra omittentes denunciationem, & debet transire dies in quo habuit notitiam ædicti, & obligationis denunciandi, sex dies præfixi in ædicto, & alius dies in quo erat facienda denunciatio. Et si in primo die inquo pervenit ad notitiam illius eliceat propositum non denun-

ciandi, licèt peccet mortaliter si postea intra terminum prę-fixum mutat propositum, & denunciat, non incurrit excommunicationē; quia hæc lata est contra non denũciantes intra terminum prefixum, & iste intra illum denunciat. Hæc sufficiant vt Confessarij habeant aliquã notitiã de obligatione monēdi pœnitētes, vt denuncient in casibus, inquibus est denunciandum, & simul sciant tempus quo debet fieri denũciatio. Hęc dixi ex clasicis Doctoribus, & idem faciam supponendo aliqua de correctione fraterna.

118 Vt autem transeam ad resolvendam quæstionem propositam cum claritate, suppono primò: corrigere, vel corripere peccatorem esse actum honestum misericordiæ, & charitatis. Constat ex pluribus locis Sacræ Scripturæ. Proverb. 27. *Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus.* Eccles. 29. *Melius est à sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi.* Psalm. 140. *Corripiet me iustus in misericordia.* Math. 18. *Si peccaverit in te frater tuus corripe illum, &c.* ergo corrigere fratrem peccatorem est actus honestus misericordiæ, & charitatis.

119 Suppono secundò: dari præceptum corripiendi proximum, divinum, & naturale: de divino constat ex locis citatis, & ex 1. ad Thesal. 5. *Corripite inquietos.* Vnde infert Eximius Suarez *de fide disp. 8. sect. 1. n. 3.* esse de fide hoc præceptum corripiendi fratres, quia præterquam textus sunt tam expressi, vt patet ex illo Math. 18. *Corripe illum*, & ex Apost. *Corripite inquietos*; quæ verba sunt præceptiva; ita communiter intelliguntur à Theologis, & Canonistis, quòd autem etiam hoc præceptum sit naturale, hoc modo probat Eximius Suarez: nam hoc præceptum corripiendi fratrem non distinguitur à præcepto elemosinæ; siquidem imperatur ab eadem virtute misericordiæ; sed naturali præcepto tenemur subvenire proximo patienti necessitatem corporalem: ergo multò magis ex præcepto tenemur isti subvenire pacienti necessitatem spiritualem, quòd per fraternam correptionem fit: ideòque Aristoteles cognovit hoc præcep-

tum solùm ductus lumine rationis,& 9.Ethic cap.3. scribit: *Pravum amicum corrigendum esse ac magis iuvandum in moribus, quam in pecunijs,dissolvendamque amicitiam si negligat correctionem.* Hoc enim præceptum ex genere suo obligat ad mortale;quia vt dixi est pars misericordiæ; sed præceptum misericordiæ in corparalibus obligat ex genere suo sub mortali:ergo multò magis hoc præceptum correctionis fraternæ ; cum per illud subveniatur proximo in necessitate spirituali.

120 Suppono tertiò : hoc præceptum obligare omnes personas idoneas ad corripiendum ; etiam si aliàs ex officio non teneantur, quia cum hoc præceptum sit naturale ,& divinum, ea parte, qua naturale est , etiam obligat infideles; & quia divinum omnes fideles secundùm illud,Eccle.7. *Vnicuique mandavit Deus de proximo suo*; licèt proportionalitèr magis obliget Prælatos,quam subditos,& magis patrem erga filium,& Dominum erga servum. Ita D.Thom. 2.2. *quæst.33. art. 3. ad* 1. nam hæ personæ sunt magis idoneę regularitèr loquendo ad hoc præceptum exequendum , ideòque in communitate seniores,qui habentur in veneratione strictiùs obligantur.

121 Vt autem hoc præceptum obliget debet esse spes emendationis; & in delictis occultis,& particularibus antequam deveniatur ad denunciationem hoc ordine est procedendum iuxta Evangelium,Math.18.primò debet esse admonitio secreta : *Corripe eum inter te,& ipsum solum.* Secundò correctio coram vno, vel duobus testibus. & si hęc modo nō emendatur,talis frater denunciandus est; vt constat ex illis verbis : *Dic Ecclesiæ.* Omnes isti actus vt discurrit Eximius Suarez loco citato *sect.6.* cadunt sub præcepto , quia omnęs eodem tenore præcipiuntur. Si autem in delictis particularibus occultis hic ordo Evangelicus perverteretur , talitèr vt quis ante admonitionem secretam corriperet coram vno,vel duobus testibus gravitèr peccaret , idemque est dicendum si ante istam correctionem denunciaret.

122 Dixi in delictis particularibus;nam si peccatum vertitur

titur in damnum commune, & publicum, spirituale, vel temporale quantumcumque sit occultum statim est denunciandum coram superiore, & præcipuè si ita monent ædicta, etiam si habeas spem emendationis cum secreta correctione. Hæc resolutio est contra Suarez loco citato *num.* 5. quo ad secundam partem, quia quando periclitatur bonum commune, ad damnum evitandum est adhibendum efficax remedium; sed solùm est remedium efficax denunciatio: ergo si delictum sit occultum non est omittenda denunciatio. Hæc sufficiant de correctione fraterna in communi; nam cętera constabunt ex immediatè sequentibus.

§. II.

Alia non minus vtilia stabiliuntur.

123 SVppono primò vt certum, & indubitatum; in crimine hæresis, vel apostasiæ à fide ante denunciationem non esse præmittendam correctionem fraternam, etiam si crimen occultum sit, taliter quòd vnus tantum præter delinquentem illud cognoscat. Hæc suppositio est contra Villadiego, Panormitanum, Ioannem Andream citatos per Patrem Salelles *tom* 1. *de materijs Inquisitionis lib.* 1. *regul.* 153. *cap.* 21. Sed nostra suppositio est communis, & non solùm non est præmittenda talis correctio, sed est præceptum denunciandi, etiam si solus denuncians cognoscat illud crimen; ita Angel. Mag. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. & ibi Cayetanus; Soto *lib* 5. *de iust. quæst.* 5. *art.* 1. Toletus *lib.* 4 *sum. cap.* 9. *num* 1. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. Martinus del Rio *disquisic. magic. lib.* 5. *sect.* 4. & quia hodie nulla est controversia in hac quęstione solùm vnico fundamento ostendam hanc obligationē denunciandi hæreticos, & apostatas.

124 Summitur enim ratio efficax ad hanc obligationem suadendam ex illo textu Deuteronomij *cap.* 13. *nec parcat oculus tuus vt miserearis, & occultes eum.* Vbi est sermo de fratre

tre

tre infideli, qui alium solicitat occultè ad idola colenda, & ei præcipit Dominus vt sine vlla misericordia statim deferat delictum, & denunciet illum, & non taceat titulo occultandi, vel non infamandi, idolatram. Ex hac lege divina summitur optimum, & efficax argumentum ad suadendum obligationem denunciandi hæreticum; quia hæresis non est minùs grave peccatum, nec minùs nocivum fidelibus, quam sit idolatria: ergo est præceptum divinum saltem mediatè denunciandi hæreticum, vel apostatam non præmissa correctione fraterna.

125 Contraria sententia plura congerit contra istam veritatem; sed breviter referam illa, quæ maiorem continent difficultatem, ne postea de hac materia redeat sermo. Sic enim arguit: Correctio fraterna est de iure naturali, & divino in omnibus delictis occultis, & patet ex verbis Christi: *Si peccaverit in te frater tuus vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum;* Ergo talis correctio est observāda in delictis occultis, etiam si hæreses sint. Secundò arguit ex regula generali iuris Canonici: delicta occulta iudicio divino reservantur. *cap. si Sacerdos de officio ordinarij, cap. qualiter; & quando de acusationibus, cap. Christus* 1. *quæst*. 1. *& cap. si omnia* 6 *quæst*. 1: ergo nūquam licèt peccatum occultum etiam si sit hæresis deferre ad iudicium humanum. Tertiò ex Clement. *Nollentes de hæret.* Vbi in casu hæresis asserit Pontifex *Si secretè noverint eos talia commisisse, ipsos graviter arguere, & corripere studeant in secreto*: ergo in crimine hæresis occulto numquam licèt transire ad denunciationem iudicialem. Videtur enim hanc consequentiam esse sententiam D. Thomæ; nam 2.2 *quæst*. 35. *art*. 7 ait: *Si tamen esset firma spes, quod hæreticus statim esset emendandus, præmittenda esset privata correctio.*

126 Ratio præcipua contrariæ sententiæ est, quia in crimine heresis occulte denunciatio esset nociva peccatori, & alijs vtilis non esset: ergo sub obligatione est omittenda denunciatio. Antecedens quo ad primam partem ostenditur; quia per talem denunciationem infamatur frater in re gra-

vil-

vissima; quo ad secundam etiam constat, quia per talem denunciationem in tali crimine occulto Iudex nihil potest facere, quia nec potest interrogare denunciatum, nec de illo delicto inquirere: ergo talis denunciatio iudicialis est nociva, & non est vtilis.

127 Respondetur ad rationes adductas pro contraria sententia, relictis alijs solutionibus: ad primum de præcepto Christi: *Si peccaverit in te, &c.* loqui vt asserit D. Thomas *quæst.* 33. *art.* 7. de peccato privato, & omninò secreto, non autem de peccato hęresis, quia quantumcumque occultum sit non est reputandum vt secretum, siquidem immediatè est contra Deum, vtpotè crimen lęsę Maiestatis Divinę, & cõtra publicum bonum Ecclesię. Ad secundum facilis est responsio ex dictis; nam ibi est sermo de alijs peccatis occultis pręter hęresim, quia hęresis ex parte obiecti semper est peccatum publicum. Ad tertium malè allegatur Clementina secunda, quia ibi non est sermo de peccato hęresis, sed de alijs peccatis.

128 Ad quartum argumentum respondetur negando antecedens quo ad vtramque partem; quia talis denunciatio est vtilis ad salutem spiritualem denunciati, & necessaria ad bonum commune Reipublicę Christianę. In primis est vtilis hæretico, nam hoc modo magis timebit labi in hęresim, vel saltem illam communicare, vel alium inducere, & sic minùs saltem peccabit; & potest cõtingere, quòd per correctionem Ecclesię resipiscat. Etiam est vtilis talis denunciatio Ecclesiæ, quia licèt per illam solam non possit Iudex inquirere in particulari, potest contingere, quòd talis hæreticus etiam occultè coram alio proferat suam hæresim, & tunc adveniente alia denunciatione potest puniri, quia in hoc crimine admittuntur testes singulares cum sit difficilis probationis. Nec auctoritas D. Thomæ est contra nostram sententiam, quia solùm currit in casu speculativo, & conditionali, vt constat ex illis verbis: *Si tamen esset firma spes, &c.* imò vt constat ex loco citato in responsione prima argumenti apertè

stat

stat pro nostra sententia. De hoc his temporibus non est dubium, imò asserere contrarium est temerarium, & scandalosum, nam præterquam, quòd in Bullis Pontificijs est tale præceptum, etiam imponitur per ædicta Inquisitorum, & præceptum Inquisitionis vim minorem non habet, quam lex Canonica, quia fertur Apostolica auctoritate, & quamvis videatur præceptum ab homine, tamen quia Tribunal à quo procedit perpetuum est, ideò per modum legis perpetuò durat.

129 Suppono secundò: quemlibet Catholicum teneri sub præcepto peccati mortalis denunciare hæreticum quantumcumque secretum, etiam si sciat hoc crimen sub secreto naturali firmato iuramento; nam iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis; sed si omitteret denunciare hæreticum occultum esset vinculum iniquitatis, nam hæresis pertinet ad corruptionem spiritualem multitudinis, & est peccatum oppositum bono communi Ecclesię: ergo quilibet Catholicus tenetur denunciare hæreticum, etiam si talis criminis habeat notitiam per secretum naturale firmatum iuramento.

130 Suppono tertiò: non posse aliquem denunciare hæreticum quantumcumque sua hæresi corrumpat multitudinem fidelium dogmatizando, si hoc scit sub sigillo confessionis. Ita D Thomas *in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. ad 1. & 2. 2. quæst. 70. art. 2. ad 2.* Et ratio est, quia Confessarius tenetur ad sigillum confessionis ex vi iuris divini: præceptum denunciandi hæreticum est humanum, & etiam si sit divinum vt diximus est inferioris Ordinis: ergo non tenetur, nec potest illum denunciare. Hoc verum tenet etiam si confessio fuerit incepta, & non finiatur, vel quia pœnitens non est dispositus, vel quia in Confessario non est iurisdictio ad hæresim absolvendam. Ita Fagundez *lib. 6. in 2. præcept. Eccles. cap. 4. num. 24.*

131 Dixi sub sigillo confessionis, quia ad hoc vt cadant sub sigillo confessionis, ea quæ pœnitens dicit Confessario oportet quòd accedat pœnitens animo confitendi, vel se accusandi, quia si hoc fingat ad decipiendũ Confessarium, vel ad

hoc vt illum corrumpat suis erroribus, & hoc Confessarius certò cognoscat, tenetur illum hæreticum denunciare, quia tunc pœnitens abutitur Sacramento Pœnitentiæ, & huiusmodi abusus non est materia sigilli. Ita idem Fagundez loco citato, & hæc doctrina communis est in praxi Sancti Officij; sed oportet esse magnam prudentiam in Confessario, vt discernat, an talis pœnitens accedat animo confitendi, vel dogmatizandi, aut decipiendi, & in dubio debet stare pro sigillo confessionis. Ideòque rectè faciet, & prudenter, si quando aliquis accedit, vt petat Consilium circa delicta pertinentia ad Sanctum Officium antequam propalet aliquod delictum in particulari, inducat illum ad confitendum, seu habendum animum Sacramentaliter se accusandi, quia hoc modo notitia illorum delictorum cadit sub sigillo Sacramentali, & excusabitur ab obligatione denunciandi in Sancto Officio huiusmodi confessarium.

132 Suppono quartò; in crimine hæresis, quia infert perniciē communitati, eo quòd vt cancer serpit, teneri denunciare fratrem contra fratrem, maritum contra vxorem, & è converso, discipulum contra Magistrum, subditum contra Prelatum, servum contra Dominum, filium contra Patrem, & è converso: hęc veritas constat ex Sacra Scriptura clarè; nam 13. Deuteronomij sic dicitur: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius Matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sivè vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, dicens eamus, & serviamus Dijs alienis non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus vt misearis, & occultes eum*: ergo nullus est qui excusetur ab obligatione denunciandi in crimine hæresis.

133 Sed potest argui contra hucvsque dicta ex illo Pauli ad Tit. 3. *Hæreticum hominem post vnam, vel secundam admonitionē devita*: ergo etiam in hæreticis datur locus ad correctionem fraternam. Respondetur D. Paulum non loqui de admonitione privata fraterna, sed de iudiciali publica; nam in presenti loco non loquitur cum privatis hominibus, sed cum Episcopo Tito, ad quem ex officio expectabat hæreticum iu-

iudicare, & iudicialiter admonere, & si trina admonitio non erat sufficiens, vel vna pro tribus illum hæreticum declaret excommunicatū Quare particula illa: *debita* significat fac debitari ab alijs, ita D. Thomas in explicatione huius loci super epistolas Pauli, Simanch. *de Cathol. inst.* 49 *num.* 14. Fagundez loco citato *num.* 14.

134 Cum his hucusque dictis in hoc § & antecedenti poterat resolvi quæstio; nam eodem modo, & eisdem verbis DD. Inquisitores imponunt onus denunciandi delicta generatia suspicionem in fide, sivè de levi, sivè de vehementi, ac crimen hæresis, sub pœna excommunicationis maioris: *Sin comunicarlo con persona alguna, porque assi conviene.* Ita edictum, & de Confessarijs solicitantibus habet hæc verba: *Si sabeis, ò aveis oydo dezir, que algun Confessor, ò Confessores, Clerigos, ò Religiosos, de qualquier estado, ò condicion que sean, en el acto de la Confession, ò proximamente à ella, ayan solicitado à sus hijas de Confession, provocandolas con hechos, ò con palabras, &c.* Et prosequitur cum omnibus casibus contentis in Bullis; sed quia non obstante ædicto hæc quæstio de præmittenda correctione fraterna ante denunciationē in crimine solicitationis est valdè controversa illam resolvam, & aperiam statum, in quo hæc materia hodie reperitur.

§. III.

Stabilitur conclusio pro parte negativa.

135 PRo parte affirmativa acriter pugnat Thomas Hurtado *tom. 1. resol. moral.* nam illam defensat *in suo tractatu de Confessarijs solicitantibus, tract. 4. cap. 6. § 1. num. 82. & seqq.* idem repetit *cap. 8. resol. 55. num. 666. & seqq.* idemque tenet *resol. 56. §. 1. num. 690. & seqq.* contra Dianam, & nostrum Trimarchium, defensantque hanc sententiam noster Peirinis *tom. 2. de privil. Minim. Constit. 4. Gregorij XV. §. 9. num. 69.* Fagundez *de praecept. Eccles. tract. 2.*

lib.4. cap.3. num.31. Ioannes de la Cruz *in direct. conscientiæ, part.1. præcept.5. quæst.2. dub.5. conclus.2.* Castrus à Palao *tom.1. tract.4. de solicit. disp.9. punct.10. num.2.* sed licèt absolutè iste Auctor adhæreat huic sententiæ dicit postea: *Raro tamen existimo hanc emendationem hac correctione secreta sperari posse, ac proindè rarò cessare obligationem denunciandi,* Sotus *lib.5. de iust. quæst.5. art.2.* Ledesma *in summ. tom.2. tract 4. conclus.24. difficul.2.* & alij graves Auctores citati ab Hurtado pro sua sententia.

136 Hæc sententia his temporibus substinenda non est; & abstinendo à censuris vt certum, & indubitatum teneo Confessarium solicitantem semper deberi denunciari non præmissa correctione fraterna. Ita intelligitur, & observatur in Sancto Officio, & talitèr est praxis pro hac sententia, quòd si Confessarij non monerent pœnitentes ad denunciandum, sed fissi in probabilitate prioris sententiæ negative consulerent privatam correctionem, contra dictos Cõfessarios procederet Tribunal Sanctæ Inquisitionis. Pro hac sententia stat Bonacina *tom.1. disp.6. de onere, & obligatione denunciandi, punct.3. num 9.* Trullench *tom.1. in Decalog. lib.1. cap.3. dub.8. num.26* & citat pro hac sententia *num.22.* Villalobum, Turrianum, Enriq. Freitam, etiam stat pro hac sententia Escobar à Corro *tom.2. part.2. quæst.4 §.1. de correct. frater. n.56.* Diana *1. p. tract.4 de denunciationib. resol 2. & 4. part. tract 5. de Confessarijs solicitantibus, resol.24.* Carena *p.2. de Confessarijs solicitantib. tit 7. §.22.*

137 Probatur primò hæc nostra conclusio, & simul ostenditur, quòd sententia contraria non potest reduci ad praxim; quia in causis pertinentibus ad fidem correctio fraterna est damnata ab Alexandro VII. per Bullam expeditam die 8. Iulij anno 1660. hæc sunt verba Bullæ: *Præterea idem Sanctissimus declaravit præfatos subditos, etiam si nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit omninò teneri, & obligatos esse accedere ad denunciandum Ordinarijs, vel Inquisitoribus locorum quoscumque etiam confratres, ac Superiores etiam*

primarios suos eiusdem Ordinis, vel Religionis, quos noverint esse de fide quomodolibet, etiam leviter suspectos, ac propterea eosdem debere omnes, & quoscumque etiam alios à se consilium petentes, vt supra monere, & obligare ad denunciandum; nec posse illos à denunciando sub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quovis prætextu detrahere, aut retardare, & præfatos omnes tàm Superiores, quàm Subditos contra facientes, sanctitas sua voluit, & declaravit subiacère omnibus censuris in dicta Constitutione Pauli V. expressis, necnon privationis quarumcumque dignitatum sivè prelaturarum, seu officiorum suorum ordinum, ac vocis activæ, & passivæ, perpetuęque inhabilitatis ad eadem ipso facto absque alia declaratione: Ergo hodie post dictum decretũ non potest practicari sententia defensans correctionem fraternam ante denunciationem.

138 Secundò probatur; nam præmittere correctionem fraternam in crimine solicitationis, adhuc secundùm contrariam sententiam ad praxim irreducibile est; quia Auctores qui meliùs discurrunt, vt Castrus à Palao loco citato dicunt, quòd hæc correctio rarò potest adhiberi, & excusari ab obligatione denunciandi; & D. Thomas loco citato de heretico dicit: *Si sit firma spes, &c.* quare rarissimè potest contingere esse locum ad correctionem fraternam in his delictis, adhùc secundùm principia contrariç sententiç; sed casus non debent resolvi secundùm illa quç rarò contingũt; sed ex communitèr contingentibus, textus *in l. iura. 3. cum tribus seqq. de leg.* ergo cum sententia contraria sit de rebus, quç rarò contingunt, nullatenùs ad praxim reduci potest.

139 Confirmatur; nam quando stabilitur in moralibus aliquod assertum generalitèr, & absolutè, quòd solùm in aliquo casu potest practicari, dicitur tale assertum periculosum in praxi; ideòque Sanctissimus Pater Innocentius XI. in decreto quo damnavit 65. propositiones asserit eas esse ad minus scandalosas, quia periculosas in praxi; & sententia vel opinio, quç solũ potest practicari in aliquo casu singulari non dicitur probabilis; ideòque gravissimi Auctores dicunt,

quòd

quòd quando non est aliud remedium debèmus vti opinione, quę generalitèr est improbabilis. Pono exemplum, secundum primam propositionem damnatam ab Innocentio XI. in valore Sacramenti non possumus vti opinione probabili relicta tutiori; ac per consequens in praxi opinio circa materiam, vel formam, quę erat minus probabilis hodie non est probabilis; etiam si speculativè habeat aliquam probabilitatem, quia solùm in casu raro possumus practicare talem opinionem; sed omittere denunciationem in crimine solicitationis vtendo correctione fraterna secundùm contrariã sententiam raró potest reduci ad praxim: ergo talis sententia nõ est practicè probabilis.

140 Probatur tertiò, & declaratur equivocatio aliquorum Doctorum; nam ex eo dicunt correctionem fraternam debere denunciationem pręcedere, quia vt asserit Thomas Hurtado *cap. 9. resol. 28. num.* 173. non est potestas creata etiam Summi Pontificis, quę possit obligare ad delictum occultum propalandum, non pręmissa correctione fraterna; sed adhùc admisso quòd talis correctio obligaret etiam in crimine solicitationis non ideò esset excusanda denunciatio: ergo quantumcumque speretur emendatio, delatio coram Inquisitoribus adhibenda est. Probatur minor. In primis ex verbis Bullę Alexandri VII. *Etiamsi nulla fraterna correctio pramissa fuerit obligatos esse accedere ad denunciandum.* Secundò ratione; quia vt dicit Magister Acacius de Velasco *tom.2 .resol. moral. verb. Denunciatio, resol* 230. quod DD. Inquisitores pręcipiunt in edictis non est correctio fraterna, sed iuridica; quia correctio fraterna tendit ad lucrandum peccatorem, correctio autem iuridica, quam intendunt DD. Inquisitores, non tantùm attendit ad conscientiam delinquentis, quantùm ad hoc vt Sacramentum Pœnitentię purè, & sanctè tractetur, & non onerentur pœnitentes cum novis, & gravioribus peccatis, sed à pręteritis mundētur, terrendo Confessarios cum tali pręcepto denunciationis: ergo quamvis admittatur correctio fraterna non est omittenda denunciatio.

Ideò-

141 Ideòque amplectendo hanc sententiam Ioannes Sãchez *in select. disp.*11. *num.*56.ait: Quòd quando dicitur ædictum Inquisitorum obligare, vt denunciatio fiat non præmissa correctione fraterna, nõ in eo sensu est intelligendũ, quòd ædictum prohibere intendat correctionem absolutè, sed solùm obligat, vt denunciatio non omittatur titulo correctionis factæ, vel faciendæ: ergo etiam si admittatur correctio fraterna in his criminibus, non ideò denunciationis obligatio cessat.

142 Probatur quartò conclusio: vt asserit Eximius Suarez *de charitate disp.*8 *sect.*6.*num.*6.*pag.*760. hæc est differentia inter peccata, quæ tantùm afferunt nocumentum peccatori, & quæ alijs nocent, quòd prima fraternalitèr corrigi debent quãvis tantũ sit probabilis spes fructus, secunda requirunt moralẽ certitudinẽ emendationis, vt adhibeatur talis correctio; sed ad summũ possumus habere per signa maiorem, vel minorem probabilitatem futuræ emendationis per fraternam correctionem: ergo cum crimen solicitationis noceat alijs, siquidem opponitur puritati Sacramenti, & est in perniciẽ animarum, adhùc si non esset decretum Pontificium semper pro remedio adhibenda esset denunciatio, quia de futura emendationẽ nunquam possumus habere certitudinem moralem.

143 Vltimò probatur ab inconvenienti, quia si ante denunciationem esset præmittenda correctio fraterna, & differenda denunciatio si esset spes emendationis; cum hoc delictum occultissimè perpetretur, si solicitata admoneret Confessarium, etiam si esset maximè criminosus, simularet emẽdationem ad fugiendam denunciationem, & idem faceret cum alia solicitata, imò cum multis; sed hoc modo illa atrocissima delicta nunquam haberent debitam punitionem, quã intendunt Summi Pontifices per Bullas, & DD. Inquisitores per ædicta, vt Confessarij à tam horrendo crimine saltem metu pœnæ arceantur: ergo in hoc crimine numquam est omittenda denunciatio.

§. IV.

§. IV.

Argumentis contrarijs occurritur.

144 Licèt sufficiat decretum Alexandri VII. vt nemo dubitet de veritate nostræ assertionis, nihilominùs proponam, & dissolvam aliqua argumenta principaliora contrariæ sententiæ, vt omnes Confessarij firmiùs stent pro parte denunciationis eam consulendo pœnitentibus ab alijs Confessoribus solicitatis. Argues primò pro sententia Thomæ Hurtado: adhùc supposito decreto Pontificio obligat præceptum divinum de correctione fraterna, etiam in crimine solicitationis: ergo non est omittenda talis correctio. Antecedens probatur ex eodem Auctore: non est potestas in terra contra præceptum Divinum de correctione fraterna: ergo adhùc supposito decreto Alexandri VII. obligat tale præceptum; sed crimen solicitationis est occultum: ergo in illo non est procedendum ad denunciationem si per correctionem fraternam speratur emendatio.

145 Dupliciter potest responderi ad argumentum secùndùm dicta: primò stando in sentẽtia Ioannis Sanchez, quòd etiam si correctio fraterna obliget sub præcepto divino in omnibus delictis, adhùc ista supposita, in crimine solicitationis non est omittenda denuntiatio. Quòd enim præcipitur secundùm principia huius Auctoris à Summo Pontifice, & à DD. Inquisitoribus non est, quòd in quolibet crimine occulto non adhibeatur correctio fraterna, sed quòd fiat denunciatio de delictis contra fidem, vel generantibus suspicionem in fide, quod est valdè diversum; nam correctio præcepta à Christo est Evangelica, quæ tendit ad emendationem, denũciatio est correctio iuridica, quæ versatur circa punitionem. Sed quia hæc responsio aliquomodò militat contra ædictum Inquisitionis in quo hęc sunt verba: *Sin comunicarlo con nadie, porque assi conviene vengais à manifestarlo dentro de seis dias,*

circa

circa quæ verba Auctores ad summum admittunt communicationem cum aliquo litterato, non autem cum Confessario solicitante, ideòque transeo ad aliam responsionem, communem, sed vnicam.

146 Respondetur secundò iuxta dicta in 2. §. Correctionem fraternam non obligare quàndo peccatum est cōtra bonum publicum temporale, vel spirituale; cum autem crimen solicitationis sit contra bonum publicum Sacramenti, & fidelium, in hoc crimine non est obligatio præmittendi fraternam correctionem, quia vt dixi licèt crimina huius clasis subiectivè sint secreta, obiectivè publica sunt, & solùm est obligatio præmittendi talem correctionem in delictis occultis non solùm subiectivè, sed etiam obiectivè.

147 Sed vt omnia cum claritate, & distinctione resolvantur non omittam doctrinam, meo videri, satis proficuam Patris Moya *in select. tom 2. Appendice ad tract. 3. de Pœnitent. disp. 5. quæst. 2. §. 4. num. 21.* vbi dicit, quòd si pœnitens solicitatus habeat firmam spem emendationis Confessarij solicitantis, non tenetur omittere correctionem fraternam, quia potest contingere, quòd talis Confessarius contra se non habeat aliam denunciationem, nec adminicula in Tribunali Sanctæ Inquisitionis; & in hoc casu etiam si pœnitens denunciet nihil faciet Tribunal contra talem Confessarium; quarè cum tantùm possit lucrari correctione fraterna, non est ratio ad illam omittendam; sicquè potest illum corrigere, & simul in Tribunali denunciare. Hoc enim nequè est contra decretum Alexandri VII. nec contra ædictum Inquisitionis; sicut non est contra ædictum consulere virum doctum ad sciēdum, an delictum sit denunciandum, vel non; quòd enim ædictum intendit est, quòd postquam pœnitens habet certitudinem de obligatione denunciandi, hoc cum nullo communicet, & decretum, quòd etiam si non præcesserit correctio fraterna non ideò omittenda sit denunciatio; per quòd patet ad tacitam obiectionem.

148 Argues secundò cum Thoma Hurtado: correctio

fraterna non est contra ædictum Inquisitorum: ergo præmittenda est ante denunciationem in crimine solicitationis. Probatur antecedens: illa verba ædicti: *Sin comunicarlo con nadie* fundatur in rationabili præsumptione, quòd correctio fraterna est invtilis: ergo talis correctio non est omittenda, non obstante ędicto, si sit vtilis. Probatur consequentia: est sententia communis, quòd quando lex fundatur in præsumptione, cessante præsumptione etiam cessat obligatio legis: ergo non erit contra ædictum præmittere talem correctionem cessante præsumptione, quòd erit invtilis talis correctio: ergo dum modo speretur certò emendatio Confessarij potest adhiberi correctio, & admonitio secreta, & denũciatio omitti, & iuxta hunc modum discurrendi Thomas Hurtado in secundo loco citato *num.* 190. dicit quòd ędictum de denunciatione nõ præmissa correctione fraterna debet intelligi, quando non speratur fructus.

149 Respondetur iuxta dicta negando antecedens, ad illius probationem nego etiam antecedens; nempè quod ædictum Inquisitionis fundetur in præsumptione, quia etiam ista cessante cum non ordinetur solũ ad correctionem, sed ad punitionẽ semper est inexcusabilis denunciatio. Parificatur ad hominem contrà Thomam Hurtado; nam loco citato § 2. *numer.* 172. asserit, quòd in crimine hæresis formalis potest summus Pastor Ecclesiæ edere monitorium, quo statuatur, quòd hæreticus formalis denũcietur non præmissa correctione fraterna, non obstante, quòd secundùm principia istius Auctoris, si crimen hæresis est occultum, & est firma spes emendationis, eadem ratio militat ad talem correctionem non omittendam; nam præceptũ de correctione est de iure naturali divino, & lex Pontificia de iure humano; & fundamentum istius Auctoris est, quia quando Summus Pontifex tollit in crimine hæresis correctionẽ fraternam vtitur epijcheya, & declarat legem Christi, cuius obligatio non tenet respectu hæreticorum, sicut licèt lex naturæ obliget ad observandum secretum nobis commissum; tamen deficit eius obligatio,

quando cęlatio huiusmodi cędit in damnum tertij, aut boni communis: ergo pariformitèr licèt lex de correctione fraterna sit de iure divino naturali, quando Summus Pontifex, vel Inquisitores edunt ædictum, vt generalitèr denuncietur omnes Confessarij solicitantes, non præmissa correctione fraterna, vtuntur epijcheya, & declarant legem de correctione fraterna non obligare in hoc casu, & in similibus, quia solicitatio est crimen cędens in damnum Sacramenti, & in perniciem animarum, vt explicat Gregorius XV. in suo diplomate Pontificio.

150 Arguit tertiò Thomas Hurtado in tertio loco citato ex doctrina Patris Ioannis à Trinitate triplici medio, sed quia iam patet solutio ad alia, solùm vnum apponam, sic enim arguit à paritate: secundùm nostram sententiam ex eo in crimine solicitationis cessat obligatio correctionis fraternæ, quia tale delictum non solùm est nocivum Confessario, & pœnitenti; sed etiam bono communi Sacramenti, & fidelium; sed insufficiens est hæc ratio, vt talis obligatio cesset; ergo in crimine solicitationis instat præceptum de correctione fraterna. Minor sic ostenditur: quando Confessarius solicitat pœnitentem ad peccatum diversum à luxuria, verbi gratia ad furtum sibi nocet, pœnitenti, & bono communi; nam sicut ea solicitatione ad peccatum luxuriæ abutitur Pœnitentiæ Sacramento, & illi iniuriam facit, & graviore mole peccati onerat pœnitentem; similitèr solicitando ad furtum; sed in hoc casu non est denunciandus Confessarius, si delictũ est occultum, & per correctionem fraternã speratur emẽdatio: ergo etiam si delictum solicitationis ad venerea nõ solùm noceat Confessario, & pęnitenti, sed etiam bono communi Sacramenti, & fidelium, si speratur emendatio non est omittenda correctio fraterna.

151 Multiplicitèr possumus satisfacere huic instantiæ: Primò dicendo, quòd ex vi Bullarum tenetur pœnitens denunciare talem Confessarium solicitantẽ ad peccata diversa à luxuria, quia tales Bullæ sunt favorabiles vt diximus; ideò-

quae extendendae ad diversos casus, vbi est eadem identitas rationis. Secundò quòd adhùc admisso, quòd sint poenales etiam debent applicari ad istos casus; nam est sentētia plausibilis asserens, quòd Bulla, vel lex poenalis aplicatur ad casus vbi est eadem ratio expressa in lege, sicut invenitur, vt ponderatur in argumento, in Confessario solicitante ad diversa peccata à luxuria; & si in Bulla Gregoriana solùm fiat mentio de solicitantibus ad venerea, est quia frequentius contingit, ideòque secundùm aliquos Doctores solicitatio ad turpia ponitur exempli gratia. Tertiò secundum alios, quòd licèt verum sit, quòd vi istarum constitutionum solùm sit denunciandus Confessarius solicitans ad venerea non praemissa correctione fraterna vi iuris communis, & ex consuetudine Tribunalis eodem modo debet procedere poenitens cum Confessarijs solicitantibus ad peccata diversa à luxuria.

152 Exquibus inferò primò contra Thomam Hurtado *resol.42. §.2. num.459 & seqq.* & contra nostrum Peirin. *tom. 2. de privileg. Minim. constit. 4. Gregorij XV. §.9. num.31.* quòd etiam si Confessarius iam sit emendatus tenetur poenitens illum denunciare: Primò, quia iam talis praetextus emendationis praeteritae prohibitus est in Bulla citata Alexandri VII. siquidem dicit, *quovis praetextu.* Secundò, quia, vt dixi, finis denunciationis non solùm est emendatio; nam praeceptum denunciandi Confessarium, etiam si crimen solicitationis sit occultum habet aequè primò plures fines, scilicèt praeservationem à tanto crimine, rectam Sacramenti Poenitentiae administrationem, fidei Christianae conservationem, semiplenam probationem ex testimonio personae solicitatae, vt hoc freno, qui semel solicitavit ab itterando crimine metu integrę probationis abstineat: ergo cum finis legis denūciationis non solùm sit emendatio; etiam cessante hoc fine, cum alij fines sufficiētes perseverent, non est omittenda denunciatio.

153 Inferò secundò contra eundem Auctorem; poeniten-

tem ſolicitatum, etiam ſi ſperet firmitèr emendationem Cõfeſſarij, non poſſe ſperare per triennium ad comprobandam emendationem, ſed intra ſex dies iuxta tenorem ædicti Inquiſitionis tenetur denunciare talem Confeſſarium. Conſtat hoc corolarium ex dictis in antecedenti. Præterea, quia mulier ſolicitata hoc ſpatio temporis ſolùm poteſt cognoſcere, ſe non eſſe ſolicitatam ampliùs ab illo Confeſſario; non verò iſtum non ſolicitaſſe alias fęminas, & ſi hæc ſententia haberet probabilitatem fruſtra eſſent ędicta Inquiſitorum, quia ferè numquam eſſet obligatio denunciandi.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm ceſſante ſuſpicione, quod Confeſſor ſolicitans malè ſentit de Sacramentis ſit denunciandus.

§. I.

Proponuntur ſententiæ, & tutior eligitur.

154. ANtequam ponam pęnas, vel cenſuras, in quibus incurrit fęmina ſolicitata ſi non denunciat, præmitto præſentem quæſtionem, quia eſt valdè affinis cum antecedenti circa quam iudicium Auctorum tripartitum eſt; Hanc quæſtionem in proprijs terminis diſputavit noſter Trimarchius *diſp.* 12. *ſect. vltim.* qui proponit diverſa placita Auctorum. Prima ſententia defenſat, quòd ſi præſumptio non eſt vera, ſed fallitur in aliquo caſu particulari, Cõfeſſarius non eſt denunciandus. Ita in alijs terminis tenet Ricius *p.* 3. *deciſ.* 278. *num.* 8. Valerus *de differ vtriuſque iuris, verb. Hæreſis num.* 4 *verſ.* 5.

155 Secunda ſentencia aſſerit, quòd quamvis ædictum DD. Inquiſitorum, & Bullæ Pontificiæ fundentur in præſumptione; adhùc iſta ceſſante in Confeſſario ſolicitante denunciandus eſt; ita Trimarchius *loco citato*, Freitas *quæſt.* 21 *num.*

num.26 Bosius *de casib. cap 28 nu.95* Diana *1. part. tract.4. de denunciat. resol.10.* Escobar à Corro *p.3. q.2. §.1. nu 30.* defendit primam sententiam in puncto iuris, & hanc secundam in facto, vel in praxi, quia nunquam certo constare potest deficere suspicionem in fide; manente facto de hæresi suspecto.

156 Tertia sententia alia via procedit, & defensat, quòd si Confessor solicitans non est diffamatus de solicitatione, & alias bonæ vitæ, & benè opinatus vbi moratur, & mulier solicitata format prudencialitèr dictamen, quòd rectè de fide sentit, quamvis semel, aut iterum solicitet eandem personam, non tenetur hæc fęmina talem Confessarium denunciare, sed sufficit si illum fraternaliter corrigat; sed si sunt præsumptiones contra huiusmodi Confessarium, & coniecturæ, quod alias fęminas solicitavit in alijs Confessionibus, cum hoc sufficiat vt sit diffamatus, etiam si cesset præsumptio, quòd sit suspectus in fide est Inquisitoribus denunciandus. Ita Hhomas Hurtado *loco citato resol.57. §. 2. à num.722. & seqq.*

157 Sed ego iuxta secundam sententiam assero, quòd etiam si cesset præsumptio, quòd Confessarius malè sentit de Sacramento Pœnitentiæ, & non sit suspectus in fide semper est denunciandus. Pluribus rationibus probatur hæc conclusio, & in primis ad hominem contra Thomam Hurtado; nam si talis Confessarius non esset denunciandus ideo esset, quia in tali casu particulari non est suspectus in fide; sed quamvis hoc esset verum, non cessat obligatio denunciandi; ergo huiusmodi Confessarius denunciandus est. Minor in primis probatur à paritate. In secunda conclusione *num.734.* defensat quòd si Confessarius est diffamatus, talitèr quòd sint præsumptiones contra illum de alijs solicitationibus, quamvis iudicetur prudencialitèr, quòd non sentit malè de Sacramento, est denunciandus; sed in hoc casu cessat præsumptio, & suspicio in fide: ergo etiam si prudentialitèr iudicetur non sentire malè de fide, denunciandus est.

Se-

158 Secundo probatur eadem minor alia paritate; nam benè stat quòd aliquis subijciatur iudicio Inquisitorum, & quòd non sit suspectus in fide: ergo etiam si huiusmodi Cōfessarius non sit suspectus, virtute Bullarum subijcitur foro Inquisitorum. Probatur antecedens primò: possunt procedere Inquisitores virtute Bullæ Gregorianæ, & decreti Alexandri VII. contra Confessarios non monentes pœnitentes solicitatos ab alijs Confessarijs, quòd denuncient in Sancto Officio, & Cōfessarij non monentes non sunt suspecti in fide. Secundo doctus Pater Salelles *tom.* 3. *pag.* 30. *num.* 21. *& seqq.* affert duos casus in quibus de consilio supremæ Inquisitionis Romæ cognovit Inquisitio Melitensis, & in reis non erat præsumptio, quòd malè sentirent de fide: ergo etiam si Confessarius non sit diffamatus, nec præsumatur malè sentire de fide est denunciandus. Prætereà, quia plures Auctores defensant Confessarium solicitantem in Confessionali esse denunciandum, & quia non est suspectus in fide, etiam si subijciatur iurisdictioni Inquisitorum non debere abiurare de levi: ergo stat benè, quòd Confessarius non sit suspectus in fide, & quòd subijciatur iurisdictioni Inquisitorum, ideòque sit illis denunciandus.

159 Nec valet dicere, in his, & similibus casibus, delicta non fundari in præsumptione, vt subijciantur criminosi Inquisitoribus; at verò in casu solicitationis contrarium evenit, vt constat ex verbis Bullæ Gregorij XV. *Nos in animum inducere nequentes, quòd qui de fide Catholica rectè sentiunt, &c.* Ex quibus verbis apertè constat, quòd motivum Pontificis subijciendi hoc delictum iurisdictioni Inquisitorum est quia generat suspicionem in fide. Non valet hæc responsio, primò, quia licèt sit motivum non est vnicum; nam plura assignat Summus Pontifex, *quia loco panis porrigit venenum, parat laqueum diaboli, &c.* & quòdlibet istorum est sufficiens motivum, vt hoc crimen solicitationis subijciatur iurisdictioni Inquisitorum: ergo etiam si daretur casus in quo cessaret ista præsumptio, non ideò Confessarius evaderet liber

à pu-

à punitione Inquisitorum, nec esset fęmina absque obligatione denunciandi, vt constat ex dictis de solicitante in Confessionali, §. antecedenti.

160 Secundò; nam etiam si motivum sit præsumptio; quòd talis Confessarius denuncietur, ista cessante, semper est obligatio denunciandi, quia subdito scienti ędictum solùm pertinet obedire ædicto superioris; non autem iudicare an cesset præsumptio, vel non, in qua fundatur ædictum superioris, Bart. *in l. qui testament.* § *fin. ad finem de testam.* Ergo etiam si Bullæ Pontificiæ, & ædictum de obligatione denunciandi Confessarios solicitantes fundentur in præsumptione, omnes solicitati tenētur obedire denunciando, etiam si forment iudiciū, quòd cessat præsumptio, quia hoc non pertinet ad subditos, sed ad Superiorem.

161 Secundò probatur conclusio: quia iudicare in sortilegijs an sit suspicio in fide non pertinet ad denunciantem, sed ad Inquisitores: ergo pariformitèr iudicare an in crimine solicitationis sit suspicio in fide non pertinet ad denunciantem, vel ad fęminam solicitatam, sed ad Inquisitores. Præterea, quia non est dubium, quòd solicitatio sit crimen generans suspicionem in fide; sed tale crimen afficit personam: ergo solicitans est suspectus in fide; sed quòd non sentiat malè de Sacramento Pœnitentiæ consistit in animo: ergo solùm potest præsumi ex coniecturis, quòd non sentit malè de fide; ac per consequens cum suspicio possideat, quia factum certò inducit suspicionem in fide, numquam mulier solicitata subterfugit obligationem denunciandi. Tum etiā, quia vt ait D. Ioannes Escobar à Corro *num.* 30. iudicare, an cōcurrant sufficiētes presumptiones, vt cesset suspicio in fide, nec pertinet ad testes, nec ad denunciantes, sed ad DD. Inquisitores, qui in his causis sunt Iudices delegati Summi Pontificis.

162 Tertiò probatur conclusio: idem Thomas Hurtado loco citato *num.* 746. respondendo ad tertium argum. contrariæ sententiæ dicit, quòd etiam si animus sit internus de

illo

illo poteſt conſtare ex coniecturis, & argumentis probabilibus; ſed ſi factum generat ſuſpicionem in fide ex talibus cõiecturis, & rationibus probabilibus non poteſt ceſſare præſumptio contra Confeſſarium ſolicitantem: ergo eſt denunciandus. Probatur minor: nam certum eſt, quòd factum generat ſuſpicionem in fide; ſed quòd ceſſat præſumptio eſt ſub dubio: ergo ex coniecturis, & rationibus probabilibus non poteſt ceſſare præſumptio certa quòd malè ſentiat de fide: ergo ſemper vt ſuſpectus eſt denunciandus talis Confeſſarius.

163 Quartò probatur; quia ſi hæc doctrina poſſet reduci ad praxim vix eſſet in Hiſpania obligatio denunciandi Confeſſarios ſolicitantes. Primò, quia non deſunt coniecturæ, & rationes probabiles, vt ceſſet in fere omnibus pręſumptio, quòd malè ſentiant de fide, cum poſſit iudicari de quolibet Confeſſario probabilitèr, ex firmitate fidei Hiſpanorum, tale crimen ſolicitationis non proceſſiſſe ex mala credulitate circa Sacramentum Pœnitentię, ſed ex ſua fragilitate, & paſſione, & ex his coniecturis intelligere, ceſſare obligationem denunciandi, quia non eſt pręſumptio in tali Confeſſario de mala credulitate. Secundò ſi eſſet neceſſum ab obligationem denunciandi, quòd talis Confeſſarius eſſet diffamatus de alijs ſolicitationibus; cum hoc ſit difficilè, ſiquidem iſta crimina committuntur omninò ſecretò, & ſi mulier ſolicitata non eſt perditę vitę, tacet illam ſolicitationem, & ſic vix eſſet caſus in quo daretur, talis obligatio, quia ad hanc diffamationem non eſſet locus, & multò minùs ſi fęmina conſentiret; quarè poſſet Confeſſarius plures fęminas ſolicitare, & evadere denunciationem.

§. II.

Argumenta contraria soluuntur.

164 SOlùm proponā principaliora fundamenta contrariæ sententiæ,quia ex dictis cętera sunt soluta. Primum fundamentum sic procedit : quando ædictum fundatur in præsumptione, si cessat talis præsumptio non ligat ; sed ędictum de denunciandis Confessarijs solicitantibus fundatur in pręsumptione, quòd malè sentiant de fide: ergo si cessat talis præsumptio denunciandi non sunt. Probatur maior : decretum denunciandi Astrologos iudiciarios, & chyromanticos,quia fundatur in præsumptione, quòd malè sentiunt de fide , vt constat ex Constitutione Sixti V. quam postea confirmavit Vrbanus VIII. in Bulla edita anno 1631. cessante hac præsumptione non sunt denunciandi, vt tenent gravissimi Auctores,quos citat Diana 2. *part. tract.* 15. *resol.* 58. ergo si ędictum de denunciatione in præsumptione fundatur, cessante pręsumptione non est obligatio denunciandi,quia finis cuiuscumque dispositionis inspiciendus est ex textu *in l. etsi non sunt* 20. *aliàs leg. cum aurum* 19. §. *perveniamus* 13. *& arg. leg. l.* 3. *cap de institut. & substit.* ex pluribus iuribus adductis per Glossam *in cap. dudum* 22. *de elect. & in cap. scientes,de censib.* & si consequtus est,non est ampliùs procedendum,*ex l. fin.* §. *fin. mandati*:ergo cum ędictum denunciandi Confessarios solicitantes fundetur in præsumptione,quòd malè sentiant de fide,cessante hac pręsumptione,denunciandi non sunt.

165 Respondetur primò negando maiorem ; ad illiusque probationem nego antecedens,nam etiam si ex parte denūciantis cesset pręsumptio , & ędictum fundetur in pręsumptione, semper Confessarius solicitans denunciandus est,nam iuxta hunc modum discurrendi datur duplex obligatio , alia denunciantis , & alia Iudicis denunciationem pręcipientis; obli-

obligatio denunciantis solùm est obedire edicto superioris denunciando, obligatio autem Superioris præcipientis iudicare an cesset præsumptio in illo particulari;& si ratione præsumptionis ad illum pertinet iudicare de illo crimine, cessante præsumptione nõ potest punire criminosum; sed quòd præcipitur pœnitenti feminæ solicitatæ est,quòd denunciet Confessarium solicitantem,non autem,quòd iudicet de præsumptione: ergo etiam ista cessante debet denunciare. Tum etiam,quia vt rectè Diana 4. *p. tract*. 5. *resol*. 54. licèt ratio commissionis sit suspicio, commissio tamen Pontificis est absoluta. Citat Sousam,& Molfesium.

166 Secũdò respondetur iuxta dicta admittendo maiorẽ cum distinctione; quando cessat præsumptio cum omnimoda certitudine concedo maiorem,quando solùm ex coniecturis, & probabilibus rationibus,nego maiorem, & quantumcumque Confessarius (idemque de Astrologis Iudiciarijs) se ostendat emendatum, cum mala credulitas consistat in animo non possunt esse signa certa ostendentia non esse præsumptionem de mala credulitate,& cum delictum solicitionis certò generet suspicionem in fide,ex coniecturis, & probabilibus rationibus non potest præsumptio tolli, quarè in omni eventu Confessarius solicitans denunciandus est. Ideòque DD. Inquisitores quantumcumque Confessarius solicitans det signa,quòd non sentit malè de fide, cum delictum generet hanc suspicionem faciunt huiusmodi Confessarium abiurare de levi.

167 Secundum fundamentum pro eadem sententia hoc est,cessante fine adæquato legis in aliquo particulari, in illo adæquatè cessat lex, sicut cessante fine adæquato in omnibus generalitèr cessat lex;ita tenẽt Navarrus *in Rubricis de Iudicijs num*.74. Enriquez *lib*.11. *cap*.17. *num*.2. *& littera O*. Sousa *in Bulla Clementis VIII. de largitione muner. fundam*.3. Granadus 1. 2. *controv*.7. *tract*.3. *part*.1. *disp*.15. *sect*. 2. Diana *part* 7. *tract*.10. *resol*.33. Caramuel *in Regul. Sancti Benedicti disp*. 5. *num*.50. Machado *tom*.1. *Summ lib* 3. *part* 4. *docum*.4.

num. 2. sed finis Summi Pontificis, & ædicti Inquisitorum in denunciatione Confessarij solicitantis, est quia malè sentit de fide; ergo si ista præsumptio cessat, non est denunciandus.

168 Licèt pro responsione huius argumēti possit applicari doctrina primę solutionis primi, hac relicta, iuxta dicta in quęstionis resolutione, respondetur distinguendo minorē: finis Summi Pontificis est, quia Confessarius malè sentit de fide, finis adæquatus nego minorem, inadæquatus concedo; nam præcipuus finis est favor Sacramenti, & Pœnitentium; cum autem etiam si cessaret prę sumptio semper solicitare in Cōfessione esset contra bonum Sacramenti, & animarum, adhùc obligaret lex denunciationis; iam enim dixi, aliqua crimina subijci iurisdictioni Inquisitorum, & non generare suspicionem in fide, & ad hoc confirmandum præter exempla adducta constat ex sequentibus: punire revelantes suas depositiones factas in Sancto Officio, & committentes crimen falsi in Sancto Officio pertinet ad iurisdictionem DD. Inquisitorum, & nullum ex his delictis generat suspicionem in fide; si non sunt in favorem hæreticorum.

169 Pro tertia sententia sic arguit Thomas Hurtado: Confessor solicitans non est denunciandus nisi iuxta dispositionem Constitutionum Pontificum; sed si solicitans est vir bonæ famæ, & semel, & iterùm tantùm solicitavit, illum denunciare non est iuxta dispositionem Pontificū: ergo non est denunciandus Confessarius solicitans si sit bonæ famæ. Probatur minor: Pius IV. & Gregorij XV. in suis diplomatibus dicunt esse denunciandos Confessarios solicitantes quomodolibet diffamatos; sed quando Confessarius est bonæ famæ, non est diffamatus: ergo iuxta dispositionem Pontificum non est denunciandus.

170 Antequam respondeam, dico quòd iuxta istam sententiam, & modum arguendi, neque esset denunciandus Confessarius solicitās bonę famę, quamvis esset prę sumptio, quòd malè sentit de Sacramento Pœnitentię; nam benè compo-

ni-

nitur, quòd non cesset præsumptio, & non sit diffamatus, quia si solùm solicitaret vnam fęminam, etiam si multoties illam solicitaret, & huiusmodi Confessarius in Republica esset benè opinatus, non cessaret præsumptio, quòd malè sentit de fide; sed in hoc casu non esset diffamatus: ergo si iuxta Constitutiones Pontificias solùm essent denunciandi Confessarij solicitantes, quando sunt diffamati de solicitatione, etiāsi essent suspecti in fide, non essent denunciandi, quòd non cōcedit Thomas Hurtado, neque concedendum est.

171 Nunc respondeo ad argumentum concedendo maiorem, & negando minorem; ad illius probationem distinguo minorem, quando Confessarius est bonæ famæ non est diffamatus absolutè, concedo minorem, aliquo modo nego minorem, nam iam est diffamatus apud pœnitentem, quòd sufficit ad verificandam obligationem denunciandi, modo quo præcipitur in Bullis, quia Bullæ Pontificiæ non dicunt esse denunciandos Confessarios solicitantes diffamatos, sed quomodolibet diffamatos; si enim vnam fęminam solicitat, iam aliquomodo huiusmodi Confessarius est diffamatus, sicut si aliquis apud omnes habet bonam famam, & coram vno committit aliquod crimen, licèt absolutè non sit diffamatus, tamen aliquomodo diffamatus est, quia respectu illius bonam famam amisit; pariformitèr est discurrendum in casu solicitationis.

172 Adverte ad verba Pontificis, & si illa penetres stabis pro mea sententia, nam occurrit ad ea, quæ poterant obijci hoc modo; vt delictum Iudici manifestetur opportet, quòd criminosus non sit occultus, ac per consequens quòd crimen publicetur, & persona sit diffamata: ergo quando omninò est occultùs criminosus non est denunciandus. Ad hanc tacitam obiectionem occurit Summus Pontifex per illa verba: *Quomodolibet diffamatos*; quasi diceret est obligatio denunciandi Confessarium solicitantē, si aliquomodo huiusmodi Confessarius est diffamatus: ergo constat ex Constitutione Pontificia esse obligationem denunciandi crimen solicitationis quamtumcumque occultum.

Ex

173 Ex dictis infero, malè dixisse Thomam Hurtado *num.* 738. asserendo, quòd etiam si cesset præsumptio contra fidem si Confessarius solicitans est diffamatus, debet denunciari coram Inquisitoribus, quia non pertinet ad prudentiam œconomicam alicuius particularis iudicare, an solicitans sit suspectus in fide, sed ad politicam prudentiam iudicum; malè enim dixit; nam si non pertinet ad prudentiam œconomicam alicuius particularis iudicare de præsumptione, & ratione istius præsumptionis delictum solicitationis subijcitur Inquisitoribus principaliùs : ergo neque pertinet iudicare ad denunciantem, vel ad testem, an sit diffamatus, vel non solicitans; sed obedire præcepto Inquisitorum.

174 Quartum fundamentum est à paritate; quamvis in Bullis sint diversa motiva, principalius motivum est abusus Sacramenti Pœnitentiæ · ideoque DD. Inquisitores procedunt contra delinquentes ex consuetudine, & ex iure communi, quia sunt suspecti in fide; sed qui solicitat semel tantùm, non abutitur Sacramento Pœnitentiæ, consequenterque non est suspectus in fide: ergo non est denunciandus. Probatur minor: B. Pius V. in sua Constitutione, quę incipit: *Horrendum*, ponit graves pœnas contra exercentes sodomiam, & communiter Auctores dicunt, non incurrere has pœnas, qui bis, vel ter commissit hoc crimen, quia exercere denotat frequentiam actuum; sed etiam abusus Sacramenti Pœnitentię frequentiam actuum denotat : ergo qui tantum semel, vel iterum solicitavit, non abutitur hoc Sacramento, consequenterquè nec denunciandus est.

175 Respondetur primò, paritatem tenere in ordine ad punitionem; non autem in ordine ad delationẽ; nam in vno, & altero casu, qui scit aliquem esse sodomitam, vel solicitãtem tenetur illum denuciare coram iudicibus fidei, & multoties contingit, quòd etiam si cum vno solùm semel commissit huiusmodi crimen, quòd DD. Inquisitores habeant alia adminicula, vel probationes, & cum delatione illịùs procedunt ad incarcerationem; at verò vt in vno, & altero

cri-

crimine detur pœna ordinaria attenditur ad frequentiam actuum, & sic iuxta maiorem, vel minorem frequentiam gravius, vel mitius puniuntur.

176 Respondetur secundò, admittendo paritatem, & negando vtramque minorem: disparitas dessumittur ex D. Thoma Doctore Quinto Ecclesię 1. 2. *quæst.* 12. in qua agit de vsu in sua propria significatione, & dicit, quod ad vsum in propia significatione frequentia actuum non requiritur, nam quando quis solùm vnico actu vtitur potestate absolvendi, dicitur proprissimè vti tali potestate; cum autem idem iudicium sit de abusu, quia abusus nihil aliud est, quam malus vsus potestatis; vt aliquis abutatur Sacramento, sufficit vnus actus abusivus suę potestatis; non sic est de nomine exercitij, quia in sua propia significatione continuitatem actuum exprimit. Exquibus constat disparitas, Bulla enim Beati Pij V. est contra exercentes sodomiam, & cum non sit exercitium actuum in illo, qui bis, vel ter commissit hoc delictum, non dicitur exercens, ideoque non est comprehensus in Bulla; (licèt secundum praxim Sancti Officij huiusmodi sodomita sit denunciandus) non sic est de Sacerdote solicitante; nam Bullę sunt contra Confessarios abutentes Sacramento Pœnitentiæ; & cum abusus verificetur propriè in vno actu, sufficit vna solicitatio, vt talis Confessarius sit comprehensus in Bullis; & per consequens vt sit in solicitato strictissima obligatio denunciandi huiusmodi Confessarium.

177 Quintum fundamentum sic procedit: iure divino, & naturali tenemur conservare famam proximi ipsum non infamando, nisi sit hęreticus formalis; sed si non esset ędictum Inquisitorum, secundum Bullas Pontificias non esset obligatio denunciandi crimen solicitationis occultum: ergo neque posito hoc ędicto, & Bullis tenemur denunciare talem solicitantem occultum. Probatur consequentia ratione, & paritate; primo ratione hoc modo; quando occurrunt duo precepta, quod est superius, & antiquius, & irrevocabile est observandum; sed pręceptum conservandi famã proximi est su-

pe-

perius, & antiquius, & irrevocabile, quia est de iure divino naturali: ergo adhuc possitis Bullis Pontificijs, & edicto Inquisitionis non est obligatio denunciandi solicitantem occultum, quia habet ius, vt sua fama conservetur. Secundò probatur à paritate; nam etiam si integritas confessionis sit de iure divino, quia conservare famam proximi est de iure naturali, quod superius, & fortius est, si non potest cũ integritate conservari fama, tunc non obligat præceptum de integritate confessionis: ergo cum præceptum conservandi famam proximi sit superius, & antiquius, quam præceptum denunciationis, cum non possit observari primum si denunciatur crimen occultum solicitationis, etiam si dentur Bullę, & ædictum de denunciatione, talis Confessarius non est denunciandus.

178 Licet hoc argumentum sit solutum in quæstione de correctione fraterna sub alijs terminis oportuit illud repetere cum nova instantia, & paritate, vt radicitùs penetretur veritas praxis Tribunalis. Quare in forma illud solvam, pro quo est neganda maior primi silogismi, nam non solùm non obligat præceptum conservandi famam proximi in crimine hæresis, sed neque in delicto Lesæ Maiestatis humanæ in persona Principis, vt tenent communiter Doctores; ac per consequens semper, & quando delictum est contra bonum commune, cum hoc de iure naturæ præferendum sit particulari, præceptum conservandi famam proximi non obligat, quia hoc licèt sit de iure naturæ, est de bono particulari, cui præferendum est bonum commune; per quod patet ad probationes.

179 Vt autem hæc doctrina, & allata in quæstione de correctione fraterna firmiores maneant, duæ paritates pro illis se offerunt: prima est in ipso exemplo de peccato hæresis adducto in argumento; nam præceptum conservandi famam proximi naturale est, & preceptum de denunciando hæreticum est Ecclesiasticum: quare ergo si primum est fortius istud secundum obligat, etiam si crimen hæresis sit occultum,

Nulla alia ratione, nisi quia conservare famam proximi est bonum particulare, & conservare bonum fidei est bonum spirituale commune fidelibus, & Ecclesiæ; cum autem hæresis opponatur huic secundo bono maiori, non est contra ius naturale hæreticum denunciare; imò potiùs iuxta illud; quare, vt dixi Summi Pontifices, & Inquisitores quando præcipiũt denunciare hæreticum occultũ declarant, hoc non esse contra præceptum naturale conservandi famam proximi. Similitèr est discurrendum in omnibus delictis generantibus suspicionem in fide; nam vel sunt contra bonum commune Ecclesiæ, vel Sacramentorum, vel fidelium, & aliquando contra bonum commune temporale, vt patet in pluribus sortilegijs.

180 Secundò parificatur; nam non solùm non occidere, sed etiam non desiderare mortem est præceptum naturale; ideòque damnatur ab Innocentio XI. esse licitum desiderare mortem alicuius, non ex displicẽtia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum, & est in ordine 13. propositio damnata; hoc non obstanti, vt notat Cardenas ibidem in explicatione huius propositionis, desiderare mortẽ alicuius propter ingens bonum temporale communitatis, vel Ecclesię non est damnatum in hac condemnatione; nulla alia ratione, nisi quia bonum commune temporale, vel spirituale particulari præferendum est; ideòque tale desiderium non est contra præceptum naturale non desiderandi mortem: ergo cùm punire Confessarios solicitantes sit in favorem boni communis Sacramentorum, & Pœnitentium, etiam si sit præceptum naturale conservandi famam proximi; quòd tales Confessarij denunciẽtur, & puniantur non est contra præceptum naturale, quia bonum commune particulari est præferendum.

181 Ad illud quòd dicitur in argumento, quòd si non essent Bullæ Pontificiæ, & ædictum Inquisitorum, non esset denunciandus talis Confessarius solicitans, qui non est diffamatus respondeo, quòd licèt sub excommunicatione non esset tũc obligatio denunciãdi, benè verò sub peccato mortali, vel coram Ordinario, vel coram Prælato regulari, si solici-

tans esset regularis; quod confirmo ex egregia doctrina Trimarchi qui *disp.*12.*sect.*1.*num.*13. dicit, quod quilibet particularis, vt membrum corporis mistici, iure naturæ tenetur Reipublicæ damnum impedire; & ex hoc præcepto obligatur iure naturæ aperire Principi per denunciationem causam damni, vt illud avertat, ne corpus misticum destruatur; cum autem crimen solicitationis tendat ad destruendum bonum Sacramenti Pœnitentiæ, quod est fundamentum Ecclesiæ, etiam si non essent Bullæ Pontificiæ, quilibet teneretur impedire hoc damnum, manifestando illud crimen Iudici Ecclesiastico per denunciationem, vt remedium ad damnum tam enorme evitandum adhibeat.

§. III.

Casus practici resolvuntur.

182 PRimus casus practicabilis, qui ex dictis infertur est. Quidam Confessarius abstractus vehementi passione feminam solicitavit in Confessione Sacramentali; sed statim dedit signa sufficientia Pœnitentię cum lacrimis ostendendo suam emendationem; talis Confessarius est ne denunciandus? Trimarchius loco citato respondet affirmativè, & ego cum illo idem teneo; nam si non sufficiunt rationes probabiles, & coniecturæ, imò neque certitudo moralis, quòd huiusmodi Confessarius emendatus est, vt cesset obligatio denunciandi, quia Bullæ, & ædictum Inquisitorum non solùm respiciunt emendationem, sed etiam punitionem, vt cęteri timeant, & ne fisi in misericordia committant tam enormia delicta: ergo etiam si iste statim det signa sufficientia pœnitentię denunciandus est.

183 Secundò constat hæc decisio ab inconvenienti; quia si iste Confessarius non esset denunciandus, quia in praxi potest sequi hæc opinio, posset plures feminas solicitare, & expleta libidine, ostẽdere eadem signa pœnitentiæ, vt. li-
be-

beraretur à denunciatione in Sancto Officio, & hac via hoc enorme crimen maneret impunitum, & aperiretur ianua ad solicitandas plures fœminas, quod est perniciosissimum in praxi: ergo quantumcumque Confessarius det signa pœnitentiæ non potest evadere denunciationem.

184 Præterea, quia vt dixi §. I cognoscere, & iudicare an sit suspectus in fide Confessarius, non pertinet ad denunciãtem, neque ad testes, sed ad DD. Inquisitores: ergo neque cognoscere an illa solicitatio procedat ex nimia passione, vel ex mala credulitate. Consequentia patet aparitate; nã ex eo ad denunciantẽ iudicare de præsumptione non attinet, quia hoc per Bullas Pontificias committitur Inquisitoribus; sed etiam cognitio emendationis remittitur ad Inquisitores, quia de hoc etiam debent iudicare, cum sit proprium Iudicis; ad denunciantem autem solùm pertinet deferre delicta: ergo non debet attendere mulier solicitata vt denunciet, an crimen solicitationis sit emendatum, vel non, per pœnitentiam, an processerit ex vehementi passione, vel ex mala credulitate, sed ad ædictum quod præcipit vt denunciet.

185 Dices contra hoc: si hæc doctrina esset vera, semper, & quando præcipitur denunciatio alicuius delicti sub obedientia, deberet revelari superiori quantuncumque occultum esset; sed hoc est contra præceptum de correctione fraterna, quod est naturale, & divinum: ergo non solùm pertinet ad inferiorem denunciare; sed etiam iudicare de emendatione delicti. Probatur sequela; nam ex eo quantumcumque sit occultum crimen solicitationis, & solicitans dederit sufficientia signa pœnitentiæ, tenetur mulier solicitata illum denunciare, quia obedire ædicto pertinet ad inferiorem, iudicare autem an sit ablatum peccatum per pœnitentiam, ad superiorem: ergo quando datur præceptum superioris de revelatione alicuius delicti, quantumcumque delictum sit occultum tenentur subditi illud revelare; hoc vt dixi est falsissimum: ergo & fundamentum principalius nostræ resolutionis.

186 Respondetur negando sequelam; ad illius probationem distinguenda est minor; taliter quòd ista doctrina solùm habeat locum in delictis oppositis bono communi spirituali, vel temporali concedo minorem, in alijs oppositis particularibus personis, nego minorẽ. Itaque ex iure naturæ, & divino in alijs delictis occultis si speratur emendatio, qui scit tale delictum, & est superior, & inferior, est superior, quia ius naturale, & divinum tribunt illi potestatem ad corrigendum, primò inter se, & ipsum solùm, secundò coram testibus; & cum corripere sit superioris, hoc modo est superior; si autem nõ emendetur tunc instat præceptũ denunciandi obediendo superiori, & hoc modo est subditus, & inferior; in delictis autem, quæ sunt contra bonum commune spirituale, vel temporale, quia est periculum multitudinis, hoc ex iure naturæ debet præferri bono particulari peccatoris; ac per consequens quantumcumq; det signa pœnitentiæ denunciandus est, quod contingit in crimine solicitationis.

187 Secundus casus colligitur ex resolutione antecedentis, & ex dictis §. 1. Diximus, quòd etiam cessante præsumptione est denunciandus Confessarius, & aliundè in antecedenti casu, quòd etiam si det signa sufficientissima pœnitentiæ. Hoc posito. Suppono quòd in aliquo Confessario solicitante cõcurrant hæc duo; & quòd in illo cesset præsumptio, quòd malè sentit de fide, & prudenter iudicet pœnitẽs, quòd iam est emendatus, tenetur ne illum denunciare? Noster Trimarchius *disp.* 12. *sect.* 1. *num* 30. docet, quòd si Confessarius solicitans sit emendatus, & nulla laborat infamia, nec inde posset aliquod scandalum provenire non fore denunciandum. Nescio, qua consequentia loquatur, nam ipse casu antecedenti defensat fore denunciandum; etiam si statim pœniteat, & det sufficientia signa pœnitentiæ. Thomas Hurtadò loco citato docet consequenter ad ea, quæ dixit in casu antecedenti, talem Confessarium solicitantem non esse denunciandum.

188 Solùm possumus salvare in his, quæ dicit Trimarchius,

chius, aliquam consequentiam doctrinę; quia quando dixit, quòd est denunciandus Confessarius quamvis det signa sufficientia doloris, & pœnitentiæ; cum his potest stare quòd timeat pœnitens, an si nō denunciat, postea adveniat aliquod scandalum; quia abstractus passione potest prudenter iudicari, quòd aliam fęminā solicitet, quod præsumitur ex sua fragilitate; at verò in casu præsenti cum supponatur Confessarius solicitans ex vna parte emendatus, & ex alia non timeatur scandalum; in hoc secundo casus variatur, & sic stat benè, quòd teneatur denunciare in primo casu, non autem in secundo.

189 Sed his non obstantibus resolvo contra Trimarchiū, & Thomā Hurtado, quòd etiā si cōcurrant hęc duo, & quòd Confessarius solicitans det sufficiētia signa emendationis, & cesset præsumptio, quòd malè sentit de fide, adhuc talis Cōfessarius est denunciandus. Hęc resolutio patet ex dictis, quia vt dixi, licèt Bullæ Pontificiæ fundentur in pręsumptione, absolutè pręcipitur in illis denunciatio. Deinde, quia ad solicitatos non pertinet iudicare de pręsumptione, nec de emendatione, sed solùm ad illos pertinet deferre delicta ad DD. Inquisitores: ergo quamvis cesset pręsumptio, & Confessarius det sufficientia signa emendationis, semper est denunciandus.

190 Probatur radicaliter resolutio casus: quando constat certò de aliquo delicto, quod generat pręsumptionem ex natura sua, vt cesset pręsumptio, oportet quòd signa sint certa, taliter quòd pręvaleant contra pręsumptionem; sed talia signa quo ad forum externum, ad quod est attendendum in his delictis, non possunt esse tā eficacia, vt vincant pręsumptionem: ergo non est dabilis casus in quo cesset pręsumptio huiusmodi. Probatur minor; quia omnia signa, quę possunt assignari, nempe nobilitas confessarij, virtus, bona fama, solùm inducunt ad formandum iudicium probabile, quòd Cōfessarius non habet malam credulitatem de Pœnitentię Sacramento; sed pręsumptio est certa: ergo talia signa non pos-

sunt

sunt esse tam efficacia vt vincant pręsumptionem. Ideoque in Sancto Officio postquam reus est convictus, & causa contestata, si in sui defensionem allegat ignorantiam, vel fragilitatem, quantumcumque iuret,& protestetur, se nunquam malè sentire de fide, & concurrant cęteræ circunstantię, vt nobilitas sanguinis, &c. semper dicitur in calificatione non relevari à suspicione in fide, quia facta contrarium evincũt: ergo semper tenetur pœnitens denunciare Confessarium solicitantem quantumcumque det signa emendationis, & iudicet prudentialiter de bona credulitate.

191 Deinde probatur ab inconvenienti; quia si hęc signa de emendatione,& pręsumptio, quòd Confessarius non sentit malè de fide, sufficerent ad liberandum pœnitentem ab obligatione denunciandi, eodẽ modo posset quis excusari ab onere denunciandi hæreticum, vel apostatam, quod nullatenus est dicendum. Probatur sequela; quia omnes rationes, quæ stant pro hæretico denunciando, etiam stant pro Confessario solicitante, vt diximus, & sicut Confessarius solicitans potest ostendere signa sufficientia pœnitentiæ, & bonæ credulitatis, ita hæreticus in pluribus casibus: ergo si solicitans in tali casu esset excusandus à delatione, etiam hæreticus formalis; sed si iste non potest excusari,vel est, quia non pertinet ad testem, vel ad denunciantem iudicare de emendatione, & de mala credulitate, vel quia delictum est certum, & relevationes tantum probabiles: ergo cum eadem ratio militet in crimine solicitationis, quamvis concurrant signa sufficientia pœnitentiæ, & iudicium probabile, quòd Confessarius non sentit malè de fide semper est denunciandus.

192 Licèt non possit fieri aliquod argumentum quod nõ sit solutum ex dictis, proponam principalius,quia in his materijs superflua non nocent, quod sic se habet: quando delictum est occultum, & criminosus emendatus correctione fraterna, si crimen non est contra bonum commune, spirituale, vel temporale, non est deferendum ad iudicem; sed in hoc

casu

casu crimen est occultum, & non est contra bonum commune, aliunde criminossus est emendatus: ergo non est denunciandus. Probatur minor; primò, in hoc casu crimen supponitur occultum, & emendatum; deinde quòd non sit contra bonum commune sic ostenditur; nam ex eo crimen solicitationis est contra bonum commune, quia per illud Confessarij tamquam lupi dilacerant oves Christi, ideoque dixit Gregorius XV. *Loco panis porrigit venenum*; sed in casu posito cum sint signa sufficientia emendationis deest periculum pervertendi alios pœnitentes: ergo non est contra bonum commune; ac per consequens cessat in his circunstantijs motivum adæquatum denunciationis.

193 Respondetur primò, quòd eadem instantia potest fieri in crimine hæresis, quam tenentur solvere adversarij, & iuxta suam responsionem neganda est minor, nam quantumcumque se ostendat talis Confessarius emendatus, & cesset præsumptio quòd malè sentit de Sacramento Pœnitentiæ, tale delictum fuit patratum cum abusu, & iniuria Sacramenti, ac per consequens est contra bonum Sacramenti, & hac ratione cōtrariatur bono publico Ecclesiæ. Aliud est quo ad punitionem, quæ ad DD. Inquisitores pertinet, nam si Confessarius est emendatus, & formant iudicium probabile, quòd non sentit malè de fide mitiùs procedent cum illo, vtendo solita misericordia Inquisitionis.

194 Secundò, quia quantumcumque iste Confessarius se ostendat emendatum omissio denunciationis semper est mala, quia periculosa; nam facilè iste Confessarius simili passione abstractus potest solicitare aliam fœminam, & etiam si ista secunda denunciet, nec incarcerari, nec puniri; quia non sunt in Tribunali contra illum alia adminicula, & est contra bonum cōmune spirituale, quòd talia delicta impunita maneant; nec hoc, vt dixi, est contra præceptum correctionis fraternæ, quia licèt summi Pastores non possint contra illud præcipere, possunt tamen illud declarare; itaque fuit factum pro crimine hæresis, & alijs generantibus suspicionem de mala credulitate.

Ter-

195 Tertius casus: quidam Confessarius fuit punitus in Sancto Officio ob crimen solicitationis; cuius pœnitentiæ habuit notitiam femina ab illo solicitata, ex qua notitia sensit remorsum conscientiæ, & crimen, & circunstantias illius alij Confessario revelavit; difficultas est an hæc mulier teneatur denunciare? iste casus potest contingere dupliciter, primò modo talitèr, quòd huiusmodi Confessarius postquam fuit liber iterum reincidat in crimen solicitationis (quamvis hoc difficile sit; cum tales Confessarij in perpetuum priventur à confessionibus audiendis) ad istam partem respondet Ioannes Sanchez *in select. in tract. de Confes. solicit. quæst. 3. num.* 34. quod si talis Confessarius fuit punitus in Sancto Officio, & abiuravit, etiam si postea reincidat, non tenetur femina propter talem solicitationem præteritam illum denunciare.
196 Diana distinguit casum, & 1. *part. tract.* 5. *resolut.* 2. docet, quòd si talis Confessarius postquam fuit punitus, & abiuravit propter solicitationem alterius feminæ, iterum commissit crimen solicitationis, in hoc casu tenetur illum denunciare propter præteritam solicitationem, & eadem 1. *part. tract.* 4. *resol.* 26. dicit, quòd si iam est emendatus talis Confessarius, convictus, & confessus propter alias solicitationes, & abiuravit non est denunciandus propter præteritam solicitationem. Ita Peirinis *tom.* 2. *Privilegio Constit.* 4. *Gregorij XV.* §. 9. *num.* 32. & Thomas Hurtado *tract.* 4. *cap.* 8. *resol.* 48. §. 1. *&* 2.
197 Sed idem Pater Diana 4. *part. tract.* 5. *resol.* 49. explicat se ipsum; referam eius verba, quia vtilia ad nostram resolutionem, hæc enim sunt: *Hæc sententia defendi potest, quando Confessarius fuit confessus, aut plenè convictus; & in primo casu ego illam tenui; secùs autem dicendum est si confessarius fuit absolutus, aut non plenè punitus ex defectu probationis; nam in tali casu adest obligatio denunciandi, quia Promotor Fiscalis Sancti Officij habet iam ius acquisitum ad procedendum contra confessarium, quod non cessat per primam sententiam, quia nova ad-*
ve-

veniente probatione denuo repetitur causa, cum sit de re pertinente ad fidem; non enim in rem iudicatam transeunt huiusmodi sententiæ; cum ergo hoc ita sit non videtur cessare obligationem denunciandi, cum adhuc stet censura Inquisitorum; quæ in favorem causarum fidei possita est; vnde quia non constat reum sufficienter esse punitum regulariter denunciandus est. Hęc Diana.

198 His relatis, resolvo, quòd si Confessarius fuit convictus, vel confessus de solicitatione illius fęminę, quę nondum denunciavit, & propter illam, & alias solicitationes abiuravit, & fuit punitus, talis fęmina non tenetur illum denunciare propter illam solicitationem pręteritam; si autem abiuravit, & fuit punitus propter alias solicitationes, adhùc huiusmodi fęmina solicitata tenetur denunciare. Ita Bonacina *tom. 1. disp. 6. de denunc. punct. 3 num.* 15. Prima pars probatur ex ea ratione communi, quia iudicium bis exerceri non solet in ipsum, & res semel iudicata, & punita iterum non revocatur in iudicium vt puniatur; sed in prima parte supponitur, quòd iste Confessarius, vel quia fuit convictus, vel quia Cōfessus, non solùm fuit punitus, & abiuravit propter alias solicitationes, sed etiam propter illam pręteritam non denunciatam: ergo in hoc casu fęmina solicitata non tenetur denunciare.

199 In secundo autem casu non est immunis ab obligatione denunciandi, etiam si Confessarius abiuraverit, & fuerit punitus propter alias denunciationes. Primò constat hæc resolutio ex doctrina allata Patris Dianæ. Secundò, quia in Tribunali Sanctæ Inquisitionis licèt solicitans convictus, & Confessus, abiuret, & puniatur, tamen punitur secundum mēsuram delictorum; taliter quòd qui plures habet solicitationes gravius puniatur, & in hoc crimine non solùm Tribunal attendit ad emendationem, sed etiam ad punitionem delictorum: ergo cum non sit punitus propter illam solicitationem, quia in primis non fuit de ea convictus, deinde non fuit confessus, tenetur fęmina illum Confessarium denunciare, etiamsi sit emendatus. Pręterea, quia absolutus, vel con-

demnatus in causa hæresis accedente nova probatione iterum debet puniri, & abiuvare. Ita Rojas *de hæret. 2. part. assert. 49. & seqq.* sed idem iudicium, vt dixi, fit in delictis generantibus suspicionem in fide: ego etiam si solicitans sit condemnatus, & abiuraverit, quamvis sit emendatus, iterùm propter solicitationem præteritam debet denunciari.

200 Ioannes Sanchez loco citato sic arguit: obligatio denunciandi præteritam solicitationem extincta fuit, eo quòd solicitans fuit punitus; sed hæc obligatio non renascitur ex reincidentia Confessoris in idem crimen: ergo etiam si detur reincidentia non est obligatio denunciandi Confessarium propter solicitationem præteritam. Præterea, quia invtilis esset talis denunciatio ad puniendum illum Confessarium; nam talis punitio solùm attendit ad crimina commissa post primam punitionem; non autem ad antecendẽtia. Respondetur hoc argumentum convincere Confessarium punitum non solùm propter alias solicitationes, sed etiam propter istam, quam omissit fęmina denunciare, postea non esse denunciandum ab hac fęmina, etiam si reincidat in alias solicitationes, quia cum iam ille Confessarius esset punitus propter illam invtilis esset denunciatio.

201 Sed quia Ioannes Sanchez intendit probare, quòd etiam si Confessarius non sit punitus propter illam solicitationem, sed ob alias, iam obligatio denunciandi huiusmodi Confessarium fuit extincta. Respondeo in forma distinguẽdo maiorem, huiusmodi obligatio fuit extincta, si solùm fuit Confessarius punitus propter alias solicitationes, nego maiorem; si fuit punitus etiam propter istam, quia Confessarius illam manifestavit, concedo maiorem, & nego suppositum minoris, quod est, in hoc casu hanc obligationem fuisse extinctam. Ad illud quod addit, quod hæc denunciatio esset invtilis, iam constat ex antecedentibus vtilissimam esse, quia cum ista delicta non transeant in rem iudicatam, facta hac delatione possunt Inquisitores punire solicitantem; nam

nec

nec fuit penitus, nec abiuravit propter istam solicitationem.

QVÆSTIO VII.

Quas pœnas incurrant personæ solicitatæ si non denunciant, & quæ tenentur denunciare.

202 HVcusque sermo fuit de correctione fraterna, & de connexis cum illa; & in quæstione antecedenti plura diximus de obligatione denunciandi; sed vt adimpleant pœnitentes solicitati suum munus, operę pretium est, in hac quæstione aperire pœnas, in quibus personæ solicitatæ incurrunt, si non denunciant hoc enorme crimen solicitationis in Tribunali Sanctæ Inquisitionis, & postea in eadem quæstione erit sermo de personis, quæ tenentur denunciare, pro quo sit.

§. I.

Explicantur effectus deliberatæ ommissionis denunciandi Confessarium solicitantem.

203 SVppono; quòd vt fęmina solicitata incurrat in pœnas taxatas contra omittentes solicitationis denunciationem, huiusmodi omissionem debere esse liberam, ea libertate, quæ requiritur ad peccatum mortale committendum; quare effectus non denunciandi Confessarium solicitantem solùm incurrunt fęminæ solicitatæ, quæ scientes ædictum Inquisitorum non denunciant. In præsenti enim opportet ostendere, quinam sint isti effectus; vt omnes solicitatæ fęminæ ædicto Inquisitionis satisfaciant.

204 Dico primò: si fęmina solicitata non denunciat solicitantem Sacerdotem, cum possit absque gravi periculo, vel nocumento, peccat mortaliter; in hoc nulla controversia est

apud Doctores. In primis enim facit contra præceptum Sũmorum Pontificum in materia gravi, quare quamvis Pius IV. non dicat nisi denunciandos esse Confessarios solicitantes à pœnitentibus solicitatis; cum hoc sit in materia tam gravi, omnes Auctores intellexerunt, intentum huius Pontificis esse obligare ad denunciandum sub peccato mortali; sed hodie post Bullam Gregorij XV. inqua declaravit hanc obligationem, non manet via ad dubitandum de hoc præcepto. Secũdò, quia DD. Inquisitores omnibus annis sub excommunicationis pœna ita præcipiunt, & cum hæc sit pœna gravis nõ imponitur nisi propter peccatum mortale, quia est excommunicatio maior: ergo absque controversia, mulierẽ solicitatam non denunciare Confessarium solicitantem peccatum mortale est.

205 Supposito quod sit peccatum mortale, dubium non contemnendum occurit; ad quam speciem peccatorum pertineat hæc omissio libera denunciandi Confessarium solicitantem. Ioannes Sanchez *in select. disp.* 11. *num.* 48. dicit esse peccatum sacrilegij, quam sententiam tenet Acuña *quæst.* 20. *num.* 10. Sed Thomas Hurtado loco citato *resol.* 47. *num.* 562. *& seqq.* licèt teneat solùm esse peccatum mortale inobedientię, existimat probabilem sententiam Ioannis Sanchez: ponam fundamenta principaliora vtriusque sententiæ. Ex eo quod fęmina solicitata non denunciet Confessarium solicitantem pro ea stat, quòd Sacramentum Pœnitentię polluatur rebus obscęnis, & quòd huiusmodi Confessarius postea abutatur Sacramento Pœnitentiæ; sed hoc est peccatum sacrilegij, quia fęmina omittendo denunciationem cooperatur ad iniuriam Sacramenti moralitèr cum Sacerdote abutente: ergo omissio libera denunciationis est peccatum sacrilegij oppositum virtuti religionis.

206 Secundò parificatur hoc fundamentum; nam si Prælatus pręciperet in virtute sanctæ obedientiæ denunciationem furis, si aliquis potest denunciare, & non denunciat committit peccatum cum duplici malitia, scilicèt in obedien-

dientiæ, & iniustitiæ, quia hoc peccatum, & opponitur obedientiæ, & iustitiæ, quatenus stat pro omittente denunciationem, quòd fur non restituat: ergo pariformitèr si aliquis non denunciat Confessarium solicitantem cum possit; committit duas malitiàs in ipsa voluntaria omissione, aliam sacrilegij, & aliam inobedientiæ.

207 D. Ioannes Escobar à Corro *part. 2. quæst. 5. §. 2. numer. 4.* in ista voluntaria omissione solùm cognoscit vnam malitiam sacrilegij, & fundatur in eo, quòd finis Pontificum, & Inquisitorum in ędictis publicandis fuit, vt Sacramentum Pœnitentiæ ab omnibus veneretur, & ne rebus obscænis poluatur. Hæc sententia pace tanti viri impugnatur; quia etiã si finis Prælati in virtute sanctæ obedientiæ pręcipientis, quòd manifestetur furtum, sit vt restituatur ablatum, tamen non ideo subditus omittens voluntariè manifestare furem liberatur à peccato inobedientiæ: ergo similiter, etiam si finis Pontificum, & Inquisitorum in ędictis promulgandis sit, quòd manifestentur solicitantes ad evitandam iniuriam Sacramenti Pœnitentiæ, & ne poluatur rebus obscenis, nõ ideo omissio libera denunciationis subterfugit malitiam peccati inobedientię.

208 Doctissimus Martinus Bonacina stat pro sententia Ioann. Escobar à Corro *tom. 1. disp. 6. de obligat. denunciant. punct. 3. num. 16.* & respondet ad hoc argum. cum distinctione dicendo: verum esse, quòd tale peccatum est contra obedientiam generalem; non autem contra virtutem specialem obedientiæ. Aliunde non est omittendum fundamentum Bonacinę, quod sic potest proponi: denunciatio, in casu solicitationis, est actus Religionis: ergo omissio libera denunciationis est peccatum oppositum virtuti Religionis. Consequentia constat, & potest parificari; quia honorare parentes est actus pietatis, omittere liberè huiusmodi honorem est contra virtutem pietatis: ergo pariformitèr est discurrendum in omissione libera denunciationis. Antecedens sic probatur à Bonacina: actus cõstituitur in ea specie virtutis,

tis,

tis, quam Legislator respicit dum actum precipit. Ita Vazquez 1. 2. *disp.* 98. *cap.* 2. sed in praecipienda denunciatione Summi Pontifices, & Inquisitores respiciunt virtutem Religionis, siquidem finis intentus est ne iniuria fiat Sacramento Poenitentiæ, & ne fideles retrahātur ab illo suscipiendo: ergo denunciatio constituitur in specie virtutis Religionis; ac perconsequens non denunciare liberè est peccatum oppositū virtuti Religionis.

209 Licèt in hac materia non extendam calamum, quia de hoc puncto ponderato eruditè à Bonacina tractant Theologi abundè in materia de legibus: tamen nescio quo fundamento isti Auctores etiam si tribuant his actibus bonitatem, vel malitiam à fine principalitèr intento, negant specialem malitiam, vel bonitatem à fine operantis contra speciale praeceptum Prælati, vel iuxta illud. Si enim Religiosus contra expressum preceptum Superioris è conventu exiret animo violandi castitatem, etiam si in prohibendo exitum finis superioris esset virtus castitatis; quare talis transgresio subditi non haberet duplicem malitiam, vnam contra virtutem obedientiæ specialem, & aliam contra castitatem? Aliàs ferè nunquam daretur peccatum oppositum specialiter virtuti obedientiæ, quia frequenter superiores in preci piendo, & prohibendo, alias virtutes pro fine praecepti habent.

210 Omitto sententiam Ioann. Escobar in sua probabilitate, quia non est contra meum intentum; solùm adverto malè dixisse Thomam Hurtado asserendo *num.* 565. Ioann. Escobar processisse vt Iuristam, non autem vt Theologum, quia gravissimi Theologi defensant sententiam Escobar, siquidem præter Patrem Vazquez citatum illam tenent Trullenc. *tom.* 1. *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 30. *dub.* 18. *num.* 17. & citat Enriq. *lib.* 6. *cap.* 22. *num.* 6. etiam citat Dianam 4. *part. tract.* 5. *resol* 3. sed malè, quia in dicto loco solùm iste Auctor astruit breviter obligationem denunciandi sub onere peccati mortalis non explicando speciem.

211 Non omittam pro coronide huius disputationis sen-

sententiam propriam Thomæ Hurtado loco citato; nam licèt admittat esse probabile, quòd huiusmodi omissio libera denunciationis est peccatum mortale inobedientiæ, & sacrilegij; nihilominùs ad adstruendum esse tantum peccatum inobedientiæ, si non omittatur denũciatio ex intentione, quòd Sacramentum iniurietur. Sic discurrit primo: licèt Sacerdos solicitans in confessione sit sacrilegus, quia abutitur Sacramento, tamen qui omittit illum denunciare sacrilegus non est: ergo licèt solicitatio in confessione sit peccatum sacrilegij, omissio denunciationis in fęmina solicitata non est peccatum sacrilegij, sed inobedientiæ. Probatur antecedens; omissio denunciandi hæreticum non est hæresis, sed inobedientia; nec omittens liberè huiusmodi denunciationem est hæreticus: ergo etiamsi Sacerdos solicitans sit sacrilegus; non autem fęmina omittens illum denunciare: ergo omissio libera denunciationis solùm est peccatum inobedientię. Secundò sic discurrit; quando est omissio denunciandi, nec moraliter adest Sacramentum: ergo illi non infertur iniuria omittendo denunciationem; sed omissio huiusmodi denunciandi solùm posset habere malitiam sacrilegij propter cooperationem moralem ad sacrilegium cum Sacerdote solicitante: ergo cum ex hac parte non habeat hanc malitiam, quia tunc Sacramentum, nec moraliter adest non erit peccatum sacrilegij, sed inobedientiæ. Ex his tribus sententijs potes sequi, quam malueris, quia quęlibet ex his est certò probabilis, & in omnibus est indubitatum, omittentes liberè denunciationem Confessarij solicitantis committere grauissimum peccatum mortale.

212 Secundus effectus omissionis liberę denunciationis est excommunicatio maior; de hoc effectu nullum est dubium: quia licèt non exprimatur in Bullis Apostolicis omnibus annis intimatur per ędictum DD. Inquisitorum Difficultas in præsenti est, an hæc excommunicatio incurratur quoties est opportunitas denunciandi, & fęmina solicitata non denunciat. Pro parte affirmatiua stat Bonacina *tom. 1. disp. 1.*

de

de censuris, quæst. 1. *punct.* 5. *num.* 2. *& disp.* 6. *de onere, & obligat. denunt. punct* 1. §. 9. *num.* 9. in eamdem sententiam inclinatur Escobar à Corro *in suo tract. de Confess. solicitant. part.* 2. *quæst.* 5. §. 1. *num.* 16. licèt §. *antecedenti num.* 18. dicat sententiam cõtrariam esse amplectendam; nam asserere, quòd quoties mulier solicitata non denunciat transacto termino edicti cum possit denunciare, ligari nova excommunicatione, nimis durum est.

213 Contrariam sententiam defensat Diana 3. *part. tract.* 5. *in miscællaneis*, *resol.* 95. cum Lazario *de monitorijs, sect.* 2. *quæst.* 4. *num.* 8. & ego illam amplector, quia benignior, & certò probabilis; quia ex vna parte in omnibus Tribunalibus Ecclesiasticis est praxis solùm absolvendi ab vnica censura, etiam si excommunicatus multum tempus in illa perseveret; & ex alia, hęc sententia & habet graves Auctores, & nititur solido fundamento, & sic potest proponi: Excommunicatio ponitur contra omissionem liberam externam denunciandi; sed etiam si mulier solicitata per longum tempus omittat denunciationem, vna dumtaxat datur omissio exterior: ergo huiusmodi fęmina solùm incurrit vnam excommunicationem. Maior est certa, & est doctrina communis in materia de censuris. Minor probatur: si essent moralitèr plures omissiones exteriores, ideo esset vt asserunt Auctores contrariæ sententiæ, quia multiplicantur omissiones internæ; nam quoties ocurrit opportunitas denunciandi, & mulier solicitata omittit denunciationem peccat mortaliter contra præceptum denunciandi, sed ad summum imperatur à diversis actibus internis: ergo etiam si per longus tempus maneat mulier solicitata in hac omissione, vnica omissio exterior concedenda est: ergo cum excommunicatio incurratur propter omissionem externam denunciandi, etiam si per longum tempus omittatur denunciatio, solùm vnicam excommunicationem fęmina solicitata incurreret.

214 Parificatur hoc primò: si Episcopus, vel Prælatus

re-

regularis ponat excommunicationem contra non restituentem, etiam si per longum tempus huiusmodi non restituens omittat restitutionem, solùm vnicam excommunicationem contrahit; ideoque quando restituit solùm ab vna excommunicatione absolvitur, vt dicunt in terminis Navarra *de de restit. lib. 4. cap. 4. num. 9.* Tannerus 2. 2. *disp. 4. quæst. 6. dub. 14. num. 425.* Cardinalis de Lugo *de iust. disp. 6. sect. 2.* ergo idem dicendum est de femina solicitata omittente liberè denunciationem per longum tempus; quia sicut in casu restitutionis dantur plures omissiones liberæ internè peccaminosæ, ita in non denunciante Confessarium solicitantem; sed hoc non obstanti in casu omissionis restituendi solùm incurritur vnica excommunicatio, quia omissio peccaminosa exterior est vnica: ergo non denuncians Confessarium solicitantem solùm incurrit vnicam excommunicationem, quia omissio exterior vnica est.

215 Licèt fundamentum Bonacinæ ex dictis maneat solutum, vt meliùs nostrum assertum penetretur ad hanc formam reduci valet. Quando contra transgredientes aliquod præceptum fulminantur censuræ tot sunt censuræ, quot sunt transgressiones formaliter, & materialiter præcepti; sed in nostro casu, semper, & quando potest femina solicitata denunciare, & non denunciat datur transgressio præcepti formalis, & materialis: ergo quoties potest denunciare, & non denunciat incurrit de novo excommunicationem latam cõtra non denunciantes. Maior constat primo ratione: quia lex ponit censuram propter trangressionem ipsius legis: ergo si datur multiplex transgressio, multiplex est censura, sicut si vnica tantum transgressio, solùm datur vnica censura. Secundo probatur eadem maior à paritate: qui percutit successivè, & sine interruptione Clericum vnicam tantum incurrit excommunicationem, vt colligitur ex Canone, *pro causa de sententia excommunicationis*; si autem percutit cum interruptione morali incurrit plures excommunicationes; sed hoc ideo est, quia in primo casu solùm datur vnica transgressio

moralis præcepti, licèt actus physici multiplicentur, in secundo quia sunt plures transgressiones formales, & morales, incurruntur plures censuræ: ergo tot sunt censuræ, quot sunt transgressiones morales præcepti; sed semper, & quando fęmina solicitata transacto tempore præfixo in ędicto non denunciat, cum possit, transgreditur prçceptum ędicti: ergo semper incurrit excōmunicationem; & cum sint plures transgressiones, plures incurrit censuras.

216 Respondetur distinguendo maiorem, tot sunt censuræ quot sunt transgressiones internæ nego maiorem, externæ concedo maiorem, ad illius probationem distinguo antecedens; lex ponit cēsuram propter transgressionem externam concedo antecedens, propter internam nego. Per quod patet disparitas, & ex illa fundamentū solidum nostrę resolutionis; nam ex eo qui absque interruptione vulnerat Clericum tantùm incurrit vnicam excommunicationem, quia transgressio exterior præcepti, vel legis est vnica moraliter, & qui cum interruptione percutit illum incurrit plures excommunicationes, quia transgressiones externę legis sunt plures moraliter; cum autem in casu omissionis denunciationis, licèt sint plures transgressiones legis internæ sit tantum vnica omissio externa imperata à pluribus omissionibus internis, solùm qui per multum tempus omittit liberè denunciationem vnicam excommunicationem incurrit.

217 Quod enim hæc instantia convincit est, quod si mulier sit solicitata à duobus Confessarijs, si illos non denūciat transacto termino ędicti cum possit, incurrit duplicem excommunicationem, quia habet duplicem omissionem exteriorem moralem numero distinctam, quamvis omissio phisica sit vna, sicut si quis vnico actu phisico occideret tres Clericos tres incurreret excōmunicationes, & qui vnico verbo quatuor induceret ad peccandum quatuor peccata numero distincta committeret. Ita Sanchez *tom.* 1. *Sum. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 8. Salas *part* 2. *tract.* 3. *disp.* 5. *sect.* 13 *num.* 110. qui citant plures gravissimos Auctores, quia licèt sit tantum vnicus

cus actus phisicus multiplex est moraliter: ergo cũ in hoc casu etiam si omissio libera denunciandi sit vna phisicè, moraliter sit multiplex, quia respicit plures denunciandos, talis fęmina incurreret duplicem excommunicationem.

218 Difficultas autem stat supposito quòd ad incurrendam excommunicationem requiritur, quòd omissio denunciandi sit libera, quę ignorantia sit requisita vt fęmina solicitata liberetur ab incursu excommunicationis, quia in hac materia variant Auctores; vt autem ad pleniorem intelligentiam huius difficultatis pervenias; de hac ignorantia, & de alijs causis excusantibus ab obligatione denunciandi erit sermo in sequenti.

§. II.

De causis excusantibus à denunciatione.

219 SVppono primò ex sententia communi, quòd si aliquis ignorat invincibiliter esse ædictum obligans ad denunciandum non incurrit excommunicationem, si non denunciat. Ratio est manifesta, quia non potest quis incurrere excommunicationem, si non committit peccatum mortale; sed qui ignorat invincibiliter prçceptum, læthaliter non peccat contra illud: ergo qui ignorat invinciliter ædictum DD. Inquisitorum excommunicationem non incurrit omittendo denuntiationem.

220 Suppono secundò, quòd aliquis etiam excusatur á censura, & à peccato mortali ex oblibione, inadvertentia, & naturali inconsideratione; quod accidit dum quis est conscius præcepti, sed hic & nunc ad illud non advertit, sic tenent Thomas Sanchez, Suarez, Azorius, & communiter Doctores. Imò etiam si habeat advertentiam ad præceptum, vel ædictum, sed non advertit ad pœnam impositam non incurrit censuram, quæ pœna est. Ita Thomas Sanchez *in Decal. lib. 4. cap. 22. n. 19.* Diana *3 p. tract. 6. in miscel. resol. 41.*

221 Suppono tertio; quod etiam si aliquis sciat esse pœnam contra non denunciantes solicitantem, si ignorat qualitatem solicitationis, quam etiam si sciret non denunciaret, & tunc cum hac ignorantia concommittante facti non denũciat solicitantem, licèt peccet mortaliter ea parte, qua est dispositus ad non denunciandum, quamvis cognosceret esse formalem solicitationem, non tamen incurrit excommunicationem positá in ędicto. Explicatur suppositio hoc exéplo: occidisti PetrumClericum, quem Laicum putabas, sed taliter animus erat dispositus, quod si cognosceres esse Clericum eo dé modo occideres; non incidis in excommunicationem Canonis latam contra occisores Clericorum, quia actu deficit voluntas occidendi Clericum, nam actus occisionis Clerici non fuit præcognitus, pariformiter: cognoscit esse excommunicationem contra non denunciantes Confessarios solicitantes, habes notitiam solicitationis, sed non cõgnoscis esse solicitationem comprehensam in ædicto, verumtaliter eras dispositus, quod etiam si illam cognosceres non denunciares, peccas mortaliter, sed liberaris ab incursu excommunicationis, quia actus solicitationis non fuit pręcognitus, quod erat necessum ad incurrendam excommunicationem positam in ædicto.

222 Suppono quartò, quòd habeas ignorantiam probabilem circa solicitationem, quia etiam si sit solicitatio, graves Auctores tenent probabile esse non esse solicitationem comprehensam in Bullis, nec in ædicto DD. Inquisitorum, si talis ignorantia non est tenuæ probabilitatis, sed certò probabilis, nec peccas, nec incurris excommunicationem. Sic tenent Suarez *de censur. tom.* 5. *disp* 4. *sect.* 8. *num.* 2. Sayrus *de conf. lib.* 1. *cap.* 18. Thomas Sanchez *in Decal. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 18. nam cum huiusmodi pœnités cum fundamento ignoret, & qui ignorat non potest dici ad monitus, non incurrit censuram, quia ad incursum huius pœnæ requiritur contumatia; quare omittendo denunciationem non solùm liberatur à censura, sed etiam à peccato; qui enim

ope-

operatur sequendo opinionem certo probabilem benè operatur, dummodo non sit in valore Sacramenti.

223 His suppositis difficultas est in præsenti, an si mulier solicitata ignoret ignorantia vincibili, affectata, vel supina esse impositam excommunicationem contra non denunciantes Confessarios solicitantes, si omittit denunciationem incurrat censuram? Breviter dicam differentiam, quam Doctores cognoscunt inter has ignorantias, dicunt enim, ignorantiam vincibilem esse, quando adhibetur aliqua diligétia ad consequendam notitiam censuræ, sed non sufficiens, ignorantia crassa, & supina, quando ad notitiam habendam pœnæ, vel censuræ, vel parva, vel nulla diligẽtia applicatur; in quo casu verificãtur illa verba sacræ paginæ: *Noluit intelligere vt bene ageret.*

224 Duplex sententia in hac materia invenitur, & vna parum differt ab alia; primam sententiam defensat Pater Tamburinus *tom. 1. in Decal. lib 1. cap. 2.* §. 10. *num.* 14. *& seqq.* & dicit, quod quando pœna imponitur sub his, vel similibus verbis: *Qui scienter, qui temere, qui audacter, qui malitiosè, qui consulto id fecerit hanc pœnam incurrat.* Tunc sufficiens est, quælibet ignorantia, vt quis excusetur ab incursione pœnæ, quamvis sit supina, vel affectata. Pro hac sententia citat Sanchez, & Bonacinam; at quando pœna non imponitur sub illis formulis, sed absolutè, nempe: *Qui hoc fecerit hanc pœnam, vel excommunicationem incurrat*; in hoc casu ignorantia crasa, & affectata non sufficiunt ad hanc pœnam evitandam.

225 Secunda sententia absque distinctione procedit, & defensat ignorantiam crasam, vel supinam pœnæ non excusare ab incursione talis pœnæ: hanc sententiam patrocinantur Thomas Sanchez *lib. 9. de Matrim disp. 32. num.* 31. Portel. *in addit ad dub. regul. verb. Ignorantia, num.* 25. Augustinus Barbosa *in cap. 2. num. 7. & 8. tit 2. lib. 1. in 6.* Diana 3 *p. tract 6. in miscell resol.* 13. & est communis. Iuxta hanc sententiam.

126 Assero primò: ignorantiam crasam, & supinam non esse sufficientem vt mulier solicitata omittendo denunciationem liberetur ab incursu excommunicationis. Hęc conclusio primo efficaciter probatur ex cap. *vt animarum, de Constit. in* 6. vbi sic fatur Summus Pontifex Bonifacius VIII. *Statuta quorumcumque Ordinariorum ligare nollumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa nō fuerit, aut supina*: ergo omnia statuta, vel ædicta ligant si ignorantia est crasa, vel supina: ergo quamvis mulier solicitata habeat ignorantiam crasam, vel supinam excommunicationis contra non denunciantes, si non denunciat non liberatur ab incursu excommunicationis.

117. Nec valet dicere Summum Pontificem loqui de pœnis impositis ab Episcopis, vel Ordinarijs, & ista excommunicationis pœna contra non denunciantes Confessarios solicitantes non est imposita ab Ordinarijs, sed à DD. Inquisitoribus. Non valet hæc evasio, quia in dicto capite nomine Ordinariorum intelliguntur omnes Iudices Ecclesiastici inferiores Papa; & præterquam ex dictis apparet ratio propter identitatem rationis: hanc intelligentiā tenent Avila *de censur. part.* 2. *disp.* 5. *cap.* 5. *dub.* 8. *con.* 2. Filliucius *tract.* 11. *cap.* 8. *quæst.* 11. *num.* 256. Barbosa *in collectat. ad* 6. *decretal. cap. vt animarum. de Constit. num.* 7. Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *disp.* 32. *num.* 31. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 1. *de censur. quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 10. Diana 5. *part. tract.* 9. *resol.* 17. Tannerus *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 10. *dub.* 3. *num.* 47. Ergo nomine Ordinariorum in præsenti intelliguntur omnes Iudices Ecclesiastici inferiores Papa, & Ordinarij ponuntur exēpli gratia.

127 Secundò probatur conclusio ad hominem contra Patrem Tamburinum; nam ex eo, & benè defensat ignorantiam crasam, & supinam non excusare ab incursione pœnæ, quando pœna ponitur absolutè contra aliquod crimen, quia sic ignorans cum dolo operatur, & cum dolus nemini suffragari debeat, non est ratio vt à pœna incurrenda

da liberetur; sed hæc eadem ratio militat, quando pœna imponitur sub illis formulis, *qui advertenter, vel scienter, &c.* ergo per talem ignorantiam non liberatur a pœnis. Probatur minor eadem ratione, qua Tamburinus probat maiorem, quia dum quis dolosè, & fraudulentèr procedit contra legem, etiam si formalitèr non consentiat contra illam, interpretativè consentit: ergo etiam si non habeat cognitionem formalem pœnæ, interpretativam illius habet, quia cognoscere, & nolle cognoscere in moralibus est idem: ergo sicut in casu maioris incurritur pœna, quia dolus nemini suffragatur, & ignorare interpretatur ac si sciret, pariformitèr in nostro casu; nam eodem modo iste operans affectat ignorantiam in fraudem legis.

228 Tertiò probatur; nam etiam si admittatur distinctio Patris Tamburini, numquam ignorantia crasa, & supina mulierem solicitatam non denunciantem Confessarium ab excommunicationis pœna liberat, quia in ædicto DD. Inquisitorum non ponuntur illa verba: *Scienter, vel consulto, &c.* sed absolutè ponitur pœna excommunicationis, verba enim ædicti sunt hæc: *Y so pena de excomunion latæ sententiæ, trina canonica monitione premissa, mandamos à todos, y à qualesquiera de vos, que supieredes, ò huvieredes hecho, visto, oydo dezir, &c.* quando enim ponuntur illa verba: *Scienter, vel consulto* non appellant supra notitiam directam delicti, sed supra reflexam criminis, & pœnæ; sed ædictum solùm requirit notitiam directam delicti ex visu, vel auditu: ergo etiam si sententia Tamburini sit vera, adhùc ignorantia crasa, vel supina excommunicationis non liberat mulierem solicitatam ab incursu talis pœnæ, si non denunciat Confessarium solicitantem.

229 Dico secundò esse probabile, quod si mulier ignoret vincibiliter esse excommunicationem contra non denunciantes Confessarios solicitantes si non denunciat non incurrit excommunicationem. Ita Tamburinus loco citato *num.* 17. eadem doctrinam patrocinatur Thomas Sanchez *lib. 9.*

de

de Matrim. disp. 32. *num* 30. Probatur *ex dicto cap. de Constit. in* 6. Nam ibi Summus Pontifex solùm vult obligare ad pœnas statutas per Iudices Ecclesiasticos, quando ignorantia est crassa, & supina; sed ignorantia vincibilis non est crassa, vt tenent communiter Doctores contra Patrem Suarez, quē sequitur Villalobos *in Summ. tom.* 1. *tract.* 16. *diffic.* 22. *num.* 6. qui confundit ignorantiam vincibilem cum crassa, & supina: ergo si mulier solicitata ignorat invincibiliter excommunicationem, licèt peccet mortaliter contra præceptum, si non denunciat non incurrit excommunicationem.

230 Probatur secundò ratione, quia censuræ, & irregularitates sunt pœnæ, quæ contemptum legis requirunt, vt dicit Navarrus *cap accepta, de restit spoliat. opposit.* 82. *illat.* 9. *num.* 35. sed non est contemptus vbi est adhibita aliqua diligentia: ergo cum in ignorante vincibiliter tantùm excommunicationem, sit adhibita aliqua diligentia, illam non incurrit. Probatur minor; quia vt esset contemptus in ignorante vincibiliter deberet esse dolus; sed in illo, qui facit aliquam diligentiam, etiam si non sufficiens advincendam ignorantiam non præsumitur dolus: ergo neque contemptus. Modo sic: qui tantum vincibiliter ignorat esse excommunicationem contra non denunciantes Confessarios solicitantes non contemnit pœnam excommunicationis, quia iam fuit adhibita aliqua diligentia pro illo, & ignorat esse pœnam excommunicationis: ergo si mulier vincibiliter tantùm ignorat esse excommunicationem contra non denunciantes Confessarios solicitantes, quamvis non denunciet non incurrit excommunicationem. Præterea, quia ad incurrendam excommunicationem requiritur contumacia, ac per consequens trina monitio, vel vna pro tribus; hæc enim in ignorante vincibiliter tantum non invenies: ergo nec excommunicationem. Pro hac sententia stat Bonacina *tom.* 1. *disp* 1. *de censur. quæst.* 2. *punct.* 1 *num.* 10.

231 Argues primò contra secundam conclusionem: si datur ignorantia invincibilis excommunicationis, dummodo

de-

detur notitia præcepti obligantis sub mortali incurritur excommunicatio: ergo multò meliùs cum sola ignorantia vincibili excommunicationis. Probatur antecedens: excommunicatio est pœna propter peccatum; sed pœna incurritur etiam si non detur notitia illius; dummodo sit culpa propter quam est imposita pœna: ergo quamvis non detur notitia excommunicationis, si cognoscitur præceptũ obligari sub culpa gravi, incurritur excommunicatio. Probatur minor: si aliquis graviter transgreditur præceptũ, etiã si invincibiliter ignoret pœnas inferni, quia tales pœnæ sunt propter transgressiones præcepti, incurrit illas: ergo etiam si non detur notitia pœnæ dummodo committatur delictum cui pœna imposita est, hæc incurritur. Præterea, quia vel pœna est proportionata delicto, vel improportionata? Si hoc secundum dicitur est iniusta; si primum eo ipso quòd delictum committatur tenetur quis subire pœnam, sed excommunicatio, si adest trangressio gravis præcepti, est pœna proportionata culpę: ergo si mulier solicitata non denunciando transgreditur præceptum, quamvis ignoret pœnam excommunicationis illã incurrit.

232 Propter hoc argumentum plures graves Auctores, vt Covarrubias *cap alma mater* 1. *part*. §.10. *num*.9. Corduva *in quæst. lib*.1. *quæst*. 25. *in principio*, Avila 2. *part. cap*. 5. *disp*.5. *dub*.10. *conclus*.2. & alij tenent, excommunicationem incurri cum ignorantia invincibili illius; dummodo detur advertentia præcepti, propter cuius transgressionem est imposita excommunicatio; sed non ideò est recedendum à nostra sententia, quæ communis est; & ad argumentum respondetur in forma negando antecedens, ad illius probationem distinguo minorem; sed pœna incurritur etiam si non detur notitia illius, si pœna est ordinaria concedo minorem; si sit extra ordinaria, nego minorem. Per quod patet ad paritatem de pœna inferni; nam ista est ordinaria, & proportionata peccato mortali secundum se considerato, & non est pœna, quã debet exequi in se peccator, sed in illo est exe-

P quen-

quenda; Excommunicatio enim debet exequi ab ipso criminoso, ac per consequens vt subijciatur tali pœnæ oportet, vt illam cognoscat, quod non contingit in ignorante invincibiliter. Ad confirmationem respondetur, excommunicationem non esse pœnam proportionatam peccato considerato secundum se; benè verò attentis circunstantijs nempe contumacia, quòd sit contra bonum commune, & alijs ex quibus movetur Iudex ad imponendam huiusmodi pœnam; si autem homo sit ignarus huius pœnæ, hanc non incurrit, quia licèt sit proportionata attentis circunstantijs culpæ, non autem peccato considerato secundum se.

233 Argues secundò contra eamdem conclusionem: etiam si aliquis vincibiliter ignoret legem, vel præceptum, si in materia gravi illud transgreditur, non excusatur à peccato mortali: ergo etiam si ignoret vincibiliter pœnam impositam contra non denunciantes, si non denunciat pœnam incurrit, hoc argumentum est fundamentum vnicum contrariæ sententiæ, sed tam efficax, quòd propter illud plures Auctores teneant contrariam sententiam, & alij dicunt hanc esse probabilē, sicut ego dixi in conclusione, quare stando in illa respondetur, concedēdo antecedens, & negando consequentiam; quia quo ad peccatum idem est debere scire, ac scire, *ex l. quod de mihi 5. ff. de reb. cred.* at quo ad pœnam non est idem, & præcipuè in excommunicatione, & irregularitate, eo quòd sint pœnæ, quæ contemptum legis requirunt, & videtur non esse contemptum vbi est adhibita aliqua diligentia, etiam si non sit sufficiens ad notitiam capiendam de pœna; nam sicut ista diligentia excusat à dolo, ita ab incursu excommunicationis.

(·?·)

§. III.

§. III.

De alijs causis excusantibus à denunciatione.

234 SVppono primò, quòd apud omnes Doctores ædictum DD. Inquisitorum ad minus est annuale, ac per consequens obligat per integrum annum, vt omnes denuncient intra sex dies, qui non sunt computandi, vt dixi, à die publicationis, & à die, quo quis habet notitiam ædicti, & delicti. Dico ad minus esse annuale, quia Ioan. Sanchez *in select. disp. 11. num. 62.* contra Freitam defensat hoc ædictum esse perpetuum; ac per consequens etiam si non publicetur omnibus annis; cum hoc præceptum sit per modum legis est obligatio denunciandi, non solùm sub peccato mortali, sed sub pœna excommunicationis maioris.

235 Suppono secundò, quòd adhùc si non esset obligatio sub pœna excommunicationis denunciandi Confessarios solicitantes per ædictum DD. Inquisitorum; per aliud decretum Pontificium emanatum *3 Ianuarij anno* 1623. est obligatio denunciandi hæreticos, & de hæresi suspectos, non solùm sub peccato mortali, sed etiam sub pęna excommunicationis. Sic noster Peyrinis *tom. 1. privileg. Constit. 9. Pauli V. §. 1. num. 27.* quòd decretum fuit publicatum tempore Gregorij XV. cumque crimen solicitationis generet suspicionẽ in fide, etiam si cessaret ædictum DD. Inquisitorum, per dictũ decretum sub pęna excommunicationis esset obligatio denũciandi Confessarios solicitantes.

236 Aliqui dicunt etiam hoc decretum solùm obligasse tempore Gregorij XV. quia fuit expeditum per modũ præcepti, & non per modum legis, & constitutionis, vt constat ex tenore ipsius, & inter præceptum, & legem hæc est differentia, quòd ista est perpetua, præceptum solùm durat tempore, quo vivit præcipiens. Non valet hæc distinctio; nam vt

advertit noster Peyrinis loco citato, decretum, & præceptum sępiùs confunduntur in iure citat Turch. *vers. Præceptum, conclus.* 480. *num.* 4. & 11. Et constat clariùs ex quadam Constit. Sixti V. circa agitationes taurorum, quæ incipit: *Nuper siquidem*, quam refert Gutierrez *lib* 1. *Can. qq. cap.* 17. *num* 38. vbi postquam retulit idem Pontifex Constitutionem Beati Pij V. & Gregorij XV. ait: *Nos vt Romanorum Pontificum præcepta provt decet inviolabiliter obseruentur.* Vbi Constitutiones, & leges Pontificias vocat præcepta.

237 Hoc assumptum magis fundatur; qui ex dicto præcepto nullum apparet signum, quare non debeat esse perpetuum; nam illa verba: *Præcipimus vt infra duodecim dies proximè computandos*: intelliguntur à die notitiæ delicti, & non à die datæ dicti præcepti. Tum, quia hoc præceptum obligat vbique, & pœna indefinitè posita perpetua est; sed proponitur hæc constitutio nomine præcepti, quia hoc est familiarius in Sancto Tribunali: ergo cum solicitatio sit ex delictis generantibus suspicionem in fide, etiam si non esset edictum DD. Inquisitorum per dictum decretum sub pęna maioris excomunicationis esset deferenda solicitatio ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis. His suppositis.

238 Est certum apud omnes, quòd si in muliere solicitata sit aliquod impedimentum, vel anterius, vel superveniens, eo durante, non tenetur denunciare, quia vel illud impedimentum est impotentia phisica, vel moralis; sed stante qualibet istarum, nec violatur præceptum, nec incurritur excommunicatio: ergo sivè sit impedimentum anterius vel superveniens; dummodo procedat ab impotentia phisica, vel morali, illo durante Confessarius solicitans denunciandus non est; sed quodnam sit sufficiens impedimentum prudens Confessarius iudicabit, posteaq; aliqua enumerabo, vt attentis circunstantijs proportionaliter discurrant.

239 Sed circa hoc est primum dubium; si aliquis est impeditus iusto titulo, cessante impedimento, tenetur ne denũciare statim, vel illi est concedendus terminus præfixus in

ædi-

ædicto? Respondeo cum Suarez *de cens. disp.* 10. *sect.* 3. *n.* 14. cum distinctione, aut impedimentum illud fuit cum ignorãtia publicationis ædicti, aut cum scientia eiusdem, & ex alio capite fuit impedimentum. In primo casu est assignandus terminus ędicti, qui currit à secunda die publicationis, vt dixi; quia talis terminus datur, vt supposita notitia obligationis possit deliberare quomodo debet fieri denunciatio, & si est casus in quo obligatur denunciare; sed omnia ista supponunt notitiam ædicti: ergo si impedimentum denunciandi fuit ex ignorantia ædicti non tenetur mulier solicitata denunciare ante sex dies, nec incurrit excommunicationem si antea non denunciat.

240 Si autem impedimentum est cum scientia obligationis denunciandi, etiam respondeo cum distinctione; si enim istud impedimentum fuit tale, quòd consilium capere impedivit; quia supervenit gravis infirmitas, aut quid simile assignandus est illi terminus ædicti; nam sex dies dantur, vt aliquis capiat consilium, & deliberet de modo, quo fit denũciatio, supposita notitia obligationis denunciandi; sed in hoc casu fuit impedimentum ad capiendum consilium, etiam si supponatur notitia ædicti: ergo si denunciat intra terminum præfixum sex dierum non incurrit excommunicationem: si enim impedimentum iam supervenit ad consilium, & ad deliberationem denunciationis, existimo, quòd ablato impedimento, statim tenetur denunciare, quia non est ratio cur denunciatio differatur; cum iste habeat notitiam ędicti, & aliunde sciat quomodo sit exequenda denunciatio: ergo in hoc casu statim ablato impedimento, huiusmodi pœnitens tenetur denunciare.

241 Secundum dubium est: quędam fęmina solicitata habet notitiam ædicti, & quòd in Hispania terminus præfixus ad denunciandum est sex dierum, in Italia duodecim, & in Lusitania triginta, & simul cognoscit, quòd spectando terminum præfixum habebit impedimentum ad denunciandum propter longam peregrinationem, vel aliud simi-

le;

le; tenetur ne prævenire denunciationem ante terminum præfixum, quia prævidet impedimentum? Potest responderi cum distinctione; si enim ista femina solicitata timet probabiliter, aut fugam Sacerdotis, aut novam aliam solicitationem statim tenetur denunciare; si autem hoc non timetur potest denuncians vti iure suo ab Inquisitoribus concesso, quia per accidens est, quod dilatetur denunciatio propter superveniens impedimentum. Sic discurrunt communiter Auctores, & in terminis Ioannes Sanchez *select.* 11. *num.*6. sed iudico probabilius, quod si femina solicitata prævidet, quod transacto termino adicto superveniet aliquod magnum impedimentum longi temporis, statim tenetur denunciare, non solum sub peccato mortali, sed etiam sub incursu excommunicationis, quod multipliciter probatur a Diana 4. *p. tract.* 5. *de Confess. solicit. resol.*29. & patificatur hoc modo, qui timet quod quando obligabit Confessio non erit copia Confessarij tenetur prævenire tempus Confessionis, & idem est dicendum de præcepto communionis in Paschate, ita Suarez *tom.* 4. *disp* 36. *sect* 5. *num* 5. Layman *in Theol. mor. lib.*5. *tract* 6. *cap.*3. Silbius *in* 3. *part. quæst.*80. *art.* 11. *diffic.*1. Fagundez *part.*3. *lib.*1. *cap.*6. *num.*3. & si quis in die festo prævidet se non posse audire Sacrum hora nona propter aliquod impedimentum superveniens, tenetur anticipare tempus, & audire Sacrum: ergo pariformiter huiusmodi femina solicitata tenetur anticipare denunciationem si prævidet impedimentum superveniens.

242 Ex quo infero aliud dubium; quod est huiusmodi: quędam femina solicitata est in articulo mortis in oppido vbi nec est Inquisitio, nec Cōmissarius, vel alius minister Sancti Officij, quomodo cum ista Confessarius procedere debet, & vlterius, si iste casus succedit cum Moniali solicitata, quæ ratione clausuræ habet perpetuum impedimentum accedendi ad DD. Inquisitores; istæ enim duæ feminæ tenentur denunciare Confessarium solicitantem, & si non denunciant, Confessarius potest illas absolvere? Ratio dubitandi est, quia

quia nec fęmina moribunda, nec Monialis possunt accedere ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis deferendo denunciationem contra Confessarium solicitantem; hoc enim est pęnale, & in pęnalibus non fit extensio: ergo cum non possint facere per se denunciationem non tenetur illam deferre ad DD. Inquisitores per Confessarium, vel per alium.

243 Hæc difficultas ponderatur cum doctrina Tamburini *tom. 1. in Decal. lib. 2. cap. 1. de fide*, §. 8. *num.* 10. in quo duo statuit, & pro secundo citat Castrum à Palao, Sanchez, & Enriquez. Primo dicit, quòd si aliquis, qui incidit in heresim formalem externam est constitutus in articulo mortis, etiam si pro absolutione possit vocare Superiorem per Confessarium, vel possit disponere, quod huiusmodi Superior det Confessario facultatem illum absolvendi à censura, non est obligatus hoc exequendi; sed potest absolvi à quocumque Confessario approbato; idemque discurrit de Moniali, quæ in hæresim externam inciderat, & hoc est secundum, quod affirmat; & *num.* 8. idem statuit si pœnitens habet impedimētum perpetuum, verbi gratia, ęgritudinem, paupertatem, pœnam carceris, vel triremis, & fundatur in eo, quòd istæ personæ non possunt per se adire, & non est dicendum, quòd compareant per alios, quia sumus in materia odiosa, & pęnali, & hoc modo fieret extensio.

244 Ex qua doctrina sic possumus arguere: licèt Bullæ contra Confessarios solicitantes sint favorabiles principaliter; tamen ea parte qua obligant denunciare Confessarios sunt odiosæ, & pœnales; sed in pœnalibus non fit extensio, sed restrictio: ergo nec illa fęmina moribunda, nec Monialis tenentur denunciare, quia ambæ habent impedimentum denunciandi per se, & si obligarentur ad denunciandum per alium fieret extensio in pœnalibus. Probatur cōsequentia aparitate; nam sicut textus in materia hæresis disponunt, quòd hæretici adeant ad Superiores pro obtinenda absolutione, ita quòd fęminæ solicitatæ denuncient; sed iuxta sententiam propositam pro obtinenda absolutione

non

non tenentur hæretici comparere per alium: ergo nec in casu proposito femina moribunda, nec Monialis tenentur denunciare Confessarium solicitantem per alium.

145 His non obstantibus resolvendum est; feminam moribundam, & Monialem teneri denunciare Confessarium solicitantem per alium, taliter quòd si denunciare nollunt nō possunt absolvi à Confessario. Secunda pars resolutionis est omninò certa, quia non possunt absolvi excommunicati nisi prius satisfaciant parti, vel præstent cautionem iuratoriam satisfaciendi, vt postea dicam; sed in hoc casu, & femina moribunda, & Monialis habent obligationem denunciandi sub pena excommunicationis, & si terminus ædicti est præfixus sunt excommunicatæ: ergo non possunt absolvi si non denunciant per alium.

246 Prima pars resolutionis non minorem certitudinem habet; nam præterquam, quòd sententia Tamburini, & Castri à Palao sapit propositionem quartam damnatam ab Alexandro VII. hodie post Bullas Innocentij XI. & Alexandri VII. facultas absolvendi ab hæresi etiam occulta privativè residet in DD. Inquisitoribus: ergo nec Monialis, nec qui habet perpetuum impedimentum possunt absolvi à Confessario si possunt comparere per alium; & in articulo, vel periculo mortis, taliter fit absolutio, quòd si postea infirmus convaluerit tenetur comparere, quod quidem in his casibus debent advertere Confessarij: ergo similiter huiusmodi Monialis solicitata, & femina moribunda, quæ non possunt denunciare per se tenentur per alium denunciare Confessarium solicitantem.

247 Sed quomodo debet fieri hæc denunciatio? in Moniali cum magna facilitate, quia ad impletionem sui muneris sufficit si mittat Confessarium, vt nomine illius denunciet; nam postea per Commissarium, vel per alium Ministrū Tribunal testificationem illius habebit. In femina moribunda alio modo est procedendum, quia si ex illa infirmitate moritur, Tribunal non potest ad illam recurrere, & si tantum

fit

fit vnus referens, nempè Confessarius non potest integrè convincere de testimonio fęminæ relatæ. Quare vt integrè, & iudicialitèr constet de testimonio illius fęminæ moribundæ Confessarius petat facultatem à fęmina advocandum alium Sacerdotem, vel si non est Sacerdos, personam secretam, & disponat, quòd coram huiusmodi persona referat fęmina, & solicitationem, & nomen Confessarij solicitantis, & si illa cōsensit, advertat, & instruat huiusmodi fęminam, ne coram illo vocato explicet suum consensum; & si fuerit tempus est meliùs, quòd Confessarius dictum fęminæ scribat, & subscribatur postea per ipsum Confessarium, & testem, & hoc modo postea prętentetur in Sancto Officio. Hæc dixi ad longum, quia casus est practicus, hoc enim modo monialis, & fęmina moribunda faciunt quod possunt, & eodem modo est discurrendum, & practicandum cum omnibus habentibus perpetuū impedimentum denunciandi per se.

248 Vt autem nullus qui impedimento caret subterfugiat obligationem denunciandi non solū ex vi decreti Pontificis, sed etiam ædicti DD. Inquisitorum hic se offert quoddam dubiolum, nempè vtrū ædictū Inquisitionis obliget exteros transeuntes per Regna Hispaniarum? Pono casum; aliquis Catholicus habitabat in aliqua Provincia Alemaniæ, vel in Anglia vbi nec publicatur ædictū Inquisitorum, nec Ordinarij, quia omnes incolæ sunt hæretici; iste peregrinationis, vel negociationis causa transit per ista Regna, & solicitatur ab aliquo Confessario, tenetur ne huiusmodi pęnitens solicitatus denunciare Confessarium, taliter, quòd si non denunciat incurrat excommunicationem ædicti?

249 Duplex resolutio valet adhiberi huic dubiolo secūdum duas sententias Doctorum: iuxta sententiam Layman *in Theol. mor. tract. 5. part. 1. cap. 4. num. 5.* Koninch. *de Sacrament. disp. 13. dub. 18. num. 60* & Dianæ *part. 5. tract. 5. resol. 73.* ex vi ædicti non tenetur talis pœnitens denunciare Confessarium solicitantem, quia peregrini non subiacent legibus locorum, ad quæ adveniunt, istique Auctores citant

pro hac sententia Sanchez, Fagundez, & Granados. Ex qua potest formari hoc argumētum: iurisdictio Inquisitorum est delegata à Summo Pontifice in Hispania, sicut in Lusitania pro Provincijs illius Regni: ergo cum ædictum dimanet ab hac iurisdictione delegata solùm extenditur ad incolas Hispaniæ; nam isti solùm sunt subditi, *ex cap. à nobis* 21. *de sentent. excommun.* ergo secundum istam sententiam est dicendum, quòd etiam si huiusmodi pęnitens peregrinus solicitetur à Confessario in Hispania, vi ædicti non tenetur denunciare.

250 Nihilominùs est resolvendum, & practicandum, quòd huiusmodi advena vi ędicti DD. Inquisitorum tenetur denunciare Confessarium solicitantem: Primò probatur destruendo principalius fundamentum contrariæ sententiæ, quia peregrinus, & advena ratione delicti sortitur forum, & subijcitur legibus territorij, in quo habitat, *l.* 3. *D. de Officio Præsidis*; ideòque Præses Provinciæ adversus extraneos habet imperium, vt notat Glossa *in capite à me citato*, nam si aliquis deliquit in aliqua Provincia, illic iuri subiacet *Authentica, qua in Provincia, C. ubi de crimine agi oportet*, quod verius est si delictum sit in præiudicium alicuius, vt notat Glossa *ad cap. placuit 6. quæst.* 3. *litt. C.* ergo cum delictum sit commissum in Hispania, ratione delicti subijcitur ædicto Inquisitionis; nam nō solùm criminosus est subiectus; sed etiā testis criminis, & est commune: ergo cum huiusmodi Confessarius solicitans subijciatur foro Inquisitorum, etiam solicitatus, quia est testis delicti.

251 Secundò probatur destruendo aliud fundamentum contrariæ sententiæ, quia vt constat ex textu *singuli in cap. à nobis*, citato semper debet attendi in proferenda sententia ad auctoritatem, quam tribuit delegans, & ideò in dicto capite sic loquitur Clemens III. *Dicimus, quòd hac sententia non nisi subditi obligantur, nisi forte plus contulerit, maior, & largior auctoritas delegantis*; sed dum Summus Pontifex suam auctoritatem delegavit DD. Inquisitoribus, eam non limitavit, sed

ad

ad omnes extendit in causa fidei: ergo huiusmodi advena, & peregrinus, cum subditus sit Inquisitorum ex delegatione Summi Pontificis vi ædicti tenetur denunciare huiusmodi Confessarium solicitantem. Parificatur, quia si huiusmodi peregrinus scit aliquem esse hæreticum absque controversia tenetur illum denunciare: ergo etiam Confessarium solicitantem. Probatur consequentia. ex eo tenetur denunciare hæreticum, quia hæresis est contra bonum commune fidei; sed etiam crimen solicitationis est contra bonum commune Sacramenti Pœnitentiæ, & contra bonum fidelium: ergo tenetur denunciare huiusmodi Confessarium solicitantem. Per quod patet ad fundamenta contrariæ sententiæ.

252 Aliud dubiolum affine præcedenti se effert: in nulltis terris Turcarum Reges Mahumetani permittunt templa pro captivis, & etiam Sacerdotes qui audiunt Confessiones, in illis terris quidam Confessarius, vel in vera Confessione, vel simulata solicitavit ad turpia fęminam captivam, & ista fuit redempta, & iã moratur in Regnis Hispaniæ; tenetur ne denunciare vi ædicti illum Confessarium solicitantem? Ex dictis est resolvendum huiusmodi fęminam teneri denunciare Confessarium solicitantem, quando est in Hispania vbi est Inquisitio. Probatur; nam huiusmodi Confessarius, etiam si solicitet vbi non est publicatum ædictum, est suspectus in fide: ergo fęmina solicitata tenetur illum denunciare intra terminum præfixum in ædicto, & si ablato impedimento non denunciat incurrit excommunicationem.

253 Contra istam resolutionem potest fieri quędam instantia efficax, quæ sic formatur: leges Pontificiæ, & Conciliorum secundum probabilem sententiam non obligant in conscientia etiam si Romæ publicentur, in illis Provincijs, in quibus non sunt sufficienter promulgatæ. Ita Diana 1. *part. tract.* 10. *resol.* 8. Molina *tom.* 2. *de iust. tract* 2. *disp.* 895. *num.* 4. Sotus *lib.* 1. *de iust. quæst.* 1. *art* 4. Layman *lib.* 1 *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. Beccanus 1. 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *num* 5. *&* 6. Homobonus *in exam. part.* 2. *tract* 12. *cap.* 3. *quæst.* 10. ex qua doctrina infert

fert Sanchez *lib. 3. de Matrimon. disp. 18. num. 31.* quòd fideles contrahentes in terris infidelium, in quibus non est publicatum decretum Concilij non concurrentibus testibus, & Parocho valide contrahunt, sed in illo loco in quo hęc mulier fuit solicitata non erat publicatum ædictum: ergo quando venit ad terras Hispanię vi ædicti non tenetur denunciare.

254 Si respondeas quòd iam dum commoratur in Hispania est in terris inquibus est ædictum publicatum, ac per consequens licèt non teneretur vi ædicti antea denunciare, benè verò in Hispania, vbi ædictum singulis Provincijs est sufficienter promulgatum. Contra: quia vt dicunt Palacios *in 4. distinct. 24. disp. 1. vers. Iam verò.* Fagundez *de Præcept. Eccles. in vltim. editione, præcept. 2. lib. 4. cap. 3. numer. 74.* & Sousa *in additione ad Bullam Gregorij XV. num. 3.* quòd Bulla Gregorij XV. neq; in his quæ confirmat ex certa scientia, neque in alijs, quæ de novo statuit extenditur ad lapsus præteritos; ac per consequens nec ad eos lapsus, qui præcesserunt ad illius promulgationem in singulis Provincijs, sed quando ista mulier fuit solicitata in illis terris non erat sufficienter promulgatum ædictum: ergo etiam si postea sit publicatum non tenetur denunciare vi ædicti, quia tale ædictum non debet extendi ad solicitationē præteritā.

255 Respondetur: aliud esse de Constitutione Pontificia discurrendum, & aliud de ædicto DD. Inquisitorum stādo in principijs sententiæ positæ in argumento; nam cum Constitutiones Pontificiæ sint leges, non possunt comprehendere casus commissos antę illarum publicationem, nam antequam detur lex non potest quis operare contra legem; cum autem ædictum non sit nova lex circa crimina contenta in illo, sed executio iurisdictionis delegatæ per leges Pontificias, hinc est quòd Constitutiones Pontificiæ non extendūtur ad casus pręteritos; benè verò ædictum cum per illud applicetur remedium ad punienda delicta patrata post Cōstitutiones Pontificias, quæ licèt sint præterita respectu ædicti, respectu Constitutionis Pontificiæ posteriora sunt; quare

cum

cum talis ſolicitatio ſit poſterior reſpectu Conſtitutionis, ad illam extenditur ædictum, imò potius vt conſtat ex tenore ædicti, quod intendunt DD. Inquiſitores per illud eſt vt delicta præterita revelentur, & non ſolùm in futurum commiſſa; hæc ſunt verba ædicti: *Si ſabeis, ò aveis oydo dezir, que algun Confeſſor, ô Confeſſores, Clerigos, ò Religioſos de qualquier eſtado, condicion, ô preeminencia que ſean, en el acto de la Confeſſion ayan ſolicitado, ò atentado ſolicitar, &c.* & ſic non ſolùm in hoc delicto, ſed in alijs, ædictum extenditur ad lapſus preteritos.

§. IIII.

An fœmina ſolicitata teneatur denunciare cum aliquo gravi damno.

256 PRincipalius damnum, quod timent mulieres nobiles ad deferendũ crimen ſolicitationis ad Sanctæ Inquiſitionis Tribunal eſt, ſi conſenſerunt amittere ſuam famam apud DD. Inquiſitores explicando ſuum crimen, quare advertant Confeſſarij, vt inſtruant tales fęminas ſolicitatas in modo diſponendi ſuam delationem, quia ſolùm tenentur deferre delicta Confeſſarij, non autem propria; & ſi hoc modo eſt in illis maximus horror, vel aliud inconveniens ad deferendam delationem pro ſe; cum licentia, & conſenſu talis fęminæ ipſe Confeſſarius deferat delationem ad Tribunal; quia in his materijs pro bono Sacramenti Pœnitentiæ, & fidelium debet fieri quantum poteſt attentis circunſtantijs. Et DD. Inquiſitores diſponunt, quòd iſta fęmina nobilis abſque nota faciat delationem per aliquem Commiſſarium, & hic non interroget de conſenſu mulieris, ſed de delicto Confeſſarij; imò potius ſi illa explicat in delatione conſenſum, exiſtimo non eſſe ſcribendum. Diana 1. *part. tract. 4. de denunciationib. reſol. 9. §. notandum eſt tamen.* Dicit quòd ſi fęmina explicat conſenſum non debet

ſcri-

scribi in actis tanquam res non spectans ad Tribunal Inquisitionis.

257 Post quam Peyrinis hoc idem asseruit *tom.2. in privileg. Minim. Constit.4. Gregorij XV. §.3. num 12.* dicit quòd Confessarij debent proponere hæc,& alia media fęminis ad illas inducendas ad denunciandum Confessarium solicitantem,& si aliqua adhùc non determinatur ad denunciandum, quia non potest deponere horrorem possunt DD Inquisitores dare auctoritatem Confessario recipiendi in scriptis denūciationem cum iuramento personę solicitatę, quam tenetur Confessarius deferre Inquisitoribus, & addit huiusmodi casum esse decretum Sacræ Congregationis expeditum *die* 7. *Septembris anno* 1624. subscriptū per Cardinalem Milinum. Nunquam hoc vidi in praxi,sed aliquando esset conveniens, quia sunt aliquę fęminę tam pusilanimes,in quibus alio modo non est medium ad earum timorem, & verecundiam vincendam. Hoc supposito.

258 Non est quæstio in pręsenti an fęmina solicitata, quæ consensit teneatur denunciare Confessarium solicitantem; nam de hoc postea erit sermo, sed dixi antecedentia, vt habeant media Confessarij monentes fęminas solicitatas ad Confessarios solicitantes denunciandos,& in præsenti est quæstio de alijs damnis,quę possunt timere si denuncient, & non credant facilè Confessarij ex delatione obvenire fęminis denunciantibus notabilia damna, quia multoties fęminæ trepidant timore,vbi non est timor,& in his materijs, adhibito grano salis,frequenter rigor consulendus est in favorem Sacramenti,& animarum.Solùm enim est quæstio in pręsenti,an si fęmina timeat mortem,abscissionem membri,vel gravia vulnera teneatur denunciare?

259 Assero talem fęminam non teneri ad denunciationem, illo timore perseverante, nec Confessarius consulat, quòd denunciet in his angustijs; at verò advertat,illis damnis cessantibus, huiusmodi fęminam habere obligationem denunciandi. Pro hac sententia stat Diana 4. *part. tract.* 5.

re-

resol. 19. Lezana *in Summ. cap.* 19. *num.* 34. Peyrinis *tom.* 2. *privileg. Constit.* 4. *Gregorij XV.* §. 9. *num.* 28. Fagundez 2. *pracept. Eccles. cap* 3. *num.* 31. Lugo *de iust. & iure, disp.* 38. *sect.* 2. *num.* 36. & alij citati per Dianam. Probatur primò: quia quãdo metus cadit in constantem virum non est obligatio denunciandi illo perseverante. Constat *ex cap. cum dilectus de his, quae vi*; sed metus mortis, abscissionis membri, & vulnerum est metus cadens in constantem virum: ergo illo perseverante non est obligatio denunciandi Confessarium solicitantem.

260 Ista ponuntur exempli gratia; nam metus mortis, abscissionis, membri, &c. inducunt metum in virum constantem, & si alia attentis circunstantijs inducant eundem metum, etiam illo perseverante cessat obligatio denunciandi. In hoc enim vt advertit Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. disp* 3. *nu.* 2. non potest assignari regula pro omnibus, quia in metu debemus attendere ad qualitatem illum pacientis; nam metus qui terrebit virum quietum, & pacificum, non terrebit militem rixossum assuetum armis, & vt metus dicatur respectu feminae cadens in virum constantem, regulariter est minor, quam in viro. Haec dixi vt attendas ad qualitates personę, vt resolvas, quę pasim possunt occurrere in hac materia, in matrimonio, & professione.

261 Secundo probatur conclusio auctoritate D. Thomae 2. 2. *quaest.* 147. *art.* 3. *ad* 2. vbi ponit hanc conclusionem vniversalem in omnibus pręceptis positivis, & humanis: *Si quis ex rationabili causa statutum non reserbet, pracipuè in casu, in quo etiam si Legislator adesset, non decerneret esse servandum, talis transgressio non constituit peccatum mortale*; sed dum est metus rationabilis mortis, &c. si adesset Legislator non decerneret, quòd in illo casu esset obligatio denunciandi: ergo tunc si mulier solicitata non denunciat, nec peccat mortaliter, nec incurrit excommunicationem. Probatur minor; nam tunc dicitur, quòd non obligaret Legislator, quando non est rationabile, quòd obliget; sed non est rationabile, quòd obliget

get si est talis metus: ergo si adesset Legislator non obligaret: ergo cum obligatio denunciandi Tribunali Inquisitionis oriatur ex præcepto positivo humano, si est metus mortis, &c. illo perseverante cessat obligatio denunciandi.

262 Nec valet si dicas: pręceptum denunciandi Confessarios solicitantes respicere bonum commune, conservatio vitæ, membrorum, &c. respicit bonum particulare, & cum hoc sit postponendum, etiam si sit præceptum positivum humanũ, obligat cum periculo mortis, absc.ssionis membri, & vulnerum in corpore. Hoc fundamento D. Ioan. Escobar à Corro 2. *part. quæst.* 3. §. 7. *num.* 32. *& seqq.* obligat fęminam solicitatam ad denunciandum etiam cum periculo vitæ, & famæ, quia in prępcepto denunciationis agitur de vindicanda iniuria illata Sacramento Penitẽtiæ, & de evitandis damnis inde obvenientibus saluti animarum, quod est pręferendum privato bono vitæ, & famæ.

263 Vt respondeam ad hoc fundamentum, & firmior maneat conclusio duo principia supponi debẽt. Primum est, quod homo habet ius naturale ad defendendam vitam, famam, & res familiares; Vnde in favorem horum contra invasorem licet insurgere cum moderamine inculpatę tutelę, idest si aliter defensio illorum bonorum fieri nequit. Secundum quòd infertur ex primo est, quòd habemus ius naturale ad damnum notabile contra prædicta repellendum à quacumque potestate humana veniat, quia non est in mundo potestas obligans ad aliquod, quod opponitur iuri naturali divino. Est sententia omnium cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 22. *art.* 5.

264 Deinde est notandum, quòd licèt Princeps absolutus si vtatur plenitudine potestatis, & secundum dominium altum, quod habet in ordine ad conservationem, & defensionem boni communis possit sancire legem, quę obligaret etiam cum periculo vitę ad defensionem, & conservationem Reipublicę, vt tenent fere omnes Doctores; tamen loquendo de potestate legislativa ordinaria, & secundum dominium

vassum

bassum, iuxta quod vult lege sua obligare fortiter, & suaviter; leges humanę sivè canonicę; sive civiles sint non obligãt cum notabili nocumento, quod prudenter timeatur venturum ex illarum observatione.

265 Ex his probatur tertio conclusio, & simul impugnatur doctrina D. Ioann. Escobar: præceptum denunciandi est possitivum, & humanum; sed etiam si pręceptum humanum possit obligationem inducere, quando ordinatur ad bonum commune cum periculo vitę secundum dominium altum Legislatoris, non autem secundum potestatem ordinariam legislativam: ergo pręceptum denunciandi etiam si ordinetur ad bonum commune non obligat cum periculo mortis, abscissionis membri, &c. Probatur consequentia: quia si tale pręceptum obligaret cum periculo vitę deberet constare Summos Pontifices in constitutionibus vsuros fuisse dominio alto; hoc non constat, quia in illis idem observarunt, ac in alijs constitutionibus, quę continent potestatem ordinariam legislativam: ergo pręceptum denunciandi etiam si ordinetur ad bonum commũne non obligat cum periculo vitę, &c.

266 Dices: in his quę pertinent ad bonum commune vel temporale, vel spirituale debet intelligi Legislatores vti nõ solum potestate ordinaria, sed dominio alto; patet nam quãdo imperant quòd aliqui inserviant propter bonum commune peste corruptis obligat ista lex, vel pręceptum; sed obligat cum periculo vitę: ergo quia Legislatores in legibus, & pręceptis concernentibus bonum commune vtuntur dominio alto. Respondetur, quòd tunc vtuntur dominio alto, quando periculum est intrinsicè connexum cum actione, quę imperatur, vt est in casu posito in maiori; nam periculũ mortis est intrinsicè connexum cum servitio infectorum peste; non autem quando ab extrinseco venit, tũc enim pręsumitur, quòd Princeps non obligat cum periculo vitę; cum autem in denunciatione solicitantium timor non sit connexus intrinsicè cum denunciatione, sed ab extrinseco adveniat deobliga-

tur huiusmodi fœmina solicitata ab observatione talis præcepti.

267 Quarto parificatur hæc conclusio,& probatur non obligare denunciationem cum timore mortis. Est sententia probabilissima, quòd hæreticus absolutus in articulo mortis ab hæresi, & censura, si vivat; dummodo sit relapsus, & timeat pœnam mortis, quòd non tenetur se præsentare (loquor in casu, in quo prudenter existimat præventionem Tribunalis) etiam si præsentatio ad obtinendam absolutionem disponatur in iure canonico, vt constat *ex cap. eos qui 22. de sentent. excomm. in* 6. quia nemo tenetur facere illud, ex quo mors sequatur. Hanc doctrinam docet Valerius *verb. Hæresis, differ* 5. & alijs terminis æquivalentibus illam amplectuntur, Sylvester *verb. Accusatio, num.* 12. *&* 17. Panormitanus *cap. si vero, de iure iurando. & l.* 1. *D. de bonis eorum,* dicitur: *Ignoscendum esse ei, qui sanguinem suum qualitercumque redemerit, vtitur enim iure naturali suo, quod nullus ei auferre potest*: ergo si mulier solicitata prudenter timet mortẽ si denunciat, perseverante illo periculo non tenetur denunciare, quia iure naturali tenetur conservare propriam vitam.

268 Ex quibus infero, neque obligare denunciationem, si timet mulier solicitata amittere maiorem partem bonorum temporalium; nam talis metus cadit in virum constantem, *ex cap. cum venissent de instit.* & latê probat Escobar *p.* 2. *q.* 3. §. 7. *num.* 14. *&* 15. vbi dicit, quòd amissio maioris partis bonorum æquiparatur amissioni omnium bonorum, & hæc æquiparatur morti, vt latè probat Tiraquellus *de nobilitate cap.* 33. *num.* 369. sed metus mortis cadit in virum constantem: ergo metus amissionis maioris partis bonorum cadit in virum constantem; sed perseverante metu cadente in constantem virum non est obligatio denunciandi: ergo si mulier timet amissionem maioris partis bonorum, illo perseverante non tenetur denunciare.

269 Iterum adverto, quòd mulier solicitata, & Confessa-

ſarius conſulens cum magna prudentia aſpiciant an timeatur aliquod ex periculis enumeratis obventuris ex denunciatione, quia multoties timetur vbi non eſt ratio timendi quare conſiderandæ ſunt circunſtantiæ,& motiva, ex quibus verò ſimiliter, & cum probabilitate poteſt oriri hoc periculum, quia non eſt facile,quòd oriatur ex denunciatione facta in Sancto Officio,quia in illo proceditur cum ſummo ſecreto,& advertendo periculum non deficiet diſpoſitio ad hec vt puniatur ſolicitans,& vt mulier ſolicitata denuncians ab omni damno liberetur.

270 Dices contra noſtram concluſionem: ſolicitans eſt denunciandus cum iactura propriæ famæ: ergo multò melius cum periculo amiſſionis bonorum, quia magis ęſtimatur fama quam bona temporalia. Probatur antecedens: hæreticus eſt denunciandus cum iactura propriæ famæ: ergo etiam Confeſſarius ſolicitans. Reſpondetur admittendo paritatem, & aſſignando diſparitatem,nam hæreſis eſt crimen læſæ maieſtatis divinæ immediatè,& apertè affert contagium oppoſitũ bono communi Religionis, quod facilè creſcit,& inficit; at verò crimen ſolicitationis,licèt ſit læſæ maieſtatis divinę nõ ęſt immediatè,&aliunde rarò qui committit tale delictum eſt hęreticus, ideòque in Hiſpania ſolicitans ſolùm abiurat de levi,& in illo non eſt periculum tam proximum inficiendi,ſicut in hæreſi.

271 Sed ſupereſt vnum dubiolum,an ſi timet ex denũciatione mulier ſolicitata,quòd eveniet aliquod damnum ex enumeratis alicui benefactori, vel conſanguineo teneatur denunciare? Diana loco citato dicit: talem fęminam ſolicitatam non teneri ad denunciationem, ſi timet talia damna eventura benefactori; vel conſaguineo, niſi in caſu in quo bonum fidei periclitetur, ſed exiſtimo cum Bonacina 1. *par. in tract. var. diſp.* 6 *punct.* 1. §. 3. *num.* 6. & *punct.* 3. *num* 11. non ideò eſſe denunciationem omittendam, ſed huiuſmodi fęminam teneri denunciare. Ratio fundamentalis eſt, quia licèt leges poſitivæ non obligent cum illis damnis enumera-

tis respectu nostri, beneverò etiam si timeatur talia advenire criminosis; imò potius, quòd iustè intēdunt leges est quòd puniātur gravibus pęnis delicta gravia; sed in ordine ad alios prius est bonum Sacramenti, & remedium animarum, quam amicitia, vel consanguinitas: ergo etiam si timeantur talia damna eventura consanguineis, & benefactoribus, in fęmina solicitata est obligatio denunciandi Confessarium solicitantem.

272 Probatur secundo ab inconvenienti; nam si hæc doctrina posset reduci ad praxim vix esset casus obligans ad denunciandum Confessarium solicitantem, quia non potest negari; quòd per denunciationem maximè periclitatur fama illius; nam fęmina solicitata prudenter potest timere, talē Cōfessarium per aliā vel per alias solicitationes esse pręventū in Sancto Officio, & simul, quòd si illum denūciat erit incarcerandus, & puniendus, quod est maximè denigrativum personæ, & habita notitia huius opinionis Confessarij solicitantes elargirent munera, & beneficia, vt hoc modo evaderet huiusmodi fęmina obligationem denuncaindi. Ex quo sequeretur alia solicitatio, quia beneficia, & munera de novo illam fęminam allicerent ad venerea cum Confessario: ergo ne sequantur hæc inconvenientia est dicendum huiusmodi fęminam habere obligationem sub peccato mortali denunciandi Confessarium solicitantem, & si omittit delationem intra terminum præfixum in ædicto incurrit excommunicationem.

§. V.

An mulier solicitata, quæ omißit denunciationem poßit absolvi virtute Bullæ Cruciatæ.

273 CErtum est, quod Confessarius non potest absolvere mulierem solicitatam, nec virtute Bullæ, nec alteriùs privilegij si illa non sit parata denunciare, quamvis idem Confessarius admoneat huiusmodi mulierem de obligatione denunciandi, quam huiusmodi fęmi-

mina ignorabat, ac per consequens ante incursum excommunicationis, quia ista, vt dixi, non incurritur quovsque terminus sex dierum impleatur, postquam fęmina habuit notitiam excommunicationis. Patet hæc suppositio, quia non est absolvendus pœnitens indispositus; sed huiusmodi fęmina indisposita accedit, siquidem non est parata ad obediendum ædicto: ergo licèt adhùc non sit excommunicata est illi deneganda absolutio.

274 Difficultas solùm stat in muliere solicitata, quæ propter omissionem liberam denunciationis contraxit excommunicationis vinculum; an ista possit absolvi virtute Bullæ Cruciatæ? Thomas Hurtado duo dicit, vnum mihi placet, aliud displicet; nã *resol.* 47. §. 3. statuit duas conclusiones, primam *num.* 573. & in illa resolvit, quòd ante incursam censurã potest semel, & iterũ absolvi fęmina, si promittat denunciare; hoc est probabilissimum, quia intra terminum ædicti est illi liberum denunciare: ergo illis sex diebus ædicti, nec peccat mortaliter, nec incurrit excommunicationem si non denunciat; sed si non habet peccatum mortale, nec excommunicationis vinculum denegatio absolutionis non est rationabilis: ergo si promittat denunciare intra terminum prȩfixum in ȩdicto potest semel, & iterùm absolvi.

275 Postea *num.* 576. statuit secundam conclusionem, in qua defensat, Confessarium virtute Bullæ Cruciatæ validè absolvere fęminam solicitatam non denunciantem Inquisitoribus, etiam si non satisfaciat parti denunciando. Eandem sententiam tenet Lucius *in Summ. cap.* 24. *num.* 11. in eandem sententiam videtur inclinare Freitas *in tract. de Confess. solicitant. quæst.* 2. *num.* 25. Sed Pater Diana 4. *part. tract.* 5. *resol.* 35. asserit: si non est iusta causa, nec semel potest Confessarius absolvere fęminam ab excommunicatione, nisi prius satisfaciat Tribunali denunciando, pro hac sententia stant Escobar à Corro *part.* 2. *quæst.* 4. §. 1. *num.* 25. *& seqq.* Suarez *de censur. disp.* 7. *sect.* 5. *num* 45. Gutierrez *in qq. Canon lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 30. *&* 31. Trullench. *in Bull. Cruciat. lib.* 1. §. 7.

cap.

cap.2. dub.8. Ioann. Sanchez *in select. disp.11 num.62.* Acuña, Freitas, Sousa, & Enriquez citati per Escobár.

276 Cum his Auctoribus assero, Confessarium non posse absolvere fęminam solicitatam, quæ excommunicationem contraxit omittendo liberè denunciationem intra terminum præfixum in ædicto nec virtute Bullæ, nec alterius privilegij, nisi prius denunciet Confessariũ solicitantẽ, nisi in aliquo casu, in quo interveniat aliqua iusta causa. Probatur primò, quia nemo valet absolvi à peccatis, nisi prius sit immunis à censura; sed non potest absolvi ab excommunicatione nisi prius pars satisfacta sit: ergo si prius mulier solicitata non denunciat non potest absolvi. Probatur consequentia: pars in hac excommunicatione, cui satisfieri debet est Tribunal Sanctæ Inquisitionis, à quo ædictum procedit; sed non satisfacit hæc mulier, quæ iam contraxit excommunicationem, nisi denunciet: ergo si prius non denunciat non est absolvenda.

277 Secundò probatur hæc conclusio à paritate. Vt docet Suarez loco citato: & est sententia plausibilis non est absolvendus, qui excommunicatur donec eijciat concubinam, nisi prius sit expulsa, nec sufficit quòd proponat expellere; nulla alia ratione, nisi quia est res magni momenti; & periculosa, sed si mulier solicitata iam habuit animum incurrendi in excommunicationem, valdè periculosum est illam absolvere, quin priùs denunciet, & hoc crimen solicitationis est res tam magni momenti, quòd multi Auctores, vt Fagũdez *in Exam. Theolog. moral. part.3. cap.9. §.16. sect.1 num.1.* Azorius *tom.1. lib.8. cap.19. quæst.9.* dicunt non posse absolvi virtute Bullæ Cruciatæ crimen solicitationis, quia cum hoc delictum generet suspicionem in fide includitur sub nomine hæresis: ergo etiam si mulier solicitata promittat denunciare, si iam terminus ædicti voluntariè fuit elapsus, & contraxit excommunicationem, non est absolvenda nisi priùs denunciet.

278 Dixi nisi interveniat aliqua iusta causa; nam si sit in

tali

tali muliere solicitata periculum mortis, tunc so'um tenetur committere delationem Confessario, vt ille suo nomine talem denunciationem deferat ad DD. Inquisitores; nam tunc facit quod potest; etiam est causa iusta si est dies magni jubilei, & distat Commissarius, vel Tribunal Sanctæ Inquisitionis, vel si est dies feriatus, aut fęmina pateretur infamiam non suscipiendo Eucharistiam; in his enim, & similibus casibus potest absolvi si præstat cautionem iuratoriam denunciandi statim ac offeratur commoditas. Sic Thomas Sanchez *in Decalog. lib. 2. cap.* 13. *à n.* 17. Ioann. Sanchez *in select. disp.* 11. *num.* 63. & ratio est imprōptu, quia in illis angustijs fęmina solicitata facit quantum in se est: ergo illi non est deneganda absolutio.

279 Etiam est mihi certum contra Fernandez, Azorium, & Ledesmam locis citatis, quòd si ista mulier solicitata, quæ iam excommunicationem contraxit denunciavit; postea potest absolvi à censura per quemcumque Confessarium virtute Bullæ: sic tenent Ioann. Sanchez *in select. disp.* 11. *num.* 60. D. Ioann. Escobar à Corro *loco citato num.* 27. Diana 4. *part. tract.* 5. *resol.* 29. *in fin.* Ægidius Trullench loco citato *num.* 10. quia in Bulla satisfacta parte privilegium absolvendi ab omnibus censuris conceditur, & solùm excipitur crimen hæresis: ergo si mulier solicitata denunciando satisfecit, à quocumque Confessario virtute Bullæ absolvi potest, vel vt tradit Trullench. potest absolvi à mendicantibus virtute suorum privilegiorum, & addit Diana ex quo idem advertit Trullench. fęminam non indigere fateri Inquisitoribus se negligentem fuisse in denunciatione, & quòd iam contraxit excommunicationem; quod est observandum, quia frequens, & contingit in alijs casibus contentis in ædictis.

280 Contra nostram conclusionem arguitur primo fundamento contrariæ sententiæ: virtute Bullę validè potest Confessarius absolvere ab omnibus censuris excepta excommunicatione contracta per crimen hęresis; sed talis excommu-

mu-

municatio contracta per omissionem voluntariam denunciandi intra terminum prefixum in edicto non incurritur propter crimen heresis: ergo virtute Bullę Confessarius ab illa absolvere potest Respondetur distinguendo maiorem potest absolvere Confessarius ab omnibus excommunicationibus virtute Bullæ satisfacta parte concedo maiorem, álio modo nego maiorem, & ita disponitur in Bulla, in qua datur facultas Confessarijs absolvendi ab omnibus censuris priùs satisfacta parte, quando sine notabili detrimento potest fieri, & pręcipuè si res est magni momenti vt contingit in pręsenti casu.

281 Argues secundo: qui retinet rem alienam potest absolvi bis, & ter cum proposito restitúendi: ergo etiam fęmina solicitata saltem semel potest absolvi ab excommunicatione si pręstat cautionem iuratoriam denunciandi. Probatur consequentia: sicut qui est excommunicatus tenetur satisfacere parti, ita qui retinet rem alienam; sed hoc non obstanti iste potest absolvi si pręstat cautionem iuratoriam restituendi: ergo similiter qui tenetur denunciare, & non denunciavit; ac per consequens potest Confessarius absolvere fęminam solicitatam si pręstat cautionem iuratoriam denunciandi.

282 Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia per omissionem restitutionis solùm periclitatur aliquod bonum temporale particulare, & si restitutio debet fieri Reipublicę solum periclitatur bonum cōmune temporale; at verò per omissionem denunciationis periclitatur bonum Sacramenti, & bonum commune spirituale animarum; ideòque dixi esse talem omissionem in re magni momenti; ac per consequens in primo casu potest absolvi cum cautione iuratoria, non autem in nostro; per quod patet ad probationem.

283 Ex quo infero primo, quòd non est absolvenda huiusmodi fęmina si prius non denunciet, etiam in casu, in quo in Sacerdote solicitante nulla esset suspicio in fide, quia vt dixi

dixi iudicium circa suspicionem competit Inquisitoribus, nõ autem fęminis solicitatis, nec Confessarijs consultantibus; & si ista fęmina voluntariè omittit denunciationem præter peccatum mortale, & excommunicationem, quam incurrit, vt optimè advertit Pater Sousa *de Confessar. solicitant. tract. 2. per totum cap. 19.* possunt DD. Inquisitores procedere contra illam, & punire fęminam solicitatam duobus titulis, vel quia fęmina favet solicitantibus, aut quia non obedit mandatis Tribunalis, quibus omnes tenentur obedire; nam certum est, quòd omittere voluntariè delationem est magnum crimen punibile; sed non est punibile per aliud Tribunal: ergo DD. Inquisitores possunt punire illud delictum.

284 Ex quo infero secundo resolutionem cuiusdam casus, qui frequenter contingit: quidam Confessarius erat incarceratus in Tribunali Sanctæ Inquisitionis; & antequam daretur illi accusatio fatetur plura crimina solicitationis, de quibus non erat denunciatus. Si enim fęminæ solicitatæ citatæ non solùm huiusmodi crimina faterentur, sed etiam notitiam ædicti, & obligationis denunciandi; propter inobedientiam, & contumaciam per DD. Inquisitores possunt puniri; nam licèt non sint suspectæ in fide, quia per annum non insorduerunt; ratione inobedientiæ, & contumatiæ subijciũtur foro Inquisitorum.

285 Infero tertio: quòd crimen solicitationis potest absolvi à quocumque Confessario approbato virtute Bullę; quia vt dixi, in Bulla solum fit exceptio de crimine hæresis. Ita Peyrinis *de Privileg. Constit. 4. Gregorij XV. §. 8. num. 25* Enriquez *lib. 6. cap. 10. §. 2.* Nec obstat quòd excommunicatio sit lata contra non revelantes, quia nemo tenetur se ipsum prodere. Deinde, quia vt optimè Peyrinis, pręceptum dirigitur in non revelantem, non in solicitantem; sed de hoc iterùm erit sermo, cùm de obligatione monendi pęnitentes solicitatos tractemus.

§. VI.

An non solùm fœmina solicitata, sed etiam quilibet sciens Confessorem solicitasse teneatur denunciare in Tribunali Sanctæ Inquisitionis.

286 IN præsenti non est difficultas de pœnitente solicitato, quia iam constat de eius obligatione; sed de alijs, qui aliquo modo sciunt delictum solicitationis; & ratio dubitandi est, quia ex vna parte Bullæ Pontificiæ solùm dicunt esse monendos pœnitentes ab alijs Confessarijs solicitatos de obligatione denunciandi; sed de alijs, qui hoc delictum alio modo sciunt nihil dicitur. Ex alia parte in ædicto DD. Inquisitorum, quod habet vim legis dicitur: *Si sabeis, ò aveis oydo dezir, que algun Confessor, ò Confessores, Clerigos, ò Religiosos, &c.* quæ verba non solùm pœnitentes solicitatos obligant ad denunciandos Confessarios solicitantes, sed etiam omnes, qui habent scientiam, vel notitiam ex auditu criminis solicitationis: quare in præsenti inquiritur an non solùm fęmina solicitata, sed etiam ille, qui scit aliquomodo crimen solicitationis teneatur denunciare Confessarium solicitantem?

287 Pater Thomas Hurtado *tract.4. de Confess. solicitan. resol.64.* §.2. plura dicit, & inculcat, exquibus iam aliqua sunt impugnata, quia sunt contra stillum Sancti Officij, vtporè periculosa in praxi. Primò *num.* 862. statuit primam conclusionem, inqua defensat, quòd si quis malitiosè audit Confessionem alicuius fęminæ, in qua audivit, quòd Confessor illam solicitavit, si hoc per alium testem potest probare, vt potest in hoc casu per fęminam solicitatam, absque dubio tenetur denunciare. Deinde *num.* 895. ponit secundam conclusionem, & dicit, quòd excepto delicto hæresis formalis, & blasfemiæ hæreticalis, quia cõtinet hęresim, in omnibus alijs delictis positis in ædictis Inquisitorum audiens illa ex relatio-

tione, etiam à persona fide digna, non tenetur denunciare nisi illud possit probare Citat pro hac conclusione Fagundez *in impressione antiqua de præcept. Eccles. in* 2. *lib* 4. *cap.* 3. *num.* 31. Reginaldum, Megalam, Homobonum, qui *tom.* 4. *consult part.* 4. *dicit*, quòd sola fœmina solicitata tenetur denunciare.

288 Pater Diana 1 *part. tract.* 4. *de denunc. resol* 1. dicit quòd in casibus pertinentibus ad Tribunal Sancti Officij denunciatio est facienda, etiam si delator non possit probare delictum. Citat pro hac sententia Barbosam de potestate Episcopi *part.* 3. *alleg* 96. *num.* 51. Homobonum citatum pro contraria sententia, sed alio loco, nempe de *Exam. Eccles. part* 1. *tract.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 14 *& part* 2. *tract* 11. *cap.* 4. *quæst.* 4. *resol* 4. etiam illam defensant Santarellus *de hæresi cap.* 9. *dub. unic. num* 3. *&* 4. Bonacina *de censur. disp.* 2. *quæst.* 6. *punct.* 1. *num.* 9. Suarez *tract. de fide disp* 20. *sect* 4. *num.* 7. Thomas à Iesu *lib. de visit. regul. tract.* 11. *cap.* 16. *num.* 4. *&* 10. Portel. *in addit. ad dubia regul. verb. Solicitare fœminas, nu* 19. & alij quos citat Diana. Eādem sententiam tenet noster Trimarchius *disp* 6 *sect.* 1. 2. *&* 3. & dicit contrariam sententiam esse improbabilem, contra quem insurgit Thomas Hurtado *num.* 889.

289 Iuxta secundam sententiam assero, quòd si aliquis audit Confessarium solicitasse in Confessione, taliter quòd sit casus comprehensus in Bulla Gregoriana tenetur illum denunciare etiam si non possit probare delictum solicitationis. Hæc conclusio posita sub his terminis non continet difficultatem meo videri. Primo, quia in ædictis DD. Inquisitorum dicitur: *Si sabeis, ò aveis oydo dezir, que algun Confessor, ò Confessores, &c.* sed de eo qui audivit aliquem Confessarium solicitasse est verum dicere, *que lo oyò dezir*: ergo iste tenetur denunciare huiusmodi Confessarium. Secundo, quia noster Peyrinis *tom.* 2 *Privileg. Const.* 9 *Pauli V.* §. 2. *num.* 27. adducit decretum Sacræ Congregationis expeditum *die* 3. *Ianuarij ann.* 1623. in quo præcipitur sub excommunicatione, vt omnes denuncient non solū hæreticos, sed de hæresi quo-

modolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint; sed crimen solicitationis generat suspicionem in fide: ergo quomodolibet notitia habeatur Confessarius solicitans denunciandus est.

290 Tertio probatur contra Thomam Hurtado; nam ex eo defensat audientem non teneri denunciare, quia non est obligatio denunciandi, si denunciator non potest probare delictum; sed hæc doctrina non habet locum in delictis cõtra fidem, vel generantibus suspicionẽ in fide: ergo auditor solicitationis tenetur denunciare. Probatur minor; nam licèt denunciator de iure teneatur probare suam denunciationem, *ex l. Divus, & ex l. ab accusatore, ff. de Senatus Consult. Turpill.* hodie tamen de consuetudine contrarium servatur, ita probat Hemericus *in direct. Inquisit. part.3. Rubrica de secundo modo procedendi in causa fidei per denunciationem, numer.68.* ex Saliceto, & Mariano Socino, & dicit Farinacius *tract. de hæresi quæst.185. §.5. num.17.* ita fuisse pluriès decisum, & ratio quam adducit iste Auctor *num.64.* est, quia licèt denunciator non possit probare delictum; per illam tamen delationem, & forsam per alia adminicula, & secreto DD. Inquitorum probabitur delictum: ergo doctrina contraria non habet locum in delictis pertinentibus ad Tribunal Inquisitionis.

291 Quarto probatur nostra conclusio contra Patrem Hurtado; nam ex eo iste audiens non tenetur denunciare, quia non potest probare delictum; sed fęmina in actu Sacramentalis Confessionis solicitata non potest probare delictũ: ergo non tenetur denunciare, sed hoc est falsum in sententia omnium: ergo etiam si audiens aliquem Confessarium solicitasse non possit solicitationem probare tenetur denũciare. Probatur hæc consequentia, quia sicut iste audiens non probat plene delictum, neque vna fęmina quantumque honorata; sed hæc tenetur denunciare: ergo etiam qui audivit huiusmodi fæminam fuisse solitatam per aliquem Confessarium.

Si

292 Si autem respondeas esse maximam disparitatem inter fęminam solicitatam, & audientęm solicitatam fuisse, quia illa est testis habens evidentiam delicti, iste autem auditor testis, ac per consequens referens, qui nihil probat si dictum nõ fatetur relatus testis; quare mulier solicitata etiam si non possit probare tenetur denunciare, non autem auditor, Sed contra: fundamentum Thomæ Hurtado ad istum excusandum à denunciatione, vt asserit *num.* 899. est, quia solùm obligat ædictum si auditor taliter habet notitiam, quòd possit probare delictum solicitationis saltem semiplenè, quia crimen, quod probari non potest perinde se habet, ac si ignoraretur; sed si excusaretur ab obligatione denunciandi ex hoc capite, idem esset dicendum de fęmina solicitata, quia quantumcũq; sit honorata, & bonę famæ dictum illius nec semiplenè probat, cum habeat exceptionem sexus; ac per cõsequens nulla fęmina potest esse testis integer in sententia omnium Doctorum: ergo etiam si huiusmodi auditor non possit probare semiplenè delictum ex vi ædicti tenetur denunciare.

293 Quare malè dixit Trimarchius *sect.* 1. *num.* 1. quòd si aliquis à fęmina parum honesta, vel non bonæ famæ audiat, quòd ipsam Confessarius solicitavit, non tenetur Confessarium denunciare; quia fortè innocens erit, & exponeretur periculo amittendi honorem. Dixi malè dixisse; nam vt optimè Diana 4. *part. tract.* 8. *de officio Inquisitorum, resol.* 57. in Sancto Officio omnes testes admittuntur præter inimicos capitales: ergo sicut fæmina parum honorata tenetur denũciare, etiam si habeat non solùm inhabilitatem sexus, sed etiã sit malæ famæ; similiter qui audivit ab illa fæmina fuisse solicitatam tenetur denunciare; nam iudicare de inhabilitate non pertinet ad testem, sed ad DD. Inquisitores; & si non sunt alia adminicula Confessarius honorem non amittet.

294 Vltimò probatur conclusio: quando superior præcipit, quòd delictum inferens alteri iniuriam denuncietur;

præ-

præcipuè si inferat iniuriam bono communi, etiam si aliquis non possit illum probare tenetur denunciare. Ita noster Vega *in Summ. lib.* 3 *casu* 136. sed crimen solicitationis infert iniuriam maximam Sacramento,& bono spirituali fidelium: ergo etiam si auditor non possit probare tale delictum tenetur denunciare. Præterea, quia vt dicit noster Trimarchius *sect* 3. est maximum periculum, ne Sacerdos solicitans, si non denunciatur, serpat eius venenum sicut pestis; & si illum denunciet, hoc modo femina solitata vocabitur per citationem, & cum illius Confessione, & fortè si huiusmodi Confessarius est præventus incarcerabitur, & impedietur ne serpat venenum, & ne vlteriùs faciat iniuriam Sacramento Pœnitentiæ: ergo semper tenetur auditor denunciare.

295 Ex quibus infero cum nostro Trimarchio *sect.* 2. quòd etiam si Confessarius dicat solicitationem amico, consanguineo, patri, matri, filio, vel benefactori, isti tenentur illum denunciare; & ratio est, quia quilibet tenetur magis favere Sacramento Pœnitentiæ, bono Ecclesiæ,& saluti spirituali animarum, quia omnia ista sunt bona ordinis superioris, quam famæ coniunctorum, vel benefactorum; idemque est dicendum si auditor solicitationis, & solicitans sint eiusdem ordinis: ergo omnes isti, si audiant Confessarium solicitasse, tenentur denunciare. Præterea, quia si isti cum audiunt non tenentur denunciare, si pater solicitaret in actu Sacramentalis Confessionis filiam, vel sororem, vel feminam, cui maxima beneficia illo tempore, quo perseverat in solicitatione impertiretur: omnes istæ feminæ solicitatæ non haberent obligationem denunciandi propter eandem rationem, quod non est audiendum; sed in isto casu tenentur denunciare iuxta Bullas, & ædictum: ergo etiam in primo.

§. VII.

§. VII.

Proponuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

296 PRimum fundamentum summit contraria sententia ex auctoritate D. Augustini, qui *lib*. 50. *homil*. 50. *cap*. 12. (& refertur *cap. plerumq*. 2. *quæst*. 7.) ait: *Plerumque boni viri propterea sufferunt aliorum peccata, quia sæpè deseruntur publicis documentis, quibus ea, quæ ipsi sciunt iudicibus probare non possunt*; sed ille qui audivit à femina fide digna solicitatam fuisse à Confessario, ad illam solicitationem probandam non habet aliud documentum, quam dictum feminæ: ergo non tenetur denunciare huiusmodi Confessarium, quia crimen solicitationis non potest probare.

297 Varijs modis potest responderi ad hoc fundamentum, sed alijs omissis, respondetur primo Divum Augustinum loqutum fuisse de manifestatione delictorum per viam accusationis, quia accusator tenetur probare crimina, de quibus accusat; minimè verò de manifestatione delicti per viam denunciationis, quia denunciator non indiget documentis ad probandum, cum illi non incumbat hoc onus, sed Iudici. Secundo respondetur: sermonem esse de delictis, quæ non opponuntur bono publico spirituali, vel temporali, quia aliàs si hæc doctrina esset generalis pro omnibus delictis, nec teneretur denunciare, qui habet evidentiã de crimine hæresis, nec femina solicitata in actu Sacramentalis Confessionis, quia non habent documenta ad delicta probanda, quia raro continget, quòd vna femina solicitata habeat notitiam, quòd Confessarius solicitavit aliam feminam. Ex quo constat D. Augustinum loqutum fuisse de alijs delictis particularibus.

298 Secundum fundamentum sic procedit: si auditor solicitationis teneretur denũciare Confessariũ, vel esset ex vi Cõstitutionũ Pontificũ, vel ex vi ædicti DD. Inquisitorũ; sed nõ ex vi Constitutionum, nec ædicti: ergo qui audivit à femi-

na

na bonæ famæ à Confessario fuisse solicitatam non tenetur denunciare. Probatur minor quo ad primam partem. Primò, quia Bullæ Pontificiæ solùm loquuntur de fęminis solicitatis, & non de auditoribus solicitationum. Secundò, quia in Bullis solùm imponitur obligatio denunciandi Confessarios solicitantes, quomodolibet diffamatos, vt dicit Thomas Sãchez *lib.6. consil. cap.2. dub.14.* sed si hoc solùm audivit à fęmina fide digna, adhùc Confessarius nullo modo est diffamatus: ergo ex vi Constitutionum Pontificum in tali audiente solicitationem non est obligatio denunciandi. Nec est obligatio ratione ædicti; nam ędictum Inquisitorum loquitur cum illis, qui sciunt iudicialiter, & cum illis, qui in iudicio comparere possunt; sed auditor non scit iudicialiter, quia si non habet alia adminicula, vel indicia ad probandum delictum, nec semiplenè probat: ergo in audiente fęminam fuisse solicitatam ex vi ædicti non nascitur obligatio denunciandi.

299 Vt respondeam huic fundamento, in quo principaliter nititur contraria sententia, dicendum est huiusmodi auditorem obligationem habere denunciandi, & vi Bullarum, & ratione ædicti DD. Inquisitorum. Primò ex vi Bullarum, quia licèt istæ primariò loquantur cum solicitatis, propter identitatem rationis idem iudicium debet fieri de auditore; nam motivum principale Pontificum est propulsare iniuriam factam Sacramento Pœnitentiæ, & bono communi fidelium, & cum delatione auditoris DD. Inquisitores examinabunt fęminam solicitatam, vel per se, vel per Commissarium, & fortè erunt alia indicia, vel adminicula ad Confessarium incarcerandum. Aliunde Bullæ sunt contra Confessarios de solicitatione aliquomodo diffamatos, & iste iam est aliquomodo diffamatus, cum sit absque bona fama, non solùm apud fęminam solicitatam, sed etiam apud auditorem suæ solicitationis, quia si fęmina solicitata tenetur denunciare, etiam si tantum Confessarius apud ipsam sit diffamatus, multò melius ex hac parte incumbit obligatio auditori solicitationis, quia iam est diffamatus apud illum, & apud matronam honoratam.

Etiam

300 Etiam tenetur denunciare ratione ædicti; nam ex vi illius non solùm incumbit obligatio solicitatis; sed etiam auditoribus solicitationis, vt constat ex illis verbis: *Si sabeis, ò aveis oydo dezir, &c.* & miror quòd Thomas Hurtado vir versatus in materijs pertinentibus ad Sanctum Officium sumat pro medio ad excusandum ab hac obligatione, quòd non tenetur denunciare ille, qui non potest probare delictum saltem semiplenè; ita tenet *num. 899. citato.* Si hæc doctrina posset reduci ad praxim, vt dixi, vix esset fęmina solicitata, quæ omittēdo denunciationem operaretur contra ædictum, quod nullo modo concedit Thomas Hurtado: ergo sicut ista tenetur semper denunciare, etiam si non possit probare delictum, pariformiter auditor solicitationis. Et ratio radicalis est, quia in delictis contra fidem, vel generantibus suspicionem in fide non est discurrendum sicut in alijs criminibus particularibus.

301 Ex dictis occurrit aliquod dubiolū satis curiosum, an si aliquis malitiosè audivit fęminæ confessionem, & ex illa audivit Confessarium solicitasse huiusmodi fęminam, teneatur denunciare Confessarium? Et ratio dubitandi est, quia illa, quæ iste audit malitiosè in confessione debent taceri ab auditore ipso non solùm sub sigillo naturali, sed etiam sub sigillo Confessionis, ita D. Thomas *in 4. dist. 21. quæst. 3 art 4. & quodlibet. 11. art. 17.* quem ferè omnes sequūtur: quare videtur non posse denunciare huiusmodi Confessarium, quia prius est observare sigillū confessionis, quod est de iure divino, quam denunciare, quod est de iure humano.

302 Respondeo ergo ad quæsitum, quòd huiusmodi audiens malitiosè tenetur denunciare Confessarium solicitantem; & ratio est evidens, quia licèt peccata quæ mulier cōfitetur transeant ad auditorem non solùm cum sigillo naturali, sed etiam Sacramentali, & omnia quæ subdit clavibus Ecclesiæ; tamen solicitatio Confessoris cum sit abusus Sacramenti, nec est materia Sacramenti, nec sigilli, sicut si solicitaret ad hæresim, quare tantū abest quòd per illā de-

nunciationem fiat iniuria Sacramento, quòd imò potiùs defenditur, honoratur, veneratur, & colitur; per quod patet ad rationem dubitandi.

§. VIII.

An fęmina solicitata, quæ non pervenit ad duodecim annos teneatur denunciare.

303 IN pueris quatuordecim anni dicuntur anni pubertatis, & in fęminis duodecim; quare pueri ante quatuordecim annos dicuntur impuberes, & similiter fęminæ ante duodecim; quod enim inquiritur in præsenti est, an pueri ante decimumquartum annum, & fęminæ ante duodecimum si solicitentur in confessione teneantur sub excommunicatione Confessarium denunciare?

304 Ferdinandus à Castro *tom.1. tract.3. disp.1. punct.24. §.2. num.8. & 9.* defensat pueros, & fęminas ante annos pubertatis non incurrere censuras, vel pœnas latas ab homine, quia hoc habetur expressè, *cap.1. de delictis puerorum, & in cap. referente eodem titulo*; ideòque dicunt Thomas Sanchez *lib.1. in Decalog. cap 12. num.7.* Azorius *tom.1. lib.7. cap.40. quæst 6.* Vazquez *tom. de Pœnitent. quæst.90 art.2. dub.4. num.5.* Sotus *4. distint.18. quæst.1 art.1.* & alij, quòd etiam si pueri ante quatuordecim annos, & fęminæ ante duodecim possint peccare, ex benignitate Ecclesiæ à pœna imposita peccato excusantur; sed communiter asserunt Doctores, quòd licet ante talem ætatem excusentur à pœnis, & censuris ab homine latis, non autem à censuris iuris, si sunt ante illam ętatem capaces rationis: fundātur *in cap super eo, cap. pueris, cap. quamvis ex sentent. excommun.* & traddunt hanc sententiam Vgolinus *de censur. cap.17 § 3. num 5.* Suarez *tom.5 de censur. disp.5. sect.1. num.19.* Enriquez *lib. 8. de Eucharist. cap. 42. comm.8.*

305 Sed est advertendum, quòd isti Auctores solùm defensant ante annos pubertatis nec pueros, nec fęminas incurrere censuras specialiter latas ab homine; probant suā conclusionem Suarez, & Vgolinus hoc medio: impuberis ætas

non

non censetur apta ad ordinem iudicialem intelligendum; ideòque de iure non potest citari impubes, neque admitti ad agendùm, vel defendendum in iudicio; sed hoc solùm probat non posse incurrere censuras specialiter latas ad homine, quæ indigent citatione speciali: ergo secundum istam sententiam si sunt capaces doli, vel rationis possunt incurrere censuras generaliter latas ab homine, cum autem censura posita in ædicto generalis sit, secundum hunc modum discurrendi si tales fęminæ, vel pueri solicitentur in confessione incurrunt excommunicationem si non denunciant.

306 Sed Ferdinādus à Castro citatus *num*.9. dicit, quòd impuberes si sunt doli capaces solùm incurrunt excommunicationem latam contra percussorem Clerici propter eius gravitatem, quia in textibus supradictis ita habetur; at verò non solùm non incurrunt censuras specialiter latas ab homine, verum etiam neque generaliter latas, quia sumus in materia odiosa, & odia debent restringi. Ex quo infert quòd etiam si pueri, & fęminæ omittant confessionem, & communionem ante dictos annos non contrahunt excommunicationē ab Episcopo latam adversus non communicantes in Paschate, & non confitentes intra annum, ita Filiucius *tom*. 1. *tract*. 11. *cap*. 5. *n*. 130. & Avila *de censur*. 7. *p*. *disp*. 6. *sect*. 1. *dub*. 13 & cum eo Enriquez *de irregularitate cap*. 3. *num*. 4. defensat puerum impuberem occidentem non contrahere irregularitatem, licèt contrarium teneat Thomas Sanchez cum Sylvestro *lib*. 1. *cap*. 12. *num*. 8 *in fin*.

307 Sed potest inferri ex hoc: ergo posito aliquo interdicto locali non comprehenduntur pueri doli capaces, vel ante quatuordecim annos, idemque de fęminis ante duodecim. Probatur consequentia: secundum istam sententiam pueri impuberes si sunt capaces doli solùm incurrunt excommunicationem contra Clerici percussores, non autem alias pœnas Ecclesiasticas; sed interdictum locale est pęna Ecclesiastica: ergo non ligat interdictum pueros doli capaces ante quatuordecim annos, nec fęminas ante duodecim.

Respondetur ex doctrina Patris Suarez *tom.5 de censur.disp.5. sect.1.num.19.* quòd tales pueri obligantur ad interdictum locale ratione præcepti inclusi in interdicto, sed propter transgressionem non incurrunt aliquas pœnas latas contra transgredientes interdictum. Ita Corduba *in Summ.quæst.60. dict.3.* Sylvester *verb.Interdictum 2.num.18.* Thomas Sanchez *in Decalog.cap.12.num.8.*

308 Licèt verum sit quòd omnia hucusque dicta non careant probabilitate, quia gravissimi Auctores illa patrocinantur; nihilominùs in casu proposito est defendendum pueros ante quatuordecim annos, & fęminas ante duodecim, dummodo habeant iudicium rationis, vel sint doli capaces, incurrere excommunicationem positam in ædicto si non denunciant Confessarios solicitãtes. Probatur primo ex Bulla Gregorij XV. vbi hæc habentur verba: *Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab alijs solicitatos moneant de obligatione denunciandi solicitantes, seu vt præfertur tractantes, Inquisitoribus, &c.* vt enim dixi hæc Bulla est favorabilis, quia est in favorem animarum, & Sacramẽti Pęnitentiæ: ergo non solùm iuxta illam possunt DD. Inquisitores sub pœna excommunicationis obligare vt denunciẽt post quatuordecim annos, sed etiam ante si doli capaces sunt.

309 Secundò probatur; quia præter excommunicationẽ positam in ædicto, in illo, & in Bullis Pontificijs includitur præceptum, & cum sit in materia gravissima obligat sub mortali: ergo adhuc admissa contraria sententia, pueri, & fęminæ solicitatæ habent obligationem sub peccato mortali denũciandi Confessarium solicitantem ante annos pubertatis, si sint capaces doli. Probatur consequentia; quia licèt interdictũ quo ad pœnas in sententia contraria non obliget pueros, vel fęminas ante pubertatis annos, obligat quo ad culpam si sunt doli capaces: ergo etiam Bullæ Pontificiæ, & ædictum DD. Inquisitorum obligabit ad denunciandum Confessarios solicitantes ante pubertatis annos, saltem sub peccato mortali secundum principia contrariæ sententiæ.

Ex

310 Ex quo infero, quòd non solùm in hoc casu incurrunt excommunicationem pueri, & fœminæ ante annos pubertatis, sed etiam si Episcopus, vel Nuntius Apostolicus ferant sententiam excommunicationis ipso facto incurrendæ, contra non manifestantes furtum, vel quid simile, & ratio est, quia tales pueri, vel fæminæ habent vt supponitur sufficiens iudicium rationis ad cognoscendũ delictum furti: ergo si generaliter ponatur excommunicatio contra non revelantes tale furtum, si huiusmodi pueri, & fæminæ sciunt, & non revelant, incurrunt excommunicationem latam contra non revelantes.

§. IX.

An teneatur solicitans se ipsum denunciare Inquisitoribus.

311 VT certa ab incertis separentur suppono primo, quòd si Iudex legitimè interrogat, etiam reus tenetur iuxta interrogata respondere; sed an teneatur fateri suum delictum si solùm est semiplenè probatum est in quæstione, & controversia apud auctores; de hoc enim in præsenti non est quæstio. Neque quando aliquod Edictum publicatur non ad puniendum, sed ad evitandum damnum, v.g. in matrimonio, vel in susceptione ordinum; nam in hoc casu, vt discurrunt Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 14. num. 2.* & Basilius de Leon, *lib. 5 de matrim. cap. 33. & 34.* vel tenentur desistere à matrimonio, vel à susceptione ordinum, aut se manifestare, vt illud malum evitetur, si aliquis habet impedimentum dirimens, vel malè suscepit ordines. Ratio est, quia tunc non intendit superior, vt aliquis habeat pænam, aut infametur iuridicè, sed vt evitetur offensa Dei, & tunc non procedit vt Iudex, sed vt fidelis minister Dei, vel vt Pater habens potestatem à Deo, vt illi revelentur etiam delicta occulta, vt evitetur peccatum occultè, & sine strepitu iudicij.

312 Suppono secundò, quòd & si difficultas procedat, quando Edictum, vel Monitorium indicitur, vt quis subeat pœnam delicti, adhuc in hoc casu distinguunt Doctores; nam Ray-

Raynaudus *de Monitor. Eccl. p. 1. cap. 3. quæst. 20. fol.* 178. dicit, quod de delictis, quæ non possunt saltem semiplenè probari non tenetur quis aperire spontè Iudici suum crimen; si autem est crimen probabile semiplenè tunc tenetur per Edictum generale obedire, & spontè veritatem propalare. Alij autem absque distinctione defensant neminem teneri denunciare se ipsum ita Castrus à Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 2. *punct.* 4. *num.* 11. Suarez *disp.* 20. *de fide, sect.* 4. *num.* 19. Cayetanus 2. 2. *quæst.* 70 *art.* 10. § *in hoc articulo*, Sotus *de secreto membr.* 2. *quæst.* 7. Simancas *tit* 41. *num.* 13. Santarellus *tract. de hæres. cap.* 11. *dub. vnic. num* 19. Acuña *de Confes. solicit. quæst.* 10. *num.* 4. & *quæst.* 21. *à num.* 2. Portel. *in addition. verb. Solicitare, num.* 15.

313 Diana 1. *p tract.* 4. *de denuntiat. resol.* 8. distinguit, & dicit, quòd solùm in casu, in quo aliquis teneretur ponere vitam propiam pro bono communi, saltem indirectè tenetur quis denunciare se ipsum: ideòque refert casum in quo obligarunt Theologi quemdam, vt indirectè se ipsum denunciaret, hoc modo refert casum: *Annis elapsis in quadam nostræ Italiæ nobilissima civitate, doctissimi Theologi obligarunt denunciare quemdam hæreticum dogmatizantem, & docentem alios hæresim, quamvis ipsi denunciantes essent discipuli eiusdem hæretici, & ideò complices delicti*, at verò in alijs casibus non tenentur criminosi vi Edicti DD. Inquisitorum se ipsos denunciare.

314 Iuxta istam sententiam sit prima conclusio: nullus confessarius solicitans, quantumcumque suum crimen sit probabile tenetur coram Inquisitoribus spontè comparere, & se ipsum denunciare ex vi Edicti, quamvis excommunicatione ipso facto incurrenda obfirmetur. Probatur primò, quia est axioma omnium Theologorum, & Canonistarum, quòd nemo tenetur se ipsum prodere; sed si confessarius solicitans se ipsum denunciaret se proderet: ergo quantumcumque suum delictum sit probabile non tenetur se ipsum denunciare.

315 Secundò probatur, quia per Edictum, vel Monito-

rium,

rium, non quæritur veritas ab aliquo tamquam reo, sed tanquam teste, vel denunciatore; sed nulla est potestas humana, quæ possit cogere aliquem, vt sit primus testis, & denunciator contra se ipsum directè, veritatem contra se aperiendo: ergo ex vi Edicti non potest obligari confessarius solicitans, vt directè contra se apud DD. Inquisitores apperiat veritatem. Præterea quia si testis, vel denunciator, ex vi Edicti non tenetur denunciare, quando ex denunciatione timet contra se infamiam: quare obligabitur ipse solicitans, qui denunciando se ipsum, infamia est inevitabilis: ergo saltem directè confessarius solicitans non tenetur se ipsum denunciare vi Edicti.

316 Sed statim se offert alia difficultas an criminosus in aliquo casu teneatur se ipsum denunciare, & spontè sua delicta apperire coram DD. Inquisitoribus saltem indirectè: circa quod sit secunda conclusio: quando crimen alterius non potest manifestari, quin exprimatur complicitas si non vergit in damnum notabilé spirituale, vel temporale multitudinis non tenetur quis ad denunciandum; & ratio est, quia cōplicitas non potest denunciari sine denunciatione sui, ad quod nemo tenetur; nam vt ait Pater Suarez *loco citato, nu.* 19. ex eo quòd manifestetur socius delicti manifestatur cōplex, quia socius, & complex delicti mutuam relationem dicunt, & sunt simul cognitione: ergo cum nullus teneatur, nec indirectè se ipsum prodere, si crimen non vergit in damnum spirituale, vel temporale multitudinis, non tenetur quis cum hoc periculo denunciare delinquentem.

317 Si autem tale crimen, infert maximum damnum Reipublicæ, vt contingit in casu proposito a Diana tenetur denunciare, quamvis indirectè se ipsum denunciet, non ex vi Edicti, sed iuris naturalis, quo quis tenetur propriam famam, vitam, & divitias expendere ad evitandum damnum communitatis. Nec timeat denuncians in casu posito a Diana, qui potest contingere non solùm in hæresi, sed etiam in delictis generantibus suspicionem in fide, quia si in dicto casu, & in

alijs

alijs similibus fatetur discipulatum,& omnia sua delicta patrata in tali complicitate gaudebit in Sancto Oficio beneficio spontaneitatis,& cum pœnitentijs salutaribus liber evaderet sine aliqua nota, vel incarceratione. De obligatione denunciandi confessarium solicitantem, etiam si fæmina solicitata sit complex delicti postea dicam in secunda parte.

318. Fundamentum Raynaudi ad stabiliendum, quòd si delictum est probabile tenetur quis ex vi Edicti se ipsum denunciare sic proponitur: si quis supposita semiplena probatione iuridica interrogetur tenetur propalare delictum: ergo si per Edictum generale, vel Monitorium præcipitur sub excommunicatione, vt tale delictum reveletur, tenetur delinquens illud denunciare, si est probabile semiplenè. Probatur consequentia; nam & si illud Monitorium sit generale non potest negari, quòd est validum, & obligatorium; nulla alia ratione, nisi quia est expeditum,& intimatum à legitima potestate; sed quando delictũ est semiplenè probatum est obligatio in criminoso apperiendi veritatem, etiam si sit contra ipsum, quia interrogatur à legitima potestate: ergo cum per illud Edictum etiam interrogetur de crimine per potestatem legitimam, si semiplenè est probabile tenetur criminosus se ipsum prodere apperiendo veritatem.

319. Respondetur esse disparem rationem de reo quando interrogatur iuridicè, ac dum per Monitorium, vel Edictum quæritur, vt crimina alicuius manifestentur; nam Monitorium non loquitur cum reis, etiam si sua delicta possint iuridicè probari, solùm enim loquitur cum eis, qui vt testes, vel ex relatione, vel ex scientia possunt veritatem, quam sciunt apperire, modo quo sciunt; at verò dum quis vt reus iuridicè interrogatur tenetur obedire Iudici præcipienti, nam tunc ad minus est delictum semiplenè probatum in hoc enim casu, nec iste se prodit, nec in se ipsum agit, sed veritatem quam zelabat contra depositionem testium, qui sua depositione illum in tali statu posuerunt propalat, & manifestat, quem statum non habebat antequã ab alijs denunciaretur, & sic non tenetur propalare delictum.

§. X.

§. X.

An sit sanum consilium, quòd Confessarius, qui solicitavit, se ipsum Tribunali denunciet.

320 VT hoc quæsitum satis curiosum decidatur oportet aperire ianuam Sancti Officij circa beneficium spontaneitatis; quomodo enim in illo Sancto Tribunali intelligatur illud principium, ille comparet sponte qui accedit ad Tribunal, nullis preventus indicijs. Quod enim gaudeat beneficio spontaneitatis, qui accedit absque eo, quod per Sanctum Tribunal sit præventus non est dubium, quia ita fuit declaratum per litteras Sacræ Congregationis die 9. Iunij anno 1606 sed circa intelligentiam indiciorum etiam variant auctores; solùm referam duas sententias, & postea meum iudicium fundatum in practica Sancti Officij, & ratione meo videri efficaci apperiam. Pater Salelles *tom. 1. de materijs Inquisitionis, lib. 2. cap. 8 num. 41. & seqq* postquam varias sententias cum suis auctoribus retulit, deffendat illos esse spontè comparentes, & frui privilegio spontaneæ comparitionis, qui non sunt preventi indicijs sufficientibus ad citationem, vel incarcerationem, ideoque addit in difinitione *legitimis*, & num. 27. statuit pro regula: *Censentur spontè comparentes, quicumque delinquentes contra fidem, qui antequam denuncientur & legitimis indicijs præveniantur se coram Inquisitore præsentant, & ei iudicialiter omnia sua delicta, & complicum absque tergiversatione manifestant:* Si enim vt non fruatur privilegio spontè comparentium debet comparens esse preventus indicijs legitimis; cum ille qui etiam si sit preventus aliquibus indicijs, non possit citari, vel capi, nō est preventus indicijs legitimis, & sic iuxta istam sententiam fruitur privilegio spontaneitatis, & *nu.* 42 dicit, quòd ita practicatur in Tribunali Militensi.

321 Quod enim vt certum proponit Carena *p. 3. tit* 8. §. 7. *num.* 41. (& observatur in Sancto Officio absque controversia) est, quòd in Sancto Officio spontè comparentes mitissimè tractantur; qui præventi, sed non vocati comparent mitiùs puniũtur,

tur, quam qui vocati comparent, & inter eos mitiùs adhuc, qui in primis audientijs delicta sua fatentur, quam qui id agunt testibus, indicijs, & interrogatorijs præssi, verba sunt Carenæ, sed ad litteram hæc observantur in Tribunali, & propter hanc rationem, aliqui, qui minora crimina patrarunt, aliquando magis puniuntur, quam qui maiora commiserunt, & non alia ratione, nisi quia etiam si isti fuerint pręventi non fuerunt vocati, vel etiam si fuerint vocati in primis audientijs integrè omnia sua delicta propalarunt. Idem Carena *p 2. tit.* 18. §. 1. *num* 1. *& seqq.* agit de spontè comparentibus, & dicit eos dicendos esse spontè comparuisse in Sancto Officio, qui nullis pręventi indicijs coram Inquisitoribus comparent, plenam ac meram tā de se, quam de alijs veritatem dicunt, ac de suis delictis humiliter veniam petunt. Coligit hanc diffinitionem *ex l. sponte de munerib. & honorib. l.* 4. § *fin. Cod. de sicar. l.* 2. *Cod. de his qui latron.* citat Pegnam, & Farinacium, & est communis; nam ita intelligitur hoc privilegium in omnibus Inquisitionibus Hispaniarum. Secundùm hanc explicationem vt aliquis gaudeat hoc privilegio duo requiruntur, & quòd non sit pręventus in Sancto Officio, & quòd fateatur sua crimina plenè; idest quòd nullum delictum ex pertinentibus ad Sanctum Officium taceat.

322 Ex hac doctrina adverto, quòd ad hoc vt criminosi gaudeant hoc privilegio nō oportet vt fateantur illa crimina, quorum cognitio non pertinet ad Sanctum Officium, quia ex hac parte confessio non est diminuta; nam ibi solùm quæruntur delicta attinentia ad iurisdictionē Inquisitorum, nec oportet quamvis sit aliquis incarceratus, vt mitiùs puniatur, quòd faciat confessionem generalem coram Inquisitoribus omnium delictorum pertinentium, & non pertinentium ad Sanctum Officium, quia quamvis solùm reus fateatur delicta pertinentia ad Sanctum Officium, confessio erit integra, & cum maxima benignitate punietur.

323 Sed circa præsentem difficultatem ex doctrina tradita à Carena *num* 2 videtur, quòd nullus confessarius solicitans potest gaudere privilegio spontè comparentium, nam vt

ad-

advertit non dicitur spontè comparens, qui quamvis accedat non vocatus, nec præventus, tamen venit metu probationum: quomodo enim confessarius solicitans potest subterfugere hanc suspicionem; quia iste non est sicut hæreticus formalis externus, qui non potest absolvi virtute alicuius Privilegij, vel Bullę Cruciatæ. Iste enim casus solicitationis verum est, quòd est reservatus in aliquibus Diœcesibus, vt refert Trimarchius *de confessore abutente, disp*. 14. *sect*. 6. & in multis religionibus; sed potest absolui virture Cruciatæ, & vbi non est reservatio potest absolvi à quocumque Sacerdote, qui in alia peccata iurisdictionem habet. Ita Trimarchius loco citato, Peirinis *de privileg. Minim. tom*. 2 *Const* 4 *Gregorij XV*. §. 9. *num*. 14. Fagundez *de præcept*. 2. *Eccl. lib*. 4 *cap* 3. *num*. 31. Si enim confessarius solicitans potest habere beneficium absolutionis absque Tribunali, & aliunde non ignorat, quòd fæmina solicitata denunciabit, quia prudenter non credet, quòd voluntariè illa fæmina vult permanere semper in peccato mortali, & excommunicatione cum evidenti periculo suæ damnationis; nonne est violenta præsumptio, quòd iste accedit ad Tribunal timore probationum? ergo secundùm sententiam Carenæ, in nullo eventu potest solicitans gaudere privilegio spontaneitatis.

324 Nihilominus iudico, quòd si confessarius solicitans accedit ante omnem pręventionem, & sine notitia, quòd fæmina iam est præparata ad illum denunciandum debet gaudere privilegio spontè comparentium, quia aliàs non solùm cōfessarij solicitantes retraherentur à voluntaria delatione, sed etiam præter hæreticos formales externos omnes alij, qui habent delicta generantia suspicionem in fide, vt sortilegi, malefici, benefici, &c. quia quāvis isti casus reserventur possunt absolvi virtute Bullæ, quare non est practicabilis casus, in quo nō detur suspicio, quòd isti accedunt ad Tribunal timore probationum, nisi habeant ignorantiam de beneficio absolutionis virtute Bullæ: ergo cum ex vna parte sit certum, & practicabile quotidie in Sancto Officio, confessarios solicitantes multoties gaudere privilegio spontè comparentium, & aliunde item

per detur præsumptio illos accedere cum aliquo timore probationum est dicendũ, quòd si se præsentant Tribunali antequã aliquomodo sint preventi fruuntur beneficio spontaneitatis.

325 Hoc supposito redeo ad quæsitum in titulo,& proponam dicta auctorũ,qui de hac materia scripserunt, & postea dicam,quòd sentio iuxta praxim S.Officij. Peirinis *tom.2.privil.constit.4.Gregorij 15.nu.3* & Trimarchius *disp. 14.sect.6.nu. 38.& 39.* dicunt esse salubre consilium, quòd tales confessarij solicitantes sponte compareant corã Inquisitoribus,& fateantur sua crimina,quia hoc modo absque incarceratione secretò accipient pœnitentias salutares,& abiurant, absque strepitu iudicij ; quia isti confessarij solicitantes sunt suspecti in fide,& quia in Italia hæc suspicio est de vehementi abiurant de vehementi,& quia in Hispania hoc delictum generat suspicionem de levi solùm abiurant de levi.

326 Thomas Hurtado *resol.53.nu.646.& seqq.* distinguit in hunc modum: si fæmina solicitata est bonæ famæ, & confessarius moraliter est certus,quòd illa denunciabit,& aliundè cõfessarius non est bonæ vitæ, quia in materia libidinis est suspectus ; cum hoc sit sufficiens vt asserunt Peirinis, Molfesius, Escobar à Corro,& Acuña,quos citat Thomas Hurtado,vt iste confessarius incarceretur, & pęnis arbitrarijs puniatur, optimè faciet confessarius,si subitò se presentet DD. Inquisitoribus,& si vltra non relabitur,negocium in perpetuum occultum manebit ; si autem confessarius est bonæ famæ non consulit, quòd se presentet,sed quòd se emendet,& sanctè administret Sacramentum Pœnitentiæ,quia si se præsentat amittit bonam famam apud viros gravissimos,& aliundè,si hæc fæmina denũciat etiam si sit bonæ famæ non creditur, quia prævalet fama Confessarij.Si autem timet, quòd delictum probari potest testibus singularibus,tunc prudenter faciet si se ipsum præsentet,se accusans humiliter ab omnibus solicitationibus.

327 Existimo enim secundùm sententiam Thomæ Hurtado,quòd in nullo eventu Confessarius solicitans potest frui beneficio spontaneitatis,quia si solum est salubre consiliũ, quòd

se

se præsentet DD. Inquisitoribus, quando delictum potest semiplenè probari, taliter, quòd probatio sit sufficiens ad illum recludendum in carcere Sancti Officij, & ad imponendas pœnitentias arbitrarias; semper, & quando se præsentat Confessarius apertè est timore probationum; sed hoc modo non fruitur beneficio spontaneitatis: ergo vel in omni eventu est sanum consilium, quòd se præsentet DD. Inquisitoribus, vel in nullo, quia non possunt formare iudicium de emendatione futura, si non concipiunt illam præsentationem esse animo exonerandi suam conscientiam, & applicandi remedium efficax, vt in futurum non relabatur.

328 Quare iudico esse sanum consilium, quòd iste Confessarius statim ac solicitavit se præsentet coram DD. Inquisitoribus, & ibi integrè, & sincerè fateatur sua delicta, quia si confessio fuerit diminuta melius est, quòd non se præsentet, quia cum testificatione vnius fæminæ honestæ de alia solicitatione potest incarcerari, & puniri, præcipuè si adminiculatur, vel iuvatur aliquibus indicijs; & ne omittat hanc spontaneam delationem, ex eo quòd existimat esse virum bonæ famæ in Republica, quia multi hoc idem iudicant, & carent illa. Probatur, quòd hoc sit sanum consilium; nam certùm est, quòd in his delictis habet locum privilegium spontaneitatis; sed per illud iste Confessarius, nec incarcerabitur, nec detinebitur in Sãcto Officio, sed secretò pœnitentijs salutaribus punietur, & si non relabitur omnia in perpetuum manent occulta in Tribunali: ergo est sanum consilium, quòd huiusmodi Confessarius, sivè sit bonæ, vel malæ famæ, sivè semel solicitaverit, sivè iterum, & iterum, quòd se præsentet DD. Inquisitoribus, & integrè fateatur sua delicta.

329 Sed Confessarij solicitantes duo observent; nam aliàs incident in manus Sancti Oficij: primùm fateri omnia sua crimina patrata in confessione, vel comprehensa quomodolibet in Bullis contra solicitantes, quia si confessio est diminuta, melius facient si non se præsentent, nã hoc modo, nec prodest beneficium spontaneitatis, & habent illud testimonium

pro-

proprium contra se in Sancto Officio. Secundùm ne vlterius relabantur, quia cum in Sancto Officio numquam delicta transeant in rem iudicatam, si postea aliqua femina defert aliam solicitationem coniungitur cum antecedenti, vel antecedentibus confessis sponte à Confessario, & absque remedio iustissimè punitur penis ordinarijs propter novam solicitationem, & antecedentes.

330 Sed vt occurram ad omnia se offert vnum dubiolum resolvendum etiam si cum Confessarijs solicitantibus DD. Inquisitores mitissimè procedant; & ideò cum spontè comparentibus nec procedunt ad incarcerandum, nec ad recludendum, sed secretò imponunt pœnitentias salutares, quæ sunt talis conditionis, quòd apud regulares rarissimè possunt permanere secretò; nempè suspensio ab audiendis confessionibus, & abiuratio, quia in communitate erit nota, si huiusmodi confessarius non administrat Sacramentum Pœnitentiæ. Deindè, ex eo quòd abiuravit de levi ex Decreto Vrbani VIII. *facti die 1. Octob. 1629.* manet inhabilis ad officia, de quo suo loco erit disputandum. Quomodo ergo si per hanc viam iste Confessarius manet diffamatus erit sanum consilium, quòd se presentet DD. Inquisitoribus? Respondetur ad dubiolum, quòd dupliciter possunt procedere cum hoc confessario DD. Inquisitores: primò secretò, dando illi penitentias salutares, & licèt tunc abiuret de levi, & suspendatur à confessionibus audiendis per talem abiurationem Confessarius non redditur inhabilis ad officia, nec manet privatus voce activa, & passiva, quia tunc DD. Inquisitores procedunt extraiudicialiter, cum solùm procedant examinando sub iuramento confessarium.

331 Secundò, & est frequentiùs: in primis admonent confessarium, vt se abstineat à confessionibus audiendis, & causa suspenditur, nec transit in rem iudicatam, & si accedunt testes sufficientes ad probandum delictum; tunc DD. Inquisitores formant processum, & lite contestata, & causa conclusa, si inveniunt, quòd ante preventionem omnia sua crimina solicitationis propalavit sententiam proferunt, & si mitissimam, quia

ſolùm abiurat de levi in Hiſpania,& in Italia de vehementi, & privatur ab audiendis confeſsionibus ; & cum tunc procedant DD. Inquiſitores iudicialiter, ſi confeſſarius eſt regularis manet privatus voce activa, & paſsiva in perpetuum, quo vſque à Pontifice reſtituatur, & à Sacra Congregatione Eminentiſsimorum Cardinalium, iuxta Decretum Vrbani VIII. ſed ex dictis videtur, quòd huiuſmodi Confeſſarius præcipuè ſi fuerit regularis per talem ſpontaneam comparitionem, vel denunciationem vix habet aliquod beneficium, quia cum poſtea videant in ſua religione, quòd non audit confeſsiones, nec habet vocem in Capitulo excitatur deſiderium inquirendi, quare hoc tolleratur à ſuperiore, & præcipuè ſi antea frequenter audiebat confeſsiones, & non quieſcent religioſi quouſque habeant notitiam cauſæ; itaque vltimò, vel per indicia, vel per notitiam delicti manet diffamatus, in quo conſiſtit maior pena apud viros honoratos : ergo non prodeſt delatio ſpontanea ad evitandam principaliorem pœnam.

332 Reſpondetur multum prodeſſe, quia ſi contra confeſſarium ſpontè comparentem ſolùm accedit ſemiplena probatio ſemper cauſa manet ſuſpenſa, & non proceditur contra confeſſarium illum in carcerando, quòd fieret ſi non haberet in Sancto Officio ſpontaneam delationem, & cum alijs adminiculis daretur illi aliqua pena arbitraria. Etiam prodeſt multum, quamvis poſt ſuam delationem accedant ſufficientes probationes delicti, quia in hoc caſu etiam ſi faciant illum abiurare, & privetur à confeſsionibus audiendis eſt, abſque ſtrepitu cum magno ſecreto, ſi ſua delatio concordat cum dictis fœminarum quæ denunciant, & vlterius ſunt varij modi in Sancto Officio ad dictas penitentias ſalutares occultandas, quia poſſunt vocare ſuperiorem, & obligare ſub excommunicatione & iuramento de ſecreto ſervando, quòd taliter negotium illius Confeſſarij diſponat, quòd tollatur ſuſpicio in communitate, ſi ex alia parte religioſi non habent notitiam.

333 Ex dictis occurrit quidam caſus practicus, quem tangit Trimarchus *ſect.* 8. *num.* 59. quædam fœmina fuit ſolicitata

ad

proprium contra se in Sancto Officio. Secundùm ne vlterius relabantur, quia cum in Sancto Officio numquam delicta transeant in rem iudicatam, si postea aliqua femina defert aliam solicitationem coniungitur cum antecedenti, vel antecedentibus confessis sponte a Confessario, & absque remedio iustissimè punitur penis ordinarijs propter novam solicitationem, & antecedentes.

330 Sed vt occurram ad omnia se offert vnum dubiolum resolvendum: etiam si cum Confessarijs solicitantibus DD. Inquisitores mitissimè procedant; & ideò cum spontè comparentibus nec procedunt ad incarcerandum, nec ad recludendum, sed secretò imponunt pœnitentias salutares, quæ sunt talis conditionis, quòd apud regulares rarissimè possunt permanere secretò; nempè suspensio ab audiendis confessionibus, & abiuratio, quia in communitate erit nota, si huiusmodi confessarius non administrat Sacramentum Pœnitentiæ. Deindè, ex eo quòd abiuravit de levi ex Decreto Vrbani VIII. *facti die 1. Octob. 1629.* manet inhabilis ad officia, de quo suo loco erit disputandum. Quomodo ergo si per hanc viam iste Confessarius manet diffamatus erit sanum consilium, quòd se presentet DD. Inquisitoribus? Respondetur ad dubiolum, quòd dupliciter possunt procedere cum hoc confessario DD. Inquisitores: primò secretò, dando illi penitentias salutares, & licèt tunc abiuret de levi, & suspendatur à confessionibus audiendis per talem abiurationem Confessarius non redditur inhabilis ad officia, nec manet privatus voce activa, & passiva, quia tunc DD. Inquisitores procedunt extraiudicialiter, cum solùm procedant examinando sub iuramento confessarium.

331 Secundò, & est frequentiùs: in primis admonent confessarium, vt se abstineat à confessionibus audiendis, & causa suspenditur, nec transit in rem iudicatam, & si accedunt testes sufficientes ad probandum delictum; tunc DD. Inquisitores formant processum, & lite contestata, & causa conclusa, si inveniunt, quòd ante preventionem omnia sua crimina solicitationis propalavit sententiam proferunt, & si mitissimam, quia

ſolùm abiurat de levi in Hiſpania,& in Italia de vehementi, & privatur ab audiendis confeſsionibus ;& cum tunc procedant DD. Inquiſitores iudicialiter, ſi confeſſarius eſt regularis manet privatus voce activa,& paſsiva in perpetuum, quo vſque à Pontifice reſtituatur,& à Sacra Congregatione Eminentiſsimorum Cardinalium, iuxta Decretum Vrbani VIII. ſed ex dictis videtur, quòd huiuſmodi Confeſſarius præcipuè ſi fuerit regularis per talem ſpontaneam comparitionem, vel denunciationem vix habet aliquod beneficium, quia cum poſtea videant in ſua religione, quòd non audit confeſsiones, nec habet vocem in Capitulo excitatur deſiderium inquirendi, quare hoc tolleratur à ſuperiore,& præcipuè ſi antea frequenter audiebat confeſsiones, & non quieſcent religioſi quouſque habeant notitiam cauſæ; itaque vltimò, vel per indicia, vel per notitiam delicti manet diffamatus, in quo conſiſtit maior pena apud viros honoratos: ergo non prodeſt delatio ſpontanea ad evitandam principaliorem pœnam.

332 Reſpondetur multum prodeſſe, quia ſi contra confeſſarium ſpontè comparentem ſolùm accedit ſemiplena probatio ſemper cauſa manet ſuſpenſa, & non proceditur contra confeſſarium illum in carcerando, quòd fieret ſi non haberet in Sancto Officio ſpontaneam delationem, & cum alijs adminiculis daretur illi aliqua pena arbitraria. Etiam prodeſt multum, quamvis poſt ſuam delationem accedant ſufficientes probationes delicti, quia in hoc caſu etiam ſi faciant illum abiurare,& privetur à confeſsionibus audiendis eſt, abſque ſtrepitu cum magno ſecreto, ſi ſua delatio concordat cum dictis fæminarum quæ denunciant,& vlterius ſunt varij modi in Sancto Officio ad dictas penitentias ſalutares occultandas, quia poſſunt vocare ſuperiorem,& obligare ſub excommunicatione,& iuramento de ſecreto ſervando, quòd taliter negotium illius Confeſſarij diſponat, quòd tollatur ſuſpicio in communitate, ſi ex alia parte religioſi non habent notitiam.

333 Ex dictis occurrit quidam caſus practicus, quem tangit Trimarchius *ſect.* 8. *num.* 59. quædam fæmina fuit ſolicitata

ad venerea in confessione, postea habuit notitiam Edicti, & quòd tenetur denunciare huiusmodi confessarium, sed illa confitetur cum ipsomet Confessario solicitante, quid enim faciet in hac angustia iste Confessarius? ratio dubitandi est, quia solicitans est loco Confessarij, cui obligatio gravissima incumbit monendi pœnitentem; vt constat ex Bulla Gregorij 15. & Decreti Alexandri 7. & cum hoc præceptum sit in materia gravissima obligat sub mortali: aliundè non videtur verosimile, quòd Pontifex vellit obligare solicitantem, quòd moneat solicitatum de obligatione, quam habet denunciandi; esset enim monere contra se ipsum, ad quod iure naturæ non tenetur solicitans; quid ergo faciet in his angustijs?


334 Respondet Trimarchius, & bene: *Sunt qui dicunt quòd Confessarius in præsenti casu debet se ostendere pænitentem, & emendatum de illo delicto, & instruere mulierem pænitentem, quòd propter emendationem saltem secundum probabilem sententiam non tenetur solicitatam denunciare. Verum ego consulerem, quòd spontè suam culpam dicat Inquisitori, eo modo quo supradictum est, & moneat interim mulierem de obligatione.* Hæc ille, & benè, quia primum medium, quòd refert ex contraria sententia hodie non habet probabilitatem, vt constat ex dictis in quæstione de correctione fraterna præmittenda ante denunciationem. Et licèt admittatur, quòd iste Confessarius ad hoc non teneatur ex vi Edicti, vel Bullarum, benè verò ratione sui officij; nam tenetur præbere remedium tali feminæ, quod non faciet si non dat consilium, vt deferat delationem ad DD. Inquisitores. Aliam quæstionem de propositionibus damnatis ponam vltimo loco in secunda parte, &c. hæc sufficiant de prima.

PARS

PARS II.

DE CONFESSARIIS SOLICITANTIBVS.

PROOEMIVM.

1 NTEQVAM descendam ad casus particulares comprehensos in Bulla Gregoriana, quibus quilibet Confessarius, siue Sæcularis, siue Regularis subijcitur iurisdictioni DD. Inquisitorum, operæpretium erit, præmittere illam grauissimam quæstionem: an Confessarius excusetur à crimine solicitationis comprehenso in Bullis per materiæ paruitatem; vt autem melius hæc controuersia decidatur, priùs dissoluam ea, quæ connexionem habent cum hac quæstione. Pro quo sit.

QVÆSTIO I.

AN CONFESSARIVS EXCVSETVR A CRIMINE solicitationis per materiæ paruitatem.

§. I.

EXPLICANTVR TERMINI BVLLÆ GREGORII XV.

2 VT omnia, quæ in hac parte tractanda sunt, melius Confessarij intelligant, termini Bullæ explicantur

quia Gregorius XV. ponit diversos casus, in quibus Confessarius subijcitur foro Inquisitorum, & cum omnes casus reducantur ad terminum *solicitare* principaliùs, oportet scire, quomodò in præsenti accipiatur solicitatio, & quodnam peccatum sit solicitare pœnitentem ad venerea in actu Sacramentalis Confessionis, & in alijs locis, & circunstantijs contentis in Bulla.

3 Circa primum, licèt solicitudo, vt optimè D. Thomas includat vehemens studium, & diligentiam circa aliquid agẽdum, vt tenet 2. 2. *quæst.* 47. *art.* 9. provt ad præsens attinet, dicuntur solicitantes, qui in actu Confessionis, immediatè ante, vel post &c. inducere procurãt persuasionibus, vel mendacijs, precibus, aut blanditijs, osculis, tactibus, aut alijs signis, personam, sive sit masculus, vel fœmina ad aliquid inhonestũ perpetrandum, sive hoc faciant per se ipsos immediatè, sive per interpositam personam. Ita noster Peirinis *tom. 2. de privileg. Minim. constit.* 4. *Gregorij XV.* §. 2. *nu.* 2. Bonacina *tom.* 1. *disp.* 6. *de onere denunt. punct.* 3. *nu.* 1. taliter explicat terminum solicitare, quòd simul ad illũ reducit alios terminos Bullæ, siquidẽ advertit, quòd in præsenti solicitare est idem, ac provocare, aut allicere, seu precibus rogare, aut alia ratione invitare ad turpia, & inhonesta; id est, ad res carnales, & venereas. Quare, vel invitetur pœnitens per allicientias, vel per verba obscœna, vel per tactus, vel per signa, cum per hæc media, & alia, quomodocumque sint invitetur ad turpia est propriè solicitare; ideoque in Bulla non solùm ponitur verbum solicitare, sed allicere, tentare, provocare, &c. quia sunt diversi modi solicitandi.

4 Ex quibus infero cum Escobar à Corro 1 *part. quæst.* 1. *num.* 4 & cum Trullench *tom.* 1. *in decal. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *num.* 12. solicitationem esse diffiniendam provt in præsenti: *Facinus in fide suspectum à Confessario patratum dum in actu Confessionis, sive ante, sive post eam immediatè, aut sine Confessione eam simulando, aut in loco ad Confessiones deputato sistendo, ad actus obscœnos pœnitentes provocat, sive provocare tentat, turpiave*

loquitur. Omnia delicta contenta in Bullis contra solicitantes comprehenduntur in dicta diffinitione. Dicitur, *facinus in fide suspectum*, quod est genus, & alia verba ponuntur loco differentiæ.

5 Vt autem ex ista diffinitione varios casus, & quæstiones resolvas, debes advertere ad omnes particulas: Primò dicitur, *crimen, seu facinus patratum à Confessario*, quod potest committi blanditijs alliciendo, aut signis, vel verbis provocando, aut aliqua inhonesta cum cautelis proponendo, tentando pœnitentem, vt provocetur ad turpia; itaque illis verbis comprehenduntur omnia delicta, quæ possunt patrari à Confessario, contenta in Bulla Gregorij XV. Aliæ particulæ ponuntur, vt advertant Confessarij, non solùm esse punibilem per DD. Inquisitores Confessarium solicitantem aliquo ex dictis modis in Confessione, sed etiam si solicitet immediatè ante, vel post, aut sine vera Confessione eam simulando, aut in loco deputato ad audiendas Confessiones, qui locus, & est Confessionarius, & quicumque vbi Confessiones Sacramentales audiuntur. Additur in diffinitione: *turpiave loquitur*, ad demonstrandum, quòd etiam si Confessarius non solicitet, si solicitatus à pœnitente loquitur turpia in occasionibus, aut locis enumeratis, etiam est reus Bullæ.

6 Etiam ostenditur in diffinitione gravitas huius criminis, quia per illas particulas: *in fide suspectum*, constat, hoc peccatum generare suspicionem in fide; de hac suspicione erit sermo in 3. *part*. Hoc enim peccatum est enorme sacrilegium, non solùm propter circunstantiam Sacerdotis peccantis; sed etiam quia Sacramentum Pœnitentiæ sumitur vt medium ad hoc peccatũ committendum; quod non obscurè colligitur ex verbis Constitutionis Pij IV. Ita loquitur Summus Pontifex: *Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de Fide Catholica rectè sentiunt Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant*. Ergo cum ex his verbis, cum abusu violetur Sacramentum Pœnitentiæ per crimen solicitationis, non potest non esse gravissimum sacrilegium; quia

si solùm lædere sanctitatem Ecclesiæ est sacrilegium, quantò melius erit lædere Sacramentum, quod est sanctum, & causat sanctitatem.

7 In diffinitione solùm dicitur, huiusmodi delictum solicitationis esse suspectum in fide; non autem esse peccatum contra fidem, vt intelligatur, quòd licèt sit enorme sacrilegium, non autem est peccatum hæresis, quia omne peccatum sumit malitiam à suo obiecto; sicque peccatum contra fidem habet obiectum contrarium fidei; sed obiectum solicitationis non contrariatur fidei, sed honestati, & sanctitati Sacramenti Pœnitentiæ: ergo solicitatio non est crimen hæresis, licèt sit horribile sacrilegium. Tum, quia licèt ad solicitationem sumatur vt medium Sacramentum Pœnitentiæ; cum Confessarius, quod principaliter intendit per tale medium sit explere libidinem, si habet verum assensum fidei, non potest esse hæreticus, sed fornicarius sacrilegus; cum actus specificetur ab illo, quod principaliter inspicit: ergo crimen solicitationis non est peccatum hæresis.

8 Nec obstant verba Gregorij XV. scilicèt, quòd contra Confessarios solicitantes procedatur in Sancto Officio, *prout in causis fidei, iuxta Sacrorum Canonum formã*. Imò potiùs ex eis constat, quòd solicitantes non sunt hæretici; nam non dicitur, quòd sit causa hæresis solicitatio, sed quòd procedatur in hac causa ad modum quo proceditur in causis fidei. Et ex ipsa Bulla Gregorij XV. infertur, quòd crimen solicitationis non est hæresis, quia contra solicitantes non statuit pœnas hæreticorum; nec vt tales tractantur in Sancto Officio.

9 Ex quibus omnibus colliges, non solùm esse circumstantiam mutantem speciem solicitare in Confessione, sed etiam immediatè ante, vel post; ac per consequens talis circunstantia est aperienda in Cõfessione. Ita Diana 4.*par. tract.* 5. *resol.* 34. qui citat Petrum de Ochagavia *tract.* 2. *de Confess. Sacrament. quæst.* 14. *num.* 14. & addo, quòd nõ solùm hæc circunstantia est aperienda in Confessione ex parte Confessarij, sed etiam ex parte fœminæ si consensit, quia etiam sacrile-

gium

gium enorme committit, licèt non comprehendatur ſicut Confeſſarius in Bulla.

10 Sed quid de Confeſſario ſolicitante, non in vera Confeſſione, nec immediatè ante, vel poſt, ſed prætextu Confeſſionis, ipſa Confeſſione non ſequta, aut in loco deputato ad audiendas Cõfeſſiones, & occaſione Confeſſionis, aut in alio loco ſimulando Confeſſionem. Varia docent DD. & neſcio ſi conſequenter, quia ex vna parte aſſerunt, talia delicta punibilia eſſe per DD. Inquiſitores ex vi Bullarum Pontificum, & ex alia parte dicunt non afferre ſecum circunſtantiam mutantem ſpeciem; quia fundamentum ad ſubijcienda dicta crimina iudicio Inquiſitorum eſt, quia Confeſſarius ſolicitans abutitur Sacramento Pœnitentiæ, & ei infert iniuriam; ſed hæc non poſſunt verificari abſque violatione Sacramenti Pœnitentiæ, quæ violatio ſacrilegium conſtituit: ergo talis circunſtantia eſt aperienda in Confeſſione.

11 Dices: illa verba Bullæ non eſſe intelligenda de his criminibus, ſed de ſolicitatione in ipſa Confeſſione, & ad ſummùm immediatè ante, vel poſt; quia hæc verba habentur in Bulla Pij IV. quæ ſolùm loquitur de ſolicitatione facta in Confeſſione, quam plures Auctores extendebant ad ſolicitationem immediatè ante, vel poſt Confeſſionem. ergo ex Bullis Pontificijs ſolùm infertur, eſſe circunſtantiam mutantem ſpeciem ſolicitare in Confeſſione vera, & ad ſummùm immediatè ante, vel poſt. Probatur conſequentia: Gregorius XV. qui in ſua Bulla crimina ſolicitationis enumerata ſubijcit Inquiſitoribus, non dicit, quòd per illa Confeſſarius facit iniuriam Sacramento, ſed cõfirmat Bullam Pij IV. & eam extendit ad caſus relatos: ergo ex Bullis non habemus niſi quòd ſolicitatio in Confeſſione vera, & ſecundum DD. immediatè ante, vel poſt, habet circunſtantiam mutantem ſpeciem; non autem ſi ſolicitatio fiat prætextu, & occaſione Confeſſionis, &c. ergo iſtæ circunſtantiæ non ſunt aperiendæ in Confeſſione.

12 Reſpondetur negando conſequentiam, ad illius proba-

tionem distinguo antecedens; non dicit, quòd per enumeratas solicitationes Confessarius facit iniuriam Sacramento, verbis expressis concedo antecedens, implicitè, & illativè nego antecedens: quia Gregorius XV. primò refert, & confirmat in omnibus Bullam Pij IV. & postea eodem tenore verborum illam ampliavit ad casus relatos ex eodem motivo; cum autem motivum Pij IV. sit abusus Sacramanti Pœnitentiæ, & iniuria eius, cum prosequitur Gregorius XV. ampliando Bullam ad alios casus sub eodem motivo, est dicendum, quòd si solicitatio in Confessione vera includit circunstãtiam mutantem speciem, etiam quæ fit in Confessione simulata, prætextu, & occasione Confessionis, &c. ac per consequens si est solicitatio comprehensa in Bulla, includit circunstantiam sacrilegij aperiendam in Confessione. Idem iudicium est formandum de fœmina solicitata si consensit.

§. II.

AN IN REBVS VENEREIS DETVR materiæ parvitas.

13 PLVRES Auctores docuerunt dari in re venerea parvitatem materiæ. Ita Sanchez *de Matrim. lib.9. disp. 46. num.7.* sed postea iam factus senior, re melius considerata, palinodiam cantavit *tom.2. operis moralis, lib.5, cap.6. nu.9.* de quo postea; sed absolutè eam defensant Zanardus *in direct. Confess. 1. part. de Sacram. Matrim. cap.41. quæst.28.* Salas *in p 2. disp.6. sect.21. num.149.* Villalobos *in summ. tract.4 dub.9. nu.8.* vbi sic asserit: *Tambien se ha de advertir, que se puede hallar en este pecado parvidad de materia, como en otros, quales son los tocamientos leves, como de la mano de vna muger, y del pie, tocarle los dedos, ò pisarle el pie.* Ita ille. Sanchez *in select. disp.11. num.22.* & Malderus *in 2. part. quæst.74. art.10.* dicit hanc sententiam speculativè esse probabilem, & videtur doceri implicitè à Thoma Hurtado *tract. 4. cap. 8. resolut. 36. num. 393. & seqq.*

Sit

14 Sit conclusio: hodie non potest reduci ad praxim sententia defensans parvitatem materiæ in rebus venereis. Stant contra parvitatem materiæ Tannerus *in 2. part. disp. 4. quæst. 8. dub. 6. num.* 109. Basilius Pontius *de Matrim. lib. 10. cap. 16. §. 2. num.* 8. Diana *part. 2. tract. 5. in miscelan. resol.* 1. citat Læsium, Rebellium, illamque tenent Castrus Palaus *tom. 1. tractat 2. disp. 2 punct.* 10. § . 2. *num.* 4. Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 6. cap. vnic. dub. 1. num.* 7.

15 In primis meo videri hæc conclusio est tam certa, quòd contraria non habet probabilitatem practicam; nam Sanchez loco citato, vbi mutavit sententiam, & nostram patrocinatur, hec habet verba: *Vnum tamen advertere volo, sententiam, quam lib. 9. de Matrim. disp. 46. num. 7. dixi, esse verissimam, nempè amplexus, & oscula libidinosa, quamvis sola venerea delectatio, quæ sentitur placeat, excluso alio ordine ad copulam esse mortalia, & contrariam ab aliquibus appellari temerariam, & erroneam, hodie approbatam esse à Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. qui Inquisitoribus fidei denuntiari iusserunt, asserentem, in illis non committi crimen lethale. & quamvis ibi num. 9. dixerim, hanc doctrinam esse moderandam, nisi delectatio esset parva, quia tunc ratione parvitatis materiæ excusarem à mortali; at nunc conformiùs ad dictum motum proprium, & veritatem, iudico non reperiri parvitatem materiæ in delectationibus venereis, quæ deliberatè capiuntur ex obiecto gravi, etiam secluso periculo pollutionis, & consensus in aliud obiectum grave.* Hæc ille.

16 Deindè Reverendissimus P. Claudius de Aquaviva, Generalis Societatis Iesv, *die 24. Aprilis, anno* 1612. decretum contra parvitatem materiæ in delectatione venerea, iuxtà Constitutiones Pontificias expedivit pro tota sua Religione de consilio gravium Theologorum, in quo statuit, sententiam defensantem talem materiæ parvitatem esse intolerabilem, periculosam, ac omninò falsam in praxi; ideòque sub præcepto obedientiæ, sub pœna excommunicationis, & sub alijs pœnis gravibus prohibet, nullum Religiosum Societatis docere,

cere, nec consilium dare, nec significare talem doctrinam sibi placere. Idem cum maiori expressione determinavit *die 25. Ianuarij anni* 1647. Reverendissimus P. Vincentius Carrafa, eiusdem Societatis Generalis, quia cõfirmavit Decretum sui Antecessoris Romæ, & illud ampliavit ad delectationem veneream, non quæsitam, sed admissam. Castrus Palaus, loco citato asserit, dictam doctrinam pro sententia affirmativa nullam habere probabilitatem: ergo ex his apertè constat in delectatione venerea, non esse parvitatem materiæ.

17 Secundò probatur non minùs efficacitèr nostra conclusio; nam hodie contraria sententia non potest ad praxim reduci; quia stò concedamus aliquam probabilitatem pro ea, non excedit limites tenuæ probabilitatis; sed secundùm propositionem tertiam, damnatam ab Innocentio XI. opinio probabilitatis tenuæ non potest reduci ad praxim: ergo contraria sententia non est amplectenda. Probatur maior; nam illa opinio est probabilitatis tenuæ, de cuius probabilitate dubitant graves Auctores, vt dixi cum Patre Cardenas *quæst. unic. proœm.* §. 1. sed de probabilitate contrariæ sententiæ talitèr dubitant graves Auctores, quod Castrus Palaus vocat illam improbabilem; apud Thomam Sanchez loco citato, alij dicunt esse temerariam, alij erroneam: Pater Aquaviva, de consilio Theologorum Societatis, illam prohibet in sua Religione, vt intolerabilem, periculosam, & falsam ad minùs in praxi: ergo talis opinio ad summum potest habere probabilitatem tenuem; ideòque Malderus loco citatò, illam vocat probabilem speculativè: ergo attenta damnatione Innocentij XI. sententia defensans parvitatem materiæ in delectatione venerea non habet probabilitatem practicam: ergo firmitèr est standum pro sententia negante.

18 Tertiò probatur fundamento communi Doctorum patrocinantium nostram conclusionem: nulla est tam parva fornicatio quæ non sit peccatum mortale; sed delectatio venerea sortitur morem actus: ergo omnis delectatio venerea est peccatum mortale. Prætereà, quia omnis inchoatio pollu-

tionis

tionis est peccatum mortale; sed omnis delectatio venerea est inchoatio pollutionis; nam secundum Galenum provocat, & movet appetitum sensitivum: ergo omnis delectatio venerea est peccatum mortale; nam sicut quilibet actus quantumcumque parvus, si est incboativus pollutionis est peccatum, ita etiam omnis delectatio venerea.

19 Pater Salelles *tom*.3. *de mater. Inquisit. lib* 5. *pag*.116. *num*.890. parificat hanc doctrinam hac forma: delectatio venerea quantumcumque modica sit est de obiecto mortali: ergo est peccatum grave. Probatur consequentia: complacentia deliberata, quantumcumque modica sit de homicidio, furto, & similibus de obiecto mortali, semper est peccatum lethale; sed delectatio venerea, quantumcumque modica sit, vt ex se constat, est de obiecto mortali: ergo erit peccatum lethale: ergo ex parvitate materiæ non potest esse peccatum veniale.

20 Quartò probatur ex doctrina Castri à Palao, loco citato, *num*.5. nullus solutus potest delectari de copula, sub conditione cogitata, si esset licita; citat pro hac sententia Sanchez, Basilium de Leon, & Vazquez; quia illa delectatio est præsens & commovet appetitum sensitivum, & vocat spiritus vitales servientes generationi: ergo multò minus est licita sine tali conditione delectatio venerea; quia si adhuc sub conditione, quòd esset licita copula, est peccatum mortale, quia vel secundum se est principium coitus; vel pollutionis; cum eadem ratio maiori cum fundamento in delectatione venerea militet, quantumcumque parva sit, erit peccatum grave. Præterea, quia oscula, tactus, amplexus, & alia huiusmodi, si aliundè non honestentur, sunt peccata lethalia; nam licèt sint inefficaces secundum se ad coitum, appetitum delectant; sed magis movet appetitum delectatio ad coitum, vel pollutionem, quam amplexus, & tactus secundum se: ergo maiori fundamento dicendum est, delectationem veneream esse peccatum lethale.

21 Sed maximè est advertendum ex dictis, quòd si delectatio est indeliberata, non est peccatum mortale, dummodò adveniente advertentia de prohibitione, voluntas dissentiat, vel vt melius dicam, non complaceat in tali delectatione: Quare non solùm oscula, sed etiam tangere manum mulieris vellicare brachium, premere pedem, & alia huiusmodi propter delectationem sunt peccata gravia, quantumcumque sit parva delectatio; nisi aliundè honestentur, & præter intentionem sequatur delectatio, vt si ex benevolentia, vel propter consanguinitatem, vel alium finem honestum hæc fierent, quia in hoc casu non essent in linea materiæ venereæ.

22 Maius fundamentum contrariæ sententiæ potest reduci ad hanc formam: in alijs præceptis Decalogi, propter parvitatem materiæ liberatur homo à peccato mortali: ergo etiam in delectatione venerea. Probatur consequentia: sicut non furari est præceptum Decalogi, ita non mechari; sed furari in parva quantitate solùm est peccatum veniale: ergo parva delectatio venerea erit peccatum veniale. Respondetur primò, quod non in omnibus præceptis Decalogi datur parvitas materiæ; nam in peccatis oppositis Fidei, Spei, Charitati Dei, & Religioni, quæ contrariantur primo Decalogi præcepto, propter parvitatem materiæ non liberantur à culpa gravi, vt patet in desperatione, in odio Dei, & blasphemijs; idem dicendum est in sexto Decalogi præcepto. Secundò potest responderi ex dictis, negando consequentiam; nam furtum in modica quantitate non est obiectum mortale: at verò è contra est discurrendum de parva delectatione, vt constat ex dictis in quarta probatione conclusionis. Præterea, quia licèt in se non esset peccatum grave, ratione periculi induceret hanc gravitatem, ideòque optimè Machado *tom.1. lib.2. p.3. tract.18. docum.11. num.3.* hæc habet: *Lo cierto es, que en ninguna materia se deve cerrar mas la puerta, que en estos pecados, por ser de suyo tan pegajosos.*

§.III.

§. III.
RESOLVITVR QVÆSTIO.

23 FACILIS est resolutio quæstionis ex dictis, nam si in rebus venereis ex delectatione, etiamsi sit modica, non admittitur parvitas materiæ extra Confessionem, multò minùs intra Sacramentum Pœnitentiæ; quare ex dictis infertur per consequentiam legitimam, Confessarium qui in Confessione, vel immediatè ante, vel post, habuit aliquos tactus, etiamsi non essent ordinati ad copulam fore denuntiandum, quia in Confessario non potest dici quòd tales tactus, vel amplexus sunt, vel ex benevolentia, vel ex vsu patriæ, vel ex consanguinitate; cum omnia ista sint procùl in administratione huius Sacramenti Pœnitentiæ, quod debet tractari à Confessario cum modestia, gravitate, prudentia, & omnimoda puritate: ergo cum in illo cessent omnia motiva, quæ possunt afferre secum indifferentiam, si exercentur à Confessario, debet præsumi, omnia esse facta, vel dicta ex delectatione venerea; ac per consequens cum in ista non admittatur culpa levis ex parvitate materiæ, Confessarius est denuntiandus.

24 Maior difficultas est; an stando in opinione asserente, delectationem veneream ex parvitate materiæ non esse peccatum lethale, exercendo tales actus, ex quibus oritur parva delectatio, in Confessione detur peccatum grave, ac per consequens Confessarius talia exercens, sit denuntiandus Inquisitoribus? Portel *in addit. ad dub. regul. verb. Solicitans, num.* 4. defensat in solicitatione ad venerea dari parvitatem materiæ. Sequuntur hanc sententiam Castrus Palaus *tom. 1. tract.* 4. *de Confess. solicit. disput.* 9. *punct.* 3. Magister Sousa *in aphor. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 4. *de Confess. solicit. tract.* 1 *cap.* 1. *n.* 7.

25 Negant autem in solicitatione parvitatem materiæ plures graves Auctores, quos sequitur in praxi Sanctæ Inqui-

sitionis Tribunal. Ita Diana 4 *part. tract.* 5. *resolut.* 5. Noster Trimarchius *de Confess. abut. disp.* 2. *sect.* 7. *num.* 4. Fagundez *in* 2. *præcept. Eccl. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 52. & omnes DD. defensantes conclusionem positam §. antecedenti, contra parvitatem materiæ in delectatione venerea, præter Castum Palaum, qui meo videri, & laxat havenas conscientiæ, & discurrit inconsequentèr; nam dicit, quòd non est solicitatio comprehensa in Bullis tangere manus, vel mamillas fœminæ, digitos intorquere, & velicare; nonnè præcipuè tangere mamillas, & digitos intorquere, sunt actiones provocativæ, & periculosæ? Ergò talis opinio non est sustinenda in praxi, quia est nimis laxa. Etiam discurrit inconsequentèr; nam loco citato in §. antecedenti, negat in delectatione venerea parvitatem materiæ: ergo inconsequentèr eam admittit in crimine solicitationis.

26 Sit conclusio: In crimine solicitationis non est admittenda in rebus venereis parvitas materiæ. Sic observatur inviolabilitèr in Tribunali Sanctæ Inquisitionis. Probatur primò conclusio: Sacerdos solicitans in Confessione ad inhonesta, sive per verba, sive per tactus, vel per signa subijcitur jurisdictioni Inquisitorum, & pœnitens tenetur illum denuntiare, quia etiamsi talia verba, facta, vel signa extra Sacramentum peccata levia sint, intra Sacramentum lethalia censentur: ergo in crimine solicitationis non est parvitas materiæ. Probatur antecedens: verba inhonesta, facta, & signa, quæ extra Sacramentum sunt levia peccata, intra sunt gravia crimina; quia licèt talia peccata ex suo obiecto immediato sint levia, sunt gravissima perpetrata intra Sacramentum Pœnitentiæ; nam imbibunt abusum tanti Sacramenti; sed in abusu Sacramenti non datur parvitas materiæ: ergò peccata, quæ extra Sacramentum levia sunt, intra Sacramentum sunt lethalia. Probatur minor: in Dei contemptu, in dissensu in rebus fidei non datur parvitas materiæ; imò vt optimè Diana 5. *part. tract.* 5. *resolut.* 28. nec in sortilegijs, & magiæ

nam

nam quòd Dœmon invocetur expreßè, vel tacitè in re parva, vel magna semper est peccatum grave: ergo nec in abusu Sacramenti Pœnitentiæ; & ratio est, quia abusus respicit hoc Sacramentum, tanquam medium ad actum venereum, & sic non est minor inordinatio contra venerationem debitam Sacramento, quòd actus venereus sit peccatum mortale in sua specie, vel veniale.

27 Parificatur primò hoc vltimum; nam licèt mendacium leve sit peccatum veniale secundùm se, vocare Deum in testem per iuramentum talis mendacij, est peccatum grave, talitèr, quòd dicere contrarium est damnatum ab Innocentio XI. vt constat ex propositione 24. damnata: ergo dato, quòd aliquod peccatum sit leve intra genus luxuriæ extra Sacramentum, cum abusu Sacramenti est peccatum grave. Probatur consequentia; nam ex eo vocare Deum in testem levis mendacij est peccatum grave, quia homo respicit Deum, vt medium ad mendacium, in quo imbibitur gravis deordinatio, etiamsi mendacium sit leve; sed qui profert verba, vel committit facta intra Sacramentum, quæ extra Sacramentum sunt levia peccata, per abusum respicit hoc Sacramentum, vt medium ad actum venereum, quod secundùm se est malum: ergo dato, quòd extra Sacramentum sit peccatum leve, in Confeßione est enorme peccatum talia exercere.

28 Secundò parificatur idem assumptum; licèt respectu ieiunij Ecclesiastici sumere parùm panis non sit peccatum lethale; sumere illud ante sumptionem Eucharistiæ, grave sacrilegium est: ergo similitèr licèt proferre aliqua verba profana, vel inhonesta extra Sacramentum Pœnitentiæ non sint peccata gravia, intra Sacramentum meritò tam gravia censentur, quòd sint sacrilegia.

29 Probatur secundò conclusio: in blasphemijs non est peccatum veniale ex parvitate materiæ: ergo neque in crimine solicitationis. Antecedens latè ostendunt Eximius Sua-

rez *tom.* 5. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 2. Valmaseda *tom.*1. *de Fide, disp.* 91. *sect.* 11. §. 48. Doctor Angelicus 2.2. *quæst.* 13. *art.* 2. Caietanus *in Summ. verb. Blasphemia*, & communitèr Expositores Divi Thomæ: ratio fundamentalis est, quia in omnibus blasphemijs semper est eadem ratio formalis, quæ fundat malitiam mortalem, scilicèt, animus directus, vel indirectus, virtualis, aut interpretativus dohonorandi Deum; & cum Deus æquè dehonoretur, sive illi attribuantur falsò res corporeæ magnæ, vel parvæ; hìnc est, quòd in his peccatis non datur parvitas materiæ; imò potiùs talis parvitas peraccidens se habet ad huiusmodi peccata. Probatur consequentia à paritate: in omnibus peccatis solicitationis est eadem ratio formalis: ergo non datur parvitas materiæ. Probatur antecedens: ex eo solicitans est suspectus in fide, quia abutitur Sacramento Pœnitentiæ, & ei infert iniuriam; sed licèt res sit parva, vel magna, semper abutitur Sacramento, & ei infert iniuriam: ergo in crimine solicitationis semper est eadem ratio formalis; sed quia in blasphemijs semper est eadem ratio formalis, non datur peccatum levè ex parvitate materiæ: ergo nequè in crimine solicitationis.

30 Probatur tertiò: verba iniuriosa continentia parvum contemptum, quæ prolata in alium essent peccata venialia, prolata in Patrem, vel Prælatum sunt peccata mortalia ratione personæ offensæ: ergo Confessor, qui in adminstratione Sacramenti admiscet tactus, verba impudica, signa, & alia similia, etiamsi in alio loco, & occasione essent levia, ratione sanctitatis Sacramenti, quod administrat, sunt peccata gravia; & ratio horum est, quia Sacramenta sanctè administranda sunt, & non cum scandalo, & ruina fidelium.

31 Probatur vltimò ab inconvenienti; nam si in crimine solicitationis admittitur parvitas materiæ, datur ansa Confessarijs profanandi Sacramentum Pœnitentiæ; nam si consentirent mulieres ad tactus, vel verba venerea, ex illis transirent Confessarij ad alios turpiores tractatus; si non consentirent

tirent

tirent fœminæ, cessarent, & propter parvitatem materiæ manerent immunes à delatione; ac per consequẽs cum omni libertate admiscerent tactus, signa, verba impudica, & alia huiusmodi profanando tam salutiferum Sacramentum: ergo ne hoc sequatur, est abolenda parvitas materiæ à crimine solicitationis.

32 Advertendum tamen est, quòd aliquandò exercere cum vna persona aliquas actiones, non habet vnde honestetur; benè verò cum alia, nam si mulieri adultæ Confessor tangeret manus, vel faciem, præsumitur esse propter delectationem veneream; ac per consequens nõ haberent istæ actiones partem, ex qua honestatem inducerent; si autem illas exerceret, vel cum masculis, vel cum fœminis parvulis possent honestari; siquidem ex vna parte in istis non sunt provocativæ, nec periculosæ; & ex alia potest præsumi talia exercere Confessarium, vt non concipiant horrorem, & liberiùs cum his blanditijs sua peccata fateantur.

§. IIII.

ARGVMENTIS CONTRARIIS SATISFIT.

33 PLVRA argumenta accumulant Auctores contrariæ sententiæ, sed solùm proponam principaliora. Primùm sic procedit: si in crimine solicitationis parvitas materiæ non daretur, esset obligatio in pœnitente denuntiandi Confessarium in Sancto Officio propter peccata levia; sed hoc non potest dici: ergo quia in crimine solicitationis datur parvitas materiæ. Probatur minor: Edictum Inquisitionis imponit præceptum denuntiandi sub pœna excommunicationis maioris; sed quandò talis pœna imponitur in Edictis, non obligant ad denuntiandum peccatum leve: ergo non potest dici, quòd detur obligatio denuntiandi crimen solicitationis propter peccatum leve. Minor, in qua est difficultas, constat ex sententia omnium DD. siquidem cum excommunica-

nica-

nicatio sit pœna gravis, non imponitur ad manifestandum peccatum leve.

34 Respondetur, quòd quodlibet crimen in rebus venereis in Sacramento Pœnitentiæ est peccatum grave; nam vt dixi, licèt in rebus venereis admittatur parvitas materiæ, intra Sacramentum, cum quodlibet peccatum huius speciei committatur à Confessario cum abusu Sacramenti, & in tali abusu nō detur parvitas materiæ, quia sive abusus sit magnus, sive parvus continet gravem irreverentiam; hinc fit, quòd intra Sacramentum non datur parvitas materiæ. Quod potest parificari principaliùs duabus instantijs positis §. antecedenti, de blasphemijs, & iuramento.

35 Replicabis: in hac quæstione admittitur, licèt non concedatur, quòd extra Sacramentum in delectatione venerea datur peccatum veniale propter parvitatem materiæ: ergo idem dicendum erit intra Sacramentum. Probatur consequentia à paritate, si huiusmodi delectatio nō esset peccatum veniale, maximè, quia committitur in Confessione Sacramentali; sed stat benè, quòd committatur intra Sacramentum, & quòd si aliundè sit peccatum veniale, in eadem linea perseveret: ergo etiamsi committatur intra Sacramentum, non ideò est peccatum mortale. Probatur minor: mendacium leve, quod extra Sacramentum Pœnitentiæ est peccatum veniale, cōmissum intra Sacramentum etiam peccatum veniale est. ergo si delectatio venerea in materia parva extra sit peccatum veniale, intra Sacramentum non induit aliam malitiam.

36 Respondetur ad instantiam negando consequentiam, & ad illius probationem distinguenda est maior, maximè, quia committitur in Confessione Sacramentali, talitèr quòd Confessio respiciatur vt medium ad delectationem venereā, concedo maiorem, talitèr, quòd sic non respiciatur, nego maiorem: per quod manifestatur disparitas; nam ideò mentiri in materia levi in Confessione Sacramentali non est pec-

catum grave, quia non respicit Sacramentum, vt medium, sicut parva delectatio, & confessio ad mendacium per accidens se habet. Sed cur Confessarius in delectatione venerea abutitur Sacramento Pœnitentiæ; non autem qui profert mendacium leve in eodem Sacramento? Respondeo, ideò esse, quia Confessarius se habet formalitèr, vt Minister, & quod attinet ad illum est administrare; cum autem loco administrandi remedium ponat peccatum; etiamsi istud sit aliundè leve, cum abutatur, vtitur hoc Sacramento, vt medio ad veneream delectationem intrinsecè malam, quod est sacrilegium; quæ ratio non militat in pœnitente, ad quem solùm attinet non ponere obicem ad remedium, quod administrat Confessarius.

37 Secundum argumentum sic formant adversarij: ex eo punire solicitationem in Confessione pertinet ad Inquisitores, quia tale crimen generat suspicionem in fide; sed de rebus venereis in parva materia suspicio in fide non generatur: ergo quia intra Sacramentum non est peccatum grave. Probatur minor: ex levi coniectura suspicio in fide non potest generari; nam ista suspicio cum non sit solùm transcendentalis, sed iuris, & à iure, non potest generari ex quolibet peccato gravi, sed ex enormi, vt constat in omnibus peccatis generantibus talem suspicionem; sed delectatio parva venerea, etiamsi sit peccatum grave, non est enorme: ergo ex illa non generatur suspicio in fide.

38 Respondetur negando minorem; nam parva delectatio intra Sacramentum non est coniectura levis; quia cum committatur cum abusu Sacramenti, respicit Sacramentum, vt medium ad talem parvam delectationem veneream; & cum in hoc reperiatur deordinatio gravis, ideò non est levis coniectura tale peccatum ad generandam suspicionem in fide, quia fundamentum, quod habent Summi Pastores Ecclesiæ ad stabiliendam hanc suspicionem, sumunt ex hoc, quòd Confessarius abutitur hoc Sacramento ad suam libidinem explendam, qui abusus reperitur in delectatione venerea etiam parva.

39 Tertium argumentum sic procedit: si solicitare fœminam ad tales actus, aliunde venialitèr inhonestos, esset peccatum grave, pro illis esset denunciandus Confessarius; sed pro his actibus non est denunciandus: ergo talis solicitatio non est peccatum grave. Probatur minor: in Bulla Pij IV. quam postea ampliavit, & confirmavit Gregorius XV. dicitur esse denunciandos Confessarios solicitantes, qui mulieres pœnitentes ad actus inhonestos provocant, *& loco reconciliationis cum Deo graviori peccatorum molle eas onerant, & in manibus Diaboli tradunt*, Clemens VIII. nihil aliud fecit, quàm renovare hoc Decretum, & Gregorius XV. in sua Constitutione vocavit hoc scelus nefandum, impium, & illud facientem, infernalem veneficum, & proditorem execrabilem; sed per actus solùm venialiter inhonestos, Confessarij non tradunt animas in manus Diaboli, nec eas onerant graviori peccatorum molle, quia tales actus, vt supponitur in hac quæstione, solū sunt venialitèr inhonesti: ergo pro talibus actibus Confessarius non est denunciandus.

40 Hoc confirmatur: vt Confessarius sit denunciandus Inquisitoribus, non solùm debet esse suspectus in fide suspicione Theologica, sed etiam iuridica; sed etiamsi solicitando ad actus venialiter inhonestos sit suspectus suspicione Theologica, non tamen est suspectus iuridicè: ergo non est denunciandus. Maior constat, etiamsi in crimine revelationis sigilli Sacramentalis detur suspicio in fide Theologica, & sit enorme sacrilegium, pro illo non est denunciandus Confessarius Inquisitoribus, nulla alia ratione, nisi quia talis suspicio, quòd malè sentiat de Sacramento Pœnitentiæ non est à iure: ergo solùm est denunciandus Inquisitoribus fidei, qui est suspectus in fide iuridicè. Minor sic ostenditur, vt constat ex Displomatibus Pontificijs citatis; Confessarij solicitantes sunt iuridicè suspecti, quia tradunt animas in manus Diaboli, & gravant eas maiori peccatorum molle; sed si solicitant ad actus inhonestos veniales, licèt Confessarij onerentur gravibus peccatis; quia, vt diximus, abutuntur Sacramen-

men-

mento; non sic est in pœnitentibus, quia isti non abutuntur, etiamsi consentiant, quia non sunt administratores sanguinis Christi: ergo talis Confessarius non est suspectus in fide iuridicè; ac per consequens Inquisitoribus denunciandus non est.

41 Respondetur ex dictis: tales Confessarios esse denunciandos, non quia solicitant ad actus venialiter inhonestos, quia licèt verum sit, quòd demus tales actus extra Sacramentum esse venialiter inhonestos; intra Sacramentum ratione abusus sunt sacrilegia gravia, non solum ex parte Cōfessarij, sed etiam, si consentiat fœmina, ex parte illius; sicut furtum leve est peccatum veniale, & aliquando ratione gravis damni est peccatum mortale; quare in isto casu verificantur verba Decretorum Pontificum, quòd talis Confessarius tradit animas in manus Diaboli, &c. Per quod patet ad confirmationem; & iste Confessarius non solùm est suspectus theologicè, sed etiam iuridicè.

42 Replicabis: ex eo, vt diximus, qui dicit mendacium leve in Confessione non peccat mortaliter, quia licèt dicat illud intra Sacramentum, cum non sit Minister, non abutitur Sacramento: ergo licèt Confessarius provocet, & tentet pœnitentem, & iste consentiat in actus venialiter inhonestos; pœnitens non peccat mortaliter, quia non est Minister Sacramenti Pœnitentiæ; ideoque illo non abutitur: ergo nec tenetur denunciare Confessarium, etiamsi iste peccet mortaliter, quia non onerat pœnitentem maiori peccatorum molle, nec illum tradit in manus Diaboli, cum solùm pœnitens committat peccatum veniale.

43 Respondetur distinguendo antecedens; quia licèt illud mendacium dicat intra Sacramentum non abutitur Sacramento; nec consentit abusui, nec ad talem consensum provocatur, vel tentatur, concedo antecedens; si consentiret abusui non esset peccatum grave, nego antecedens, & nego consequentiam; quia abuti, & consentire sunt intra eamdem lineam, sicut provocare, allicere, & consentire; & sicut furari, & consentire

consequens esset cooperta, & paliata solicitatio, quæ tentatio dicitur comprehensa in Bullis.

46 Dices: per ly *si* suspenditur solicitatio, sicut per talem conditionem suspenditur contractus in futurum, vt constat *ex leg.* Itaque, *ff si certum petatur institut. de verbor. obligat.* §. *ex conditionali*: ergo tunc non est solicitatio. Probatur antecedens; nam ly *si* taliter suspendit contractum, quòd non datur contractus si non purificatur conditio; ac per consequens de præsenti non datur, sed solùm est futurus, & pro tunc suspenditur: ergo etiam suspenditur solicitatio; sed solùm debet denunciari delictum præsens, non autem futurum: ergo cum in nostro casu, solicitatio non sit præsens, non est denunciandus Confessarius, qui talia verba proferret.

47 Respondetur admittendo suspensionem solicitationis clarè, sed non ideo talis Confessarius liberatur à denunciatione, nec à pœnis taxatis in Bullis, licèt non puniatur cum tanto rigore, ac si apertè solicitaret; nam in hoc delicto non solum est punienda solicitatio secundùm tenorem Bullæ Gregorianæ, sed etiam tentatio, & conatus ad solicitationem, vt benè Escobar à Corro loco citato *num.* 61. Neque hoc solùm est speciale in hoc delicto; quia non tantùm subijciuntur Inquisitoribus non Sacerdotes qui Missas celebrant, sed etiam, qui incipiunt celebrare, & similiter qui contrahunt sponsalia cum alia vxore, vivente prima, etiamsi non contrahant matrimonium. Præterea, quia licèt regulariter quando imponuntur pœnæ contra aliquod delictũ, debeant de delicto consummato, & perfecto intelligi; non ita discurrendum est in solicitatione, quia cum fundentur istæ pœnæ in abusu, & iniuria Sacramenti, & abutatur non solùm, qui clarè, & cõsummatè solicitat, sed etiam qui tentat solicitare, vel procurat; ideò cum sola tentatione, vel conatu Confessarius subijcitur pœnis, & est denunciandus, & licèt mitiùs puniatur ab Inquisitoribus, semper pœnæ sunt graves, siquidem non potest liberari ab abiuratione de levi, & consequenter, si fuerit regularis manet privatus in perpetùm voce activa, & passiva, &

ab

ab audiendis Confessionibus cum alijs salutaribus pœnitentijs, de quibus suo loco.

48 Ex dictis occurrit alius casus. suppono, quòd Confessarius dicat fœminæ in Sacramentali Confessione, optarem quòd licita esset fornicationis solicitatio, & non prohibita, vt te solicitarem ad venerea, talis modus solicitandi est ne solicitatio? Resolutio huius casus dependet ab illa quæstione an conditio auferat malitiam ab actu, quando actus est intrinsicè malus? Circa quam difficultatem duplex est sententia, prima affirmat, quam sequuntur Valencia *l. 1.2. disp.6. quæst.4. punct.4.* Salas *tract.13.disp.16 sect.27.* Vazquez *disp.116. per totam*, & alij plures quos citant isti Auctores. Secunda sententia, quam sequor in praxi est, quòd talis conditio non aufert malitiam ab actu, si actus ab intrinsico est malus.

49 Iuxta secundam sententiam resolvo casum, & dico huiusmodi Confessarium fore denunciandum, & addo, quòd hanc sententiam sequitur in praxi nostra Inquisitio Hispanica. Probatur resolutio; quia talis modus solicitandi est tentatio, & alliciencia ad venerea; nam quantumcumque Confessarius ponat illam vniversalem conditionem, per quam iudicetur excludere omnem malitiam, semper relinquitur in actu sua turpitudo, & obscœnitas; ac per consequens talis modus loquendi est idem, ac allicere, provocare, & tentare ad venerea, quòd subijcitur secundum Bullam Gregorij XV. Inquisitoribus fidei, ideoque huiusmodi Confessarius denunciandus est.

50 Dices: talis Confessarius nullum peccatum commissit: ergo non est denunciandus. Probatur antecedens: illa particula conditionalis *si* aufert ab actu omnem malitiam: ergo huiusmodi Cõfessarius nullum peccatum commissit. Probatur antecedens: iste actus in sua essentia in eo distinguitur ab absoluto, quòd absolutus imbibit taliter malitiam, quòd ex nullo capite tollitur, at verò conditionatus induit naturam conditionis; sed illa conditionalis nullam habet malitiam: ergo neque actus, qui induit naturam talis conditionis.

Res-

51 Respondetur primò, quòd etiamsi secundùm primam sententiam huiusmodi actus conditionatus in se non habeat maliciam præcisus ab alijs circunstantijs, induit tamen eam prolatus in administratione Sacramenti Pœnitentiæ ratione scandali; patet in innumeris casibus, in quibus actus secundũ se non est malus, & ratione circunstantiarum induit malitiam; nam dicta *talia* verba fœminæ non potest negari esse periculosa, siquidem vt constat ex terminis ad minus sunt allicitiva, & tentativa ad venerea: ergo etiamsi concedatur, quòd dicta, vel prolata in alio loco non essent peccatum, dicta mulieri in Sacramento Pœnitentiæ est grave peccatum; ac per consequens punibile, & denunciabile. Secundò est dicendum stando in secunda sententia, illam conditionalem non auferre malitiam, quia talis solicitatio est intrinsecè mala, & in genere moris non distinguitur iste actus conditionatus ab absoluto solicitandi.

52 Tertius casus est: quædam vxorata accessit ad Confessarium, & inter interrogationes de vsu matrimonij (in quibus debent Confessarij cautè procedere) miscuit alias impertinentes, interrogando de partibus pudendis mariti; de molle sui corporis in coitu, & de alijs huiusmodi, est ne denunciandus huiusmodi Confessarius? Respondetur fore denunciandum; quia licèt non solicitaret ad inhonesta, sive inter se, sive cum alijs, habuit cum illa fęmina inhonestos sermones, ideòque est casus comprehensus in Bulla Gregorij XV. aliundè talia verba sunt provocativa, nec ex aliquo capite possunt honestari, siquidem omninò impertinentia sunt ad integritatem Confessionis. Pono casus huius conditionis, quia similes frequenter contingunt ob lasciviam, & ignorantiam aliquorum Confessariorum existimantium, talia crimina non cõtineri in Bullis Pontificijs; posteaque fœminæ ex remorsu conscientiæ consulunt Confessarijs doctis, qui admonent de obligatione denunciandi, & Confessarij talia loquentes incidunt in manus Sancti Officij.

53 Quartus casus: quidam Confessarius in actu Confessionis immediatè ante, vel post dedit fœminæ pęnitẽti annullum aureum

reum, vel duo scuta aurea, aut aliud donum insolitum, postea in die sequenti ivit in domum suam,& eam solicitavit; tenetur ne ista fęmina denunciare Confessarium tanquam reum Bullæ Gregorianæ? Noster Trimarchius *disp.2.sect.* 4. dicit, teneri illum denunciare, & citat pro hac resolutione Patrem Orengum nostri Ordinis Iubilatum Lectorem,& cum illis idem resolvo; nam vt dicit idem Trimarchius, talis donatio facta in Confessione est solicitatio implicita, & palliata; quia licèt in Confessione venenum non evomeret, illa donatio fuit infecta intentione solicitãdi, ac per cõsequens fuit inchoata solicitatio: ergo huiusmodi Confessarius denunciandus est: parificatur hoc fundamentum; nam vt constat ex damnatione Alexandri VII. Confessarius dans fęminæ chartam in Confessione, in qua continetur solicitatio, licèt nihil explicet in Confessione, sed det illam, vt postea legatur domi est denunciandus, quia venenum solicitationis administratur in Confessione; sed etiam in illa donatione annulli, vel alterius doni insoliti imbolvitur venenum solicitationis, vt postea explicatur domi à Confessario, sicut per chartam domi explicatur solicitatio: ergo sicut in casu donationis chartæ Confessarius est denunciandus, ita in casu donationis doni insoliti.

54 Contra istam resolutionem insurgit contra Trimarchium Thomas Hurtado in appendice 1. *ad tract. de solicitant. tract.4.resol.22.* hoc modo: in sententia Trimarchij, si Confessarius in Cõfessione Sacramentali daret fęminæ pauperi, quamtumvis pulchræ, pecunias, & postea domi eam solicitaret non esset puniendus in Sancto Officio: ergo si tribuat mulieri non pauperi in Confessione annullum aureum, vel scuta, & postea domi solicitet non est reus Bullæ. Probatur consequentia à paritate: ex eo in primo casu non est solicitatio, quia per actum externum donationis, nec per se, nec per accidens significatur mala intentio Confessarij, sed præsumitur talis donatio effectus misericordiæ, vel charitatis erga fęminam pauperem; sed etiam in nostro casu potest procedere donatio, vel ex liberalitate, vel

ex prodigalitate, aut ex gratitudine: ergo talis donatio non facit Confessarium reum Bullæ. Iterùm constat alia paritate. omnes DD. docent Hæreticum nō incurrere pęnas latas in Bullis, quantumcumque habeat errorem in intellectu, si actus externus non significat per se actum internum hæresis; sed per illam donationem non significatur, nec per se, nec per accidens, aliqua solicitatio ad venerea; siquidem Confessarius, nec loquitur, nec agit in Confessione aliquid inhonestum: ergo quòd postea domi solicitet per accidens se habet respectu illius donationis: ergo huiusmodi Confessarius nullo modo vt solicitans est denunciandus.

56 In primis potest responderi negando paritatem, & bene; nam etiamsi talis donatio esset facta pauperi fęminæ; si postea Confessarius donans eam domi solicitaret, esset præsumptio violenta contra illum, quòd talis donatio fuit facta intuitu solicitationis futuræ, non autem ex charitate, aut ex misericordia, nam per effectum sequtum tollitur contraria præsumptio, quia factum est contrarium; ac per consequens talis donatio est inchoata solicitatio, & credo, quòd iste casus ita intelligitur in Sancto Officio. Secundò respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; disparitas stat in eo, quòd quando illud donum datur pauperi fęminæ, etiamsi postea Confessarius domi solicitet, in ipsa paupertate potest fundari præsumptio, quòd in Confessione illa donatio non fuit intuitu solicitationis, sed effectus misericordiæ, vel charitatis, & si postea solicitet, non est intuitu donationis, sed effectus fragilitatis. In fœmina divite cessat omninò hæc præsumptio; imò potiùs ex communiter contingentibus præsumitur solicitatio, vel inchoatio solicitationis, & dando illum annullum parat laqueum Diaboli, vt postea manifestatur.

57 Respondetur ad confirmationem distinguendo maiorem; liberatur à pœnis omninò contra Hæreticos, si ex dictis, & circunstantijs adiunctis non explicetur error intellectus sufficienter, concedo maiorem, si explicatur, nego maiorem, nam

vt bene Salelles *tom.3. pag 119. num. 923.* Si aliquis efficiat sortilegia amatoria, interrogandum est, an crederit posse per illa tolli humanam libertatem, etsi habeat capacitatem sufficientem, vt sciat hunc articulum fidei habendus est, vt Hæreticus formalis, & si est paratus ad correctionem debet abiurare de formali; licèt sortilegium amatorium possit procedere non ex errore intellectus, sed ex affectu ad libidinem; & regulariter inter Catholicos ex hoc capite dimanat; nam applicantur illa media ad libidinem explendam; non obstanti, quia postea explicat suum animum iudicatur in hoc facto, vt Hæreticus formalis: ergo similiter cum tribuens tale donum postea solicitet domi, debet iudicari ex his circunstantijs adiunctis illam donationem esse inchoatam solicitationem.

58 Miror enim magis huius Auctoris, siquidem *num.* 224. addit, quòd etiam si Confessarius dicat fęminæ domi, illum donum dedisse in Confessione illi, animo alliciendi ad suum amorem lascivum, adhùc huiusmodi Confessarius non est denunciandus; cum in hoc eventu apertè includatur iste casus in Bulla, quia huiusmodi Confessarius explicat illam donationem fuisse animo alliciendi, & tentandi fœminam ad venerea; sicut etiam si per verba, vel facta indifferentia aliquis significaret errorem contra fidem, & postea explicaret habuisse malam credulitatem in illis verbis, & factis, & non processisse ex alio capite, nisi ex errore intellectus, vt Hæreticus esset habendus: ergo etiã in hoc alio casu Confessarius est habendus vt solicitans, si postea explicat domi illam donationem factam in Confessione processisse ex animo alliciendi, & tentandi ad libidinem.

59 Isti duo casus confirmantur ex illis, quæ asserit D. Ioannes Escobar 1. *part. quæst.* 3. §. 2. *num.* 18. & 19. nam postquam dixit, laudare pulchritudinem mulieris, venustatem, & alia dona non esse solicitationem (de quo casu §. sequenti) affirmat talia dicere in Sacramento, si postea extra Sacramentum etiam cum aliquo intervallo temporis Confessarius solicitet puellam ad turpitudinem, verè vt solicitator erit iudicandus;

dus;nam ex post factis declaratur animus præcedens in Confessione, ex text. in l. item si filius 7. l. sed Iulianus, §. Proinde 12. ergo cum postea huiusmodi Confessarius solicitet, debet colligi in tali donatione annulli, vel alterius doni fuisse solicitantem.

§. VI.
ALII CASVS RESOLVVNTVR.

60 PRIMVS casus: Confessarius in Confessione laudat pulchritudinem mulieris, ornatum, venustatem, & alia huiusmodi; est ne iste Confessarius denunciandus, & idem interrogari potest si blandis verbis offert illi ramusculum florum? Circa hunc casum est duplex sententia ex diametro opposita, & vtraque certò probabilis. Prima asserit, talem Confessarium non fore denunciandum. Ita D. Ioann. Escobar à Corro loco citato *num.* 14. Thomas Hurtado *resol.* 23 *à nu.* 225. *& seqq.* Freitas *in editione novissima de Confess solicitant. quæst.* 7. *à num.* 44. *&* 45. Fagundez *in* 2. *præcept. Eccles. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 51.

61 Secunda sententia, quam amplector, asserit, talem Confessarium fore denunciandum Tribunali Sanctæ Inquisitionis, vt solicitantem. Ita Bonacina *tom.* 1. *disp.* 6. *punct.* 3. *pag.* 773 *num.* 5. Acuña *quæst.* 7. *num.* 6. *&* 13. Santarel. *de Hæresi, cap.* 44. *dub. vnic. num.* 9. Augustinus Barbosa *de offic Parochi, cap.* 19. *sub num.* 49. Noster Trimarchius *loco citato, sect.* 5. Noster Peirinis *tom.* 2. *de privileg. constit.* 4. *Gregorij XV.* §. 6. *num.* 21. vbi sic ait *Nota secundò, quòd Inquisitores possunt, & debent procedere contra Confessarios, qui non verbis expressis, sed solum tacitis; & occultis alliciunt pœnitentes ad actus inhonestos, vt si illos de pulchritudine, venustate, &c. laudent.* Eandem sententiam tenet Diana *par.* 4. *tract.* 5. *resol.* 18. & sequitur in praxi Inquisitio Hispanica.

62 Probatur primò hæc resolutio; nam Gregorius XV. prohibet non solùm solicitare, sed etiam allicere, & tentare, sed his verbis fęminæ solent tentari, & provocari ergo talia verba sunt solicitationes comprehensæ in Bulla. Secundò proba-

tur; quia in dubio, an Confessarius protulerit illa verba animo tentandi, vel provocandi ad libidinem, vel non, præsumptio stat contra Confessarium: ergo vt solicitator est denunciandus. Antecedens probatur; nam quando est dubium circa verba præsumptio debet sumi ex communiter contingentibus; sed communiter accidit, vt fœminæ his verbis alliciantur, provocentur, & subvertantur: ergo debet præsumi, illa verba fuisse prolata animo alliciendi, & tentandi ad venerea. Confirmatur; quia sola confabulatio secreto cum fœmina in deteriorem partem accipi solet, *cap. Perniciosum* 18 *quæst.* 2. *& cap. Clericus, distinct.* 81. ergo multò meliùs debent accipi in deteriorem partem illa verba, quibus fœminæ ad libidinem solent allici, & provocari.

63 Sed Bonacina loco citato limitat hanc assertionem dicendo talia verba esse solicitationem comprehensam in Bulla Gregoriana, dummodò non constet, vel præsumatur, Confessarium protulisse hæc verba alio fine, quàm intentione alliciendi ad actus inhonestos, vt si v. g. dicat fœminæ pœnitenti iniuriam suæ pulchritudini, & venustati facere prostituendo seipsam alijs. In primis, vt rectè Diana loco citato, etiam in hoc casu debent Confessarij se abstinere ab his verbis, quia Confessarij invenient in libris aliam rationem efficaciorem, vt pœnitentes ab actibus libidinosis cessent; & ad minus per tales loqutiones, præcipuè mulieres cōcipiunt maiorem æstimationem suæ pulchritudinis, & magis augetur earum vanitas, quàm contritio de peccatis.

64 Circa hanc limitationem sentio, salvo iudicio Tribunalis, quòd si non proferantur à Confessario nuda, sed applicentur modo dicto ad correctionem fœminæ (quod ex alio capite debet Confessarius, vt dicit Diana, excusare) & aliundè fuerit talis Confessarius vir probus, & Religiosus, & nullo modo suspectus in libidinis rebus non est denunciandus, quia illa verba ex fine explicito, & ex vita Cōfessarij relevantur à præsumptione communi; si autem Confessarius sit rebus inhonestis deditus, etiamsi explicet eodem modo animum, non est vndè hone-

sten-

ſtentur illa verba, quia ex vna parte ſunt inefficacia ad correctionem, & ex alia vitaConfeſſarij non aufert præſumptionem; ac per conſequens debet præſumi in illo fuiſſe animum ſolicitandi.

65 Vltimò probatur aſſertum: ſi laudare pulchritudinem, venuſtatem, &c. non eſſet ſolicitatio; talis laudatio poſſet honeſtari prolata in Confeſſione; ſed illo tempore, & loco ex nullo capite honeſtari poteſt: ergo eſt denuncianda vt ſolicitatio. Probatur minor: illo tempore, & loco vtendum eſt veris, & ſecuris conſilijs, & ſanctis monitis, & omninò relinquenda eſt levitas, & laſcivia; ſed dicere talia verba eſt omninò impertinens ad conſulendum, monendum, & corrigendum: ergo non eſt caput, vndè talia verba honeſtentur. Præterea, quia talia verba rationem allicientiæ ſubterfugere non poſſunt, quia illis frequenter ad minus alliciuntur fęminæ; & ſi eſſet neceſſarium, quòd verba apertè eſſent provocativa ad libidinem, Summus Pontifex ſolùm poneret in Bulla tentare, & provocare, non autem allicere: ergo ly *allicere* poſitum in Bulla intendit omninò excludere à tanto Sacramento, & à puritate illius non ſolùm verba, quæ apertè ſunt provocativa, ſed etiam iſta allicitiva fœminarum, quia etiamſi iſta raro provocent, ad minus inclinant, quod eſt inchoare tentationem.

66 Dices: omnia iſta verba, & ſimilia, & donare, vel petere ramuſculum florum ſunt indifferentia, & turpem animum Confeſſoris non ſignificant; ſed in dubijs, ſi non occurrant aliæ circunſtantiæ, non eſt præſumendum pro delicto: ergo neque in his caſibus, & verbis eſt præſumendum pro ſolicitatione. Reſpondetur; quòd licèt iſta verba, & ſimilia alio loco, & tempore ſint indifferentia, intra Sacramentum allicitiva ſunt, quia non poteſt præſumi cum fundamento, quod proferantur ex alio fine; cum talis Confeſſarius talia dicendo non adimpleat ſuum munus, ex qua circunſtantia cum verba ſint, omninò extranea ab obligatione Confeſſarij; colligitur, & præſumitur delictum ſolicitationis.

Non

67 Non possum omittere verba Ioann. à Corro; quia totum meum desiderium est liberare Confessarios à crimine tam denegrativo corporis,& animæ, & modus securior non incidendi in manus Sancti Officij est tractare hoc Sacramentum cum omni puritate,& integritate: quare transcribam verba D. Ioann. Escobar à Corro *num.* 20. qui postquam loqutus fuit de casu proposito, & alio simili hæc verba habet: (*In vnaquaque specie,& similibus Confessarijs strictissimè consulo,& pro Dei visceribus exposco, se abstineant ab his, & alijs levibus, loqutionibus cum fœminis confitentibus, quæ alienæ sunt à tanto Sacramento, & ab eis,quæ in eo tractari debent, etiamsi ex pio, & bono oriantur animo; illo enim actu animæ remedia agenda, & tractanda sunt, non aliena,& levia,nec futilia,quæ levitatem per se afferunt, differuntque à modestia, & gravitate, qua hic sacer actus tractari debet, aliàs verò magna per se forent pericula, & licèt levia ingentem possunt atrahere ruinam & sua dulcedine magnam afferre amaritudinem.*) Hæc ille, quæ maximè memoriæ commendanda sunt.

68 Ex quibus infero alium casum, nempè, quòd si Confessarius exagerat affectum, & amicitiam, erga feminam pœnitentem in Confessione, & illi proponit domum illius adire, eamque frequenter invisere; si ex circunstantijs aliundè iste non honestantur, nempè quia talis mulier maximo opere desiderat consulere frequenter illi Confessario pro tranquillitate suæ conscientiæ,& alia huiusmodi:si ista ita non se habeant, sed imò potiùs Confessarius explicet suum affectum, quia illi placent colloquia,& dicteria illius feminæ;cum hoc sit allicere, & inclinare ad aliquam delectationem libidinosam, quamvis sit parva,talis Confessarius est denunciandus.

69 Secundus casus est;àn si aliquis Confessarius diceret in actu Sacramentalis Confessionis feminæ pœnitenti; meum bonum,mea vita,meum cor, amica mea, Angelus meus, & alia verba amatoria huiusmodi, esset denunciandus vt solicitator? Thomas Hurtado distinguit, & dicit, quòd si dicat Confessarius

rius prima verba, vel alia similia, scilicèt: meum bonum, mea vita, meum cor, est denunciandus, non autem si verba sint secundi generis, nempè amica mea, Angelus meus, & alia huiusmodi, sic sentit loco citato *resol.* 65. § 3. *num.* 942. Sed talia verba prima, & secunda esse solicitationes, secundùm dicta nullum est dubium, nam posita in primo non sunt tam provocativa, & dixi esse solicitationes.

70 Deindè probatur ad hominem contra Thomam Hurtado; nam ex eo asserit prima verba esse solicitationem, quia dicere verba amatoria, quæ non nisi à marito respectu vxoris, aut ab amasio respectu suæ concubinæ dicuntur, sunt solicitationes ad venerea; nam talia verba in foro externo manifestant malum animum Confessoris, & cum sint maximè teneritudinis, ad luxuriam multum fęminas inclinant; sed eadem ratio militat in secundis verbis; siquidem amica mea, Angelus meus maritus dicit vxori, & amasius concubinæ, & etiam sunt verba alliciti va, quibus frequenter fęminæ ad luxuriam provocantur: ergo prima, & secunda verba sunt solicitationes. Et si dicere verba æquivoca si redoleant aliquomodo allicientiam ad venerea secundum praxim Sancti Officij sunt solicitationes comprehensæ in Bulla Gregoriana; multò meliùs erunt verba omnia posita, cum clarè amatoria sint.

71 Ex quibus, & ex dictis in resolutione quæstionis infero resolutionem alterius casus contra Thomam Hurtado loco citato *num.* 935. scilicèt non solùm esse solicitationem comprehensam in Bullis osculare in Confessione fęminam in facie, vel in ore, tangere crura, attrectare mammillas; sed etiam osculare manus, vellicare brachium, præmere pedem. Nam etiamsi admissa sententia defensante parvitatem materiæ in Sacramento Pœnitentiæ intra genus luxuriæ, osculare manus, vellicare brachium, & præmere pedem non sint peccatum mortale, ex ea parte, qua opponuntur castitati; tamen ratione scandali peccatum lethale sunt: ergo quamvis iste Confessarius ex parte sua in his actionibus non peccet mortaliter intra genus luxuriæ, ratione

tione scandali peccatum lethale committit; sed ad intentum Pontificis, quòd Confessarius intra genus luxuriæ solùm venialiter peccet, per accidens est, vt sit denunciandus: ergo non solùm primæ actiones sunt solicitationes denunciandæ, sed etiam secundæ. Minor subsumpta probatur; intentum Pontificis est vitare scandalum, & ruinam pœnitentis, vt patet ex illis verbis Bullæ: *In Divinæ Maiestatis offensam, animarum perniciem, Christi fidelium scandalum non modicum*: ergo quòd Confessarius peccet intra genus luxuriæ tantùm venialiter parùm refert ad intentum Bullarum contra solicitantes; ideoque ad hoc vt detur peccatum grave scandali, vt ait D. Thomas Angelicus Præceptor 2.2. *quæst*. 43. *art*. 1. quem omnes Theologi sequuntur, solùm desideratur, *quod sit dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ*, cum autem etiamsi concedatur in illis factis non esse ex parte Confessarij peccatum grave intra genus luxuriæ, præbeat fęminæ occasionem ruinæ, quia frequenter cadunt cum his actionibus, etiamsi multoties per accidens non cadant; hinc fit esse solicitationes comprehensas in Bullis, non solùm prima facta, sed etiam secunda.

72 Ex quo infero, quòd in sententia, in qua defenditur parvitas materiæ intra genus luxuriæ, quando Confessarius exercet secunda facta, in illis actionibus datur duplex malitia, alia venialis intra genus luxuriæ, & alia mortalis ratione ruinæ, & scandali proximi passivi; quare DD. Inquisitores in foro externo semper præsumunt talia facta esse peccata mortalia, sicut si Confessarius diceret verba inhonesta, & turpia. Dixi, etiamsi admittatur in rebus venereis intra Sacramentum parvitas materiæ, quia eam negavi, etiam extra Sacramentum §. 1. huius quæstionis. Sed adhuc admissa, dixi quòd proferre talia verba inhonesta, ratione scandali est peccatum mortale, etiamsi extra Sacramentum ex levitate peccata gravia non sint. Probatur à paritate, nam si concionator exercendo munùs prædicationis deliberatè diceret verba turpia, & inhonesta in sententia omnium peccaret lethaliter: ergo etiam Confessarius, si talia verba

pro-

proferret in Confessione. Probatur consequentia: sanctiùs debet tractari Sacramentum Pœnitentiæ, quam cathedra prædicationis, quia si ista est cathedra veritatis, Sacramentum Pœnitentiæ sanctitatis; sed proferre in pulpito talia verba est peccatum mortale: ergo multò meliùs in Confessione Sacramentali.

73 Ex quibus colligo decisionem trium casuum, de quibus Sousa *tract.* 1. *cap.* 18. *num.* 14. Diana 4. *par. tract.* 5. *resol.* 47. Trimarchius *disp.* 6. *sect.* 1. *num.* 9. Primus casus est, quando Confessor in Confessione ante, vel post immediatè, vel in alijs locis, & circunstantijs contentis in Bulla Gregoriana, postea referendis, persuadet fęminæ, vt sibi ostendat vas naturale, quod infirmum esse dixit ipsa, quia Confessarius est excellens chirurgus, & vult applicare medicinam ad illam infirmitatem curandam. Est enim hæc suasio aperta solicitatio, quia tempus, & locus Confessionis non sunt apta ad medicinam corporalem præstandam, vt optimè Diana loco citato; & in praxi Inquisitionis Hispaniæ non solùm iste Confessarius est denunciandus in hoc casu, sed etiam, si vt porrigat medicinam exposcat, vt fęmina ostendat superiores partes crurum. Ita Thomas Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 46. *num.* 23. & ego addo secundum dicta, quòd in hoc crimine non est parvitas materiæ, ideoque etiam est solicitatio comprehensa in Bulla, si Confessarius exposcat, vt sibi ostendat inferiores partes crurum, vel digitos pedum, quia circunstantia loci, & occasionis impertinens est ad medicinam præstandam. Ex his enim habes doctrinam ad discernendas alias solicitationes paliatas huius generis.

74 Secundus casus ponitur & deciditur à Diana loco citato per hæc verba: *Duo Confessarij fœminis sibi Confessis hanc imposuerunt pœnitentiam, vt ab ipsismet Confessarijs nudæ verberarentur, & cum ad hoc pervenissent altera manu propria Confessarij, altera verò scutica, quam Confessarius tenebat manu vapulabat ab ipso. Dubitatum fuit, an huiusmodi actu solicitationes in Confessione factæ dicendæ forent? Et resoluta est pars affirmativa, & meritò quidem cum sint actus inhonesti, qui solicitantes, seu potius*

tiùs solicitationis tentationes dici debent. Sed cōtra istam doctrinam potest fieri hæc instantia; vt aliqua solicitatio sit comprehensa in Bulla debet esse, vel provocativa, aut scandalosa in Confessione, vel in illis locis, & occasionibus comprehensis in Bulla; sed huiusmodi solicitationes si sunt provocativæ sunt extra Confessionem; & occasionem Confessionis, & extra locum deputatum ad audiendas Confessiones; cum verberationes, ex quibus potest sequi provocatio, fuerint procùl distantes ab his locis,& circunstantijs: ergo videtur, quòd iste casus malè resolvitur à Diana.

75 Iste Auctor satisfacit tacitę obiectioni, & optimè cum ratione fundante suam resolutionem, quia demonstrat huiusmodi solicitationes factas esse in Confessione; nam sunt pœnitentiæ,& pœnitentia Confessioni est annexa per se,cum sit pars Confessionis. Ex quibus est neganda minor instantiæ;quia cum in duobus Confessarijs illæ verberationes executæ fuerint, vt pœnitentiæ Confessionum ratione connexionis dicunt semper ordinem ad Confessionem; ac per consequens sunt factæ in Confessione, vtpotè in parte integrali Confessionis. Idem iudicium debet fieri,si disponat Confessarius, quòd ipsa mulier se verberet sine ostensione carnis, talitèr quòd verberationes audiantur à Confessario; cùm audire talia sit vrgentissimus stimulus luxuriæ respectu audientis; ideoque est denunciandus Confessarius,quia licèt fęmina non provocetur,ille abutitur Sacramento Pœnitentiæ ad explendam suam libidinem.

76 Tertius casus est,si Confessarius facit, quòd fęmina fęmoralia ostendat, vel subtilem subuculam, hæ enim visiones incitant ad luxuriam; quare huiusmodi Confessarius est denunciandus.Ita Thomas Hurtado *tract.4.resol.64.nu.921.* §.5. sed postea meo videri inconsequenter loquitur, siquidem hæc habet verba: *Quòd si Confessarius remedium aliquod sciat ad aliquam infirmitatem, quæ inhæst mammillis fœminarum, cum harum aspectus non sit ita de se provocativus ad luxuriam, non videtur denunciandus, nisi animum malum alijs signis ostentet.* Dixi

loqui inconsequenter; nam si videre fęmoralia, aut subuculam tantùm, est actus solicitationis comprehensus in Bulla, quia incitativus ad luxuriam, etiamsi Confessarius non exposcat, quòd fœmina ostendat carnes immediatè; si in secundo casu postulat vt ostendat mãmillas, quod magis incitat ad luxuriam, quare non erit maior provocatio, ac per consequens potiori titulo actus solicitationis comprehensus in Bulla? In vtroque enim casu Confessarius vt solicitans est denunciandus, & ita intelligitur in nostra Inquisitione Hispanica.

77 Solùm adverto pro coronide, quòd in his factis, & verbis datur intra genus sacrilegæ solicitationis maior, vel minor gravitas, ac per consequens etiam pœnæ sunt maiores, vel minores in Sancto Officio ratione maioris, vel minoris scandali; quis enim dubitat magis incitare tactus in mammillis, quam in facie, & magis in cruris, quã in mammillis. Rursus magis incitat osculum in ore, quam in fronte. Idem constat de nutibus, magis enim movent, quæ fiunt toto corpore, quam qui fiunt capite, aut ore, nisi tali modo ista fiant, quòd magis provocent, & ampliùs incitant ad libidinem verba, quæ clarè, & distinctè significant partes verendas, quam alia, quæ significant alias partes, & ex modo dicendi aliqua verba, magis tentant, quàm eadem verba dicta alio modo, quia ex primo modo dicendi vivacius significatur amor mundanus; ideoque iuxta naturam, & modum horum verborum, nutuum, & factorum habent maiorem, vel minorem gravitatem; ideoque graviùs, vel mitiùs puniuntur in Sancto Officio; licèt omnes talia exercentes, vt solicitantes puniantur, & vt tales debent denunciari.

***
***

QVÆSTIO II.

VTRVM CONFESSARIVS CONSENTIENS *solicitationi factæ à fœmina sit denunciandus.*

§. I.

VTRVM SI CONFESSARIVS SOLICITET, ET FOEMINA *consentiat, hæc teneatur denunciare.*

78 VT meliùs percipiatur resolutio huius quæstionis præmitto aliam, inclusam in hoc primo §. circa quam sunt varia placita DD. sed vt clariùs procedam ad duas sententias illa reducam. Prima asserit, huiusmodi fœminam non teneri denunciare Confessarium solicitantem. Ita Portel. *in addit. ad dub. regul. verb. Denunciatio, num.* 10. *& verb. Solicitare fœminas, num.* 15. & videtur hanc sententiam esse plausibilem, siquidem cõmunitèr eqm docent Auctores clasici, quòd quis non tenetur denunciare, quando ex denunciatione sequitur aliquod grave detrimentum in vita, honore, & fama. Sic Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 96 *num.* 17. Laiman *lib.* 1. *de iust. cap.* 30. *dub.* 6. *num.* 50. §. 6. Sanchez *tom.* 1. *lib.* 3. *disp.* 13. *num.* 4. *pag.* 290. Suarez *de censuris disp.* 20. *sect.* 5. *regul.* 3. *num.* 9. § *secundum exemplum, pag.* 325. Cum autem fœmina solicitata in Tribunali debeat fateri veritatem, tenetur si denunciat aperire consensum, quod est contra suam famam, & aliundè, etiamsi illa taceat consensum, Confessor delatus ad minus convictus dicet in Tribunali, se cum tali fœmina tales, vel tales actus exercuisse, & sic exponitur fama mulieris. Vndè huiusmodi fœmina saltèm indirectè se prodet, ad quod, vt dixi, non tenetur, nisi in casu quo periclitaretur Religio Catholica.

* * *

79 Secunda sententia est communior, quam sequitur in praxi Tribunal Sanctæ Inquisitionis, & meo videri hodie sententia contraria est tenuæ probabilitatis. Quare debet defendi,

di, quòd etiam si fœmina cōsentiat solicitationi est denunciandus Confessarius. Thomas Hurtado *tract.4.cap.5.resol.4.* vocat hanc sententiam securiorem, quamvis *num.46.* dicat contrariam probabilem esse. Illam patrocinantur Bonacina *tom.1. disp.6. de obligat. denunc. punct.3. prop.2. num.*10. Peirinis *de privileg. Minim. tom.2. constit.4. Gregorij XV. §. 3. num.*11. Acuña *de Confess. solicitant. quæst.*10. *num.*10. Santarellus *tract. de hæresi, cap.44. dub. vnic. num.*12. Diana 1. *par. tract.4. resol.9. vers. Notandum est & 4. par. tract.5. resol.*31.

80 Hæc resolutio primò constat ex tenore Bullæ Gregorij XV. siquidem secundum illam est puniendus, & denunciandus Confessarius provocans, alliciens, & tentans pœnitentes ad inhonesta; sed huiusmodi Confessarius solicitat, tentat, & provocat ad inhonesta: ergo vt comprehensus in Bulla Gregorianâ est denunciandus, etiamsi fœmina consentiat. Secundò constat ex quadam epistola, quam affert Diana 4. *par. citata Cardinalis Melini, directa ad Fredericum Cardinalem Borromeum, Archiepiscop. Mediolan. expedita die 27. Septemb. anno* 1624. vbi expressè declaratur, talem Confessarium fore denunciandum secundum tenorem Bullæ Gregorij XV.

81 Secundum tenorem huius epistolæ primò non est audienda sententia Sousæ, qui *in sua tract. de Confess. solicitant. tract.2. cap.7. num.*4. asserit, quòd si fœmina consentit solicitationi, & committit peccatum præsertim in Confessione, non tenetur denunciare Confessarium; nam apertè contrariatur epistolæ relatæ, & Bullæ Gregorianæ, ad quod principalitèr est attendendum. Secundò non est deducenda ad praxim sententia, Freitas *in edit. noviss. de Confess. solicitant. quæst.*10. *num.*40. qui asserit, huiusmodi fœminam consentientem solicitationi non solùm teneri denunciare Confessarium solicitantem, sed etiam aperire copulam, & omnes actus inhonestos: & si hoc non facit, possunt DD. Inquisitores interrogare de omnibus rebus inhonestis exercitis cum Confessario. Hoc enim non potest sustineri; quia, inter alia, in epistola citata Cardinalis Melini

lini dicitur, fuisse determinatum in Sacra Congregatione, fœminam solicitatam non teneri deferre, nec explicare in delatione proprium consensum, neque debere Inquisitorem, vel Vicarium de illo interrogare; non pono verba, quia est epistola idiomate Italiæ scripta; sed expressissima quod transcribo, invenies in dicta epistola.

82 Per quod patet ad fundamentum contrariæ sententiæ, quia in hoc casu non obligatur fęmina solicitata ad detegendam propriam turpitudinem, sed tantummodò ad manifestandum Confessarium solicitantem, quod potest fieri absque eo, quòd explicetur consensus, dicendo se denunciare, vel ex zelo fidei, vel ne incurrat pœnas impositas contra non denunciantes. Et si cõtra tenorem Bullæ, vel epistolæ relatæ interrogent DD. Inquisitores de consensu ex parte fęminæ, potest huiusmodi fęmina negare consensum, vel vtendo verbis ęquivocis, vel aliquo signo externo, vel attentis circunstantijs taliter, quòd non addat tantum in mente restrictionem, ne incidat in propositionem 26. damnatam ab Innocentio XI. Et ratio huius est, quia nemo tenetur spontè propalare delictum proprium, quia non est potestas humana, quæ ad hoc obliget, quando delictum non est ad minùs semiplenè probatum; quare si interrogaretur de consensu modo dicto, potest negare, quia non interrogatur iuridicè.

83 Dices: complex, vel socius criminis non tenetur denunciare cum periculo suæ famæ; sed si mulier solicitata quæ consensit, denunciat, etiam si taceat consensum defert delationem Confessarij cum periculo propriæ famæ: ergo non tenetur denunciare, etiam si taceat consensum. Probatur minor; si postea Confessarius incarceratur, vel in primis audientijs, vel postquam publicantur dicta testiũ confitetur sua crimina cũ omnibus circunstantijs; ac per consequens vt mitiùs puniatur, explicat non solùm consensum fœminæ, sed facilitatem si illam habuit, & multoties aliqua verba ęquivoca ex parte fœminę, quæ fuerunt allicitiva, & provocativa Confessarij; sed hoc est exponere se periculo amittendi suam famam: ergo etiam si fęmina

soli-

solicitata non explicet consensum, si defert delationem Confessarij solicitantis ad DD. Inquisitores sua fama periclitatur, cum hoc enim periculo ad summùm in casu hæresis est denunciandum.

84 De hoc puncto aliqua dixi 1.*part.quæst.*7.§.4. sed quia constat experientia, quòd præter inconveniens ponderatum, non solum fœminæ, sed etiam aliqui Theologi maximè dubitarunt consulendo de obligatione denunciandi Confessarium, quando fœmina consensit, & exercuit aliquos actus turpes cooperando cum Confessario, dicendo, quòd Commissarij Sancti Officij interrogant non solùm de solicitatione Confessarij, sed etiam de actibus, ad quos cooperarunt fœminæ solicitatæ, hæc posui, & aliundè, quòd in processu, in Confessione rei, non solùm scribuntur actus turpes Confessarij, sed etiam cooperationes pœnitentium; cum autem nullus teneatur denunciare cum periculo propriæ famæ, & procedendo prædicto modo non solùm fęmina amittit famam apud DD. Inquisitores, sed etiam apud alios assistentes, quando legitur sententia cum meritis; videtur cum maximo fundamento dubitari de obligatione fęminæ ad Confessarium denunciandum, quando consensit solicitationi.

85 Quare vt in hoc puncto non remaneat fundamentum dubitandi de obligatione denunciandi huiusmodi Confessarium, omnia quæ fiunt, & debent fieri in similibus casibus, ad occultandum consensum fęminæ solicitatæ aperiam. Primò, vt dixi 1.*par. quæst. citat.* Confessarius monens de obligatione denunciandi debet instruere taliter pœnitentem, quòd explicet integrè solicitationes, & actiones, vel verba obscæna Confessarij, & nihil dicat, nec de proprio consensu, nec de suis actibus impudicis. Secundò, omnes qui scripserunt de hac materia dicunt, quòd etiam si pœnitens explicet consensum in Tribunali, non scribitur in actis, nec debet scribi, quia est res non spectans ad Tribunal Inquisitionis. Ita Peirinis loco citato. Tertiò, admoneo Commissarios Sancti Officij, ne interrogent à fœminis

minis solicitatis, nec de consensu, nec de suis cooperationibus; quia postea hoc referunt, & non solùm illæ, sed etiam aliæ solicitatæ retrahuntur à delatione Confessorum solicitantium in perniciem animarum, & iniuriam Sacramenti Pœnitentiæ; si enim omnia ista observantur, fœminæ solicitatæ nullum vestigium rationis allegare possunt ad omittendam solicitationis delationem, quando consenserunt, & credant, quòd ità oportet, vt fiat examen, & legatur sententia cum meritis, quia aliquando audivi, quòd ex circunstantijs cooperationis cognoverunt, audientes merita causæ, quæ erant illæ fœminæ solicitatæ, & præcipuè debet observari, si fœminæ solicitatæ sunt honestæ in foro externo.

86. Etiam adverto, quòd in aliquibus solicitationibus oportet explicare aliquomodò consensum, & cooperationem fœminæ solicitatæ, quia alio modo non potest constare gravitatem, & enormitatem criminis, vt contigit quando Confessarius habuit copulam in actu Sacramentalis Confessionis, vel sodomiticum congressum, & alia huiusmodi. Sed in his, & similibus casibus, ne retrahantur fęminæ solicitatæ ab obligatione denunciandi, & tam enormia crimina maneant impunita, salvo stylo Sanctæ Inquisitionis, intelligo multum iubare ad huiusmodi delationes deferendas, si de his non fieret mentio coram Sacerdotibus vocatis ad audiendam sententiam, nec coram communitate regulari, si Confessarius solicitans regularis fuerit. Hæc dixi, vt cõsulentes nullum fundamentum habeant, vt liberent pœnitentes ab obligatione, & onere denunciandi in Sancto Officio, & si hæc via placuerit DD. Inquisitoribus ad procedendum in his, & similibus casibus, quia ego in omnibus sequor toto corde stylum, & praxim Tribunalis, vtpotè meliorem, & securiorem.



§. II.

§. II.
QVÆSTIONI RESPONDETVR.

87 IN hac gravissima quæstione duplex est sententia: prima defensat, talem Confessarium consentientē solicitationi factæ à fœmina, nec ex vi Bullarum antiquarum, neque Bullæ Gregorij XV. fore denunciandum. Ita Thomas Hurtado *tract. 4. cap. 8. resol. 32. num. 323. & seqq.* citat pro hac sententia Santarellum *tract. de hæresi, cap. 46. num. 2.* Ioann. Sanchez *in select. 11. num. 25 & 26.* Homobonum *de exam. Eccles. tom. 2. tract. 11. cap. 12. quæst. 26.* Bonacinam *tom. 1. disp. 6. de onere denunciandi, punct. 3. num. 17.* Lezanam *in summ. cap. 19. num. 34.* Bosium *in addit. dub. 3. à num. 8.* Acuñam *tract. de Confess. solicit. quæst. 11.* Portel *in addit. ad dub. regular. num. 10.* Hieronymum Rodriguez *resol. 131. num. 7.* & Bonacina loco citato addit Graffium *cons. 7. num. 8. de pœnitentia, & remiss.* Eandem sententiam defensat noster Peirinis *tom. 2. privileg. constit. 4. Gregorij XV. num. 9. §. 3.* etiam ad illam inclinatur Diana *1. par. tract. 4. resol. 9.* siquidem *vers. Non reticebo*, dicit: *Hæc oppinio probabilis, & tuta mihi videtur.*

88 Secunda sententia procedit cum distinctione, & dicit esse distinguendum, nam vel loquitur quæstio tenore Bullarum Pauli V. Pij IV. Clementis VIII. vel tenore Bullæ Gregorij XV. si sit sermo tenore aliarum Bullarum, Confessarius consentiens solicitationi non est denunciandus, & in hoc sensu loquuntur plures Auctores antiqui citati pro prima sententia, & aliqui moderni. Si autem sit sermo in terminis Bullæ Gregorij XV. Confessarius consentiens solicitationi denunciandus est. Ita Pater Hieronymus Trimarchius *disput. 9. num. 5. & 6.* P. Salelles *tom. 1. de mater. Inquis. lib. 1. cap. 16. regul. 130. num. 63. & seqq.* & statuit pro regula Tribunalis, quòd si Confessarius consentiat semper est denunciandus, secundum Bullas Pij IV. Pauli V. & Clementis VIII. & multò certiùs secundum Constitutionem

Gregorij XV. Eandem sententiam defensat Diana 4.*p.tract.* 5.*resol*.4.idemque docet *resol*.15.& Paramus *de origine Inquisit. quæst*.10. Catena 2.*p.tit*.6.*de Confessar solicit*. §.5.*num*.35. dicit hunc casum non esse decidendum in consulto supremo Senatu.

89 Sit prima conclusio: Confessarius consentiens solicitationi factæ à fœmina tenore Bullæ Gregorij XV. est denunciandus DD.Inquisitoribus. Ita observatur in praxi in Hispaniarum Inquisitionibus. Probatur primo ex verbis Bullæ, nam in illa non solùm comprehenduntur Confessarij, qui in actu Sacramentalis Confessionis provocant, tentant,& alliciunt, sed etiam qui habent inhonestos sermones, & tractatus; sed Confessarius consentiens solicitationi factæ à fœmina, habet sermones inhonestos, seu tractatus: ergo tenore Bullæ Gregorij XV. talis Confessarius denunciandus est. Maior constat, siquidem in ipsa Bulla loquendo de obligatione Confessariorum ad monendos pœnitentes solicitatos ab alijs Confessarijs,vt eos denuncient, hæc sunt verba: *Moneant de obligatione denunciandi solicitantes seu vt præfertur tractantes*: ergo non solùm est obligatio denunciandi Confessarios solicitantes, & provocantes, sed etiam tractantes de rebus inhonestis, sive per verba, sive per facta. Probatur minor: talis Confessarius, vel consentit solicitationi per verba, aut per signa,aut per facta; si per verba, vel signa, habet sermones inhonestos, quia signa supponunt pro verbis; si per facta, habet inhonestos tractatus: ergo Confessarius consentiens solicitationi habet cum fœmina pœnitente inhonestos sermones, vel tractatus; ac per consequens tenore Bullæ Gregorij XV. est denunciandus.

90 Probatur secundo: tenore Bullæ Gregorij XV. ideò Confessarius solicitans est denunciandus, quia abutitur Sacramento Pœnitentiæ; sed Confessarius consentiens solicitationi æquè abutitur Sacramento Pœnitentiæ,ac si ille solicitaret: ergo tenore Bullæ Gregorij XV.est denunciandus. Probatur minor: ex eo Confessarius solicitans abutitur Sacramento Pœnitentiæ, quia solicitando ad venerea lædit puritatem Sacramé-

tij

tis sed puritas Sacramenti æquè læditur consentiendo solicitationi, quia cooperatur cum fœmina solicitante ad libidinem: ergo Confessarius consentiens solicitationi, æquè abutitur Sacramento Pœnitentiæ, ac Confessarius solicitans, ac per consequens est denunciandus. Confirmatur hac instantia: nullus effugit pœnas pro delicto aliquo taxatas, ex eo quod solicitatus v.g. ad sodomiam, aut ad sacrilegium, huiusmodi peccata committat: ergo neque effugiet hæresis suspitionem & pœnas Bullæ Gregorianæ, ex eo quod solicitatus à fœmina peccaverit in Confessione in rebus venereis.

91 Sit 2. conclusio: Confessarius consentiens solicitationi factæ à fœmina pœnitenti, non solùm denunciandus est DD. Inquisitoribus tenore Bullæ Gregorij XV. sed etiam vi Bullarum Pij IV. Pauli V. & Clementis VIII. ita Salelles loco citato, *num.* 70. *& seqq.* contra Castrum Palaum 1. *part. disp.* 9. *punct.* 5. *num.* 4. Probatur ex doctrina tradita à Ioan. Sanchez *in sel. sect. disp.* 11. *num.* 28. quia vt rectè asserit iste Auctor, quando Confessarius ex parte consentit solicitationi est denunciandus tenore Bullarum: ergo multo melius quando totalitèr consentit. Probatur antecedens: ex eo est denunciandus Confessarius vigore prædictarum Bullarum, quia abutitur Sacramento Pœnitentiæ, sed qui consentit solicitationi abutitur Sacramento Pœnitentiæ, quia vt dixi, per cooperationem ad venerea puritas Sacramenti læditur: ergo Confessarius consentiens solicitationi est denunciandus, non solùm tenore Bullæ Gregorij XV. sed etiam vi Bullarum Pij IV. Pauli V. & Clementis VIII.

92 Confirmatur: finis denunciandi Confessarium solicitantem ad venerea est abusus Sacramenti Pœnitentiæ; talitèr, quòd ideò est denunciandus Confessarius solicitans, & provocans ad venerea, quia abutitur Sacramento Pœnitentiæ, & hoc est vigore omnium Bullarum contra solicitantes; sed qui consentit solicitationi factæ à fœmina pœnitente abutitur Sacramento Pœnitentiæ, siquidem lædit illius puritatem. ergo huiusmodi Confessarius est denunciandus tenore omnium Bullarum

contra solicitantes. Minor constat: ex eo qui solicitat, provocat, vel tentat ad libidinem in Confessione abutitur Sacramento Pœnitentiæ, quia illo malè vtitur ad explendam libidinem; sed qui consentit solicitationi factæ à fœmina pœnitente vtitur Sacramento ad explendam libidinem: ergo huiusmodi Confessarius est denunciandus, quia abutitur Sacramento Pœnitentiæ.

93 Sit 3. conclusio: non solùm est denunciandus Confessarius consentiens solicitationi, quando Confessarius in ipsa Confessione actum turpem exequitur, vt tactus impudicos in partibus verendis, mollitiem, &c. sed etiam quandò solùm assentitur simpliciter solicitationi, vt postea hæc inhonesta extra Confessionem exerceantur. Hæc conclusio est doctrina Patris Salelles *loco citato, num.* 68. illamque defensat in terminis Diana *loco citato, versic. Verum contrariam sententiam*, citatque pro illa aliquos Auctores, estque contra D. Ioann. Escobar loco citato, *nu.* 45. & contra nostrum Peirinum, etiam *loco citato, num.* 10. Ex dictis facile probatur hæc conclusio: Non solùm Cõfessarius abutitur Sacramento Pœnitentiæ quando consentit solicitationi, & ibi exercet actus inhonestos, sed etiam quando consentit simpliciter, vt postea talia inhonesta exequantur; sed in primo casu est denunciandus: ergo etiam in secundo. Præterea, quia qui consentit vt postea turpia exequatur, habet in Sacramento Pœnitentiæ tractatus, & sermones inhonestos, quod prohibetur in Bulla Gregorij XV.

§. III.
ARGVMENTIS CONTRARIIS SATISFIT.

94 PRIMVM argumentum militat contra 1. conclusionem, & potest ad hanc formam reduci: Bulla Gregori XV. solùm comprehendit Confessarios suspectos in fide; sed qui consentit solicitationi factæ à fœmina, non est adhùc levitèr suspectus in fide: ergo non est comprehensus in Bulla Gregorij XV. Minor probatur: vt aliquis sit levitèr suspectus in fide, opor-

tet

tet vt aliquomodò prudentèr præsumatur, illum malè sentire de fide; sed de illo qui consentit solicitationi, non præsumitur malè sentire de fide, quia solùm præsumitur consensisse ex humana fragilitate: ergo qui consentit solicitationi, nec levitèr est suspectus in fide; ac per consequens nec est denunciandus Inquisitoribus tenore Bullæ Gregorianæ.

95 Respondetur negando minorem: ad illius probationem etiam est neganda minor, nam factum scilicèt consensus est delictum generans suspitionem in fide, quia potest procedere, vel ex fragilitate, vel ex mala credulitate; ideòque prudentèr præsumitur talia exercentem malè sentire de Sacramento Pœnitentiæ, licèt frequentiùs huiusmodi delicta procedant ex affectu ad libidinem; ideòque in nostra Hispanica Inquisitione Confessarius abutens Sacramento Pœnitentiæ ad suam libidinem explendam, tantùm est suspectus de levi in fide.

96 Secundum argumentum sic procedit à paritate: quando ab Episcopis reservatur delictum sodomiæ, solùm in reservatione comprehenduntur agentes, non autem patientes, quia reservatio est respectu exercentium sodomiam, & patientes, nō dicuntur exercere actum sodomiticum, sed pati. Ita Graff. cum alijs *de casibus reservat. lib. 1. cap. 11. de sodomia, num. 5.* sed Bulla Gregorij XV. est contra Confessarios solicitantes, & Confessarius consentiens solicitationi non est solicitans, quia se habet per modum patientis: ergo tale delictum non est comprehensum in Bulla Gregoriana. Præterea, quia in isto Confessario non est consideranda tanta malitia, quanta est in Confessario solicitante.

97 Duplicitèr potest responderi huic argumento. Primò, assignando disparitatem inter casus reservatos, & crimen solicitationis; nam reservatio est odiosa, ideòque restringenda; at verò Bulla Gregorij XV. est favorabilis, quia vt dixi, præcipuus finis Bullæ est favor Sacramenti, & animarum, ideòque amplianda ad casus similes. Secundò respondetur concedendò maiorem, & distinguendo minorem; Bulla Gregorij est contra

Con-

Confessarios solicitantes tantùm, nego minorem; contra Confessarios solicitantes,& habentes cum pœnitentibus inhonestos sermones, vel tractus, concedo minorem; ideòque etiam si admittatur, quòd huiusmodi Bulla est odiosa, cum iste casus sit comprehensus expreßè in Bulla, quia Confessarius cum fœmina pœnitente habet inhonestos sermones, vel tractatus, vt dixi in prima probatione primæ conclusionis §. antecedenti, denunciandus est.

98 Ad illud quod dicitur de malitia peccati huius Confessarij respondetur, esse eiusdem speciei cum solicitatione, & tentatione in alijs Confessarijs, solùmque differunt huiusmodi delicta gradualitèr, vel penes magis, & minùs, quia in duplici casu datur abusus Sacramenti Pœnitentiæ, & oppositio eidem virtuti; cum autem secundum Constitutionem Gregorij XV. non solùm in Confessario solicitante, sed etiam in consentiente solicitationi factæ à fœmina, generatur suspitio in fide iuris, & à iure; hinc deducitur, Confessarium solicitantem, & consentientem solicitationi subijci iurisdictioni DD Inquisitorum.

99 Tertium argumentum est Thomæ Hurtado loco citato, quod sic procedit: Gregorius XV. solùm prohibet,& subijcit Inquisitoribus illam solicitationem, quæ est scandalosa pœnitenti; sed Confessarius consentiens solicitationi non scandalizat pœnitentem, nec provocat, sed ille provocatur,& scandalizatur: ergo tenore Bullæ Gregorianæ huiusmodi Confessarius non est denunciandus Minor constat. quando Confessarius solicitat fœminam pœnitentem,& illa consentit, quamvis postea habeat cum illo Confessario sermones inhonestos, & tractatus, non dicitur quòd solicitat, vel scandalizat Confessarium: ergo idem est discurrendum de Confessario consentiente, etiam si postea habeat cum fœmina sermones, vel tractatus inhonestos. Maior in qua consistit difficultas probatur: ratio motiva quare disponit Gregorius XV. quòd Confessarij solicitantes tam severè puniantur in Tribunali Inquisitionis est, vt loquitur in Bulla *quia mulieres pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum*

audiunt

audiunt Confessiones alliciendo & provocando, seu allicere, & provocare tentando, ac procurando, loco earum per Sacramẽtum huiusmodi Creatori nostro, recõciliationis graviorum peccatorum molle eas onerando, & in manus Diaboli tradendo, in Divinæ Maiestatis offensam, & animarum perniciem, & Christi fidelium scandalum non modicum: Verba autem *allicere, provocare, tentare, & scandalum non modicum*, apertè denotant, quòd non est casus comprehensus in Bulla si Confessarius inhonesta non incipit: ergo Summus Pontifex solùm subijcit DD. Inquisitoribus solicitationem scandalosam pœnitenti.

100 Confirmat argumentum in hac forma: non enim dicitur aliquis alium provocare, & tentare, si iam provocatus, & tentatus invenitur; sed quando Confessarius consentit solicitationi factæ à fœmina pœnitente, ista iam est provocata, & tentata: ergo etiam si Confessarius postea exerceat actus inhonestos, vel dicat aliqua obscœna; cum ista non sint provocativa, non comprehenduntur in Bulla: quare illa verba: *Aut cum eis illicitos sermones, vel tractatus habuerint*, debent referri ad antecedentia, & intelligi de sermonibus, & operationibus inhonestis, quæ ex parte Confessarij sint provocativæ, & præbeant pœnitenti occasionem ruinæ, vt constat ex illis verbis: *Scandalum non modicum.*

101 Ad dicta reducuntur omnia quæ affert pro sua sententia doctissimus P. Thomas Hurtado, & licèt secundum verba relata Bullæ sint efficacissima, obstant alia quæ in eadem Bulla Summus Pastor ponit. Quare respondeo ad argumentum negando maiorem; ad illius probationem distinguenda est maior: ratio motiva Summi Pontificis est, quia Confessarij solicitantes provocant, tentant, & scandalizant pœnitentes; ratio motiva adæquata, nego maiorem; inadæquata, quamvis sufficiens, concedo maiorem. Ex eo enim Summus Pastor in motivo Bullæ principaliùs fecit mentionem de solicitatione provocativa, & scandalosa, quia hæc frequentiùs contingit; sed non solùm prohibet hoc delictum, sed quodlibet inhonestum patratum in

Sacra-

Sacramento Pœnitentiæ, quia motivum adæquatum subijciendi hoc delictum Inquisitoribus est abusus Sacramenti Pœnitentiæ, & vt expreßè hoc declaret, dicit esse denunciandos non solùm Confessarios qui abutuntur hoc Sacramento, alliciendo, tentando, scandalizando, & provocando, sed etiam eos qui habent cum pœnitentibus sermones, vel tractatus inhonestos, quia etiam in hoc casu reperitur abusus Sacramenti. Per quod patet ad confirmationem, quia si intentum Summi Pontificis solùm esset vt denunciarentur illi Confessarij qui abutuntur Sacramento Pœnitentiæ, provocando, vel scandalizando pœnitentes; ad quid essent illa verba: *Aut cum eis illicitos sermones, vel tractatus habuerint.*

102 Argues quartò cum D. Ioanne Escobar à Corro, loco citato, contra 2. conclusionem: in Diplomatibus Pontificijs antiquis solùm subijcitur iurisdictioni Inquisitorum Confessarius provocans, & solicitans; nam solùm in Bulla Gregoriana inveniuntur illa verba: *Aut cum eis illicitos sermones, vel tractatus habuerint*; sed Confessarius consentiens solicitationi, nec solicitat, nec provocat: ergo vigore aliorum Diplomatum non venit denunciandus: ergo solùm est denunciandus attenta nova Constitutione Gregorij XV.

103 Antequam respondeam ad argumentum non possum omittere distinctionem D. Ioan. Escobar à Corro, & sua ratione satisfaciam huic argumento; nam loco citato, *num.* 39. defensat, huiusmodi Confessarium vigore Bullarum antiquarum non fore denunciandum, etiam si non solùm assentiatur solicitationi, sed etiam si postea turpem actum extra Sacramentum cum fœmina solicitante adimpleat, quia verè non solicitat Confessarius; & postea *num.* 40. tenet, quòd si in ipsomet Sacramento, paulò ante, vel post habeat coitum cum ea, est denunciandus. Tum, quia solicitatio non solùm prohibetur per se, sed quatenus dirigitur ad obscœnos actus. Tum, quia prohibetur solicitatio, velut præparatoria ad copulam. Tum, quia adest abusus Sacramenti Pœnitentiæ. Videtur enim in his esse inconsequentiam

tiam doctrinæ; nam quando Confessarius consentit solicitationi, vt postea cum fœmina turpem actum adimpleat, ille consensus dirigitur in actu Sacramentalis Confessionis ad obscœnos actus, etiam est præparatorius ad copulam, & abusivus Sacramenti; sed quia quando adest coitus in Sacramentali Confessione, talis consensus dirigitur ad copulam, vel ad obscœnos actus, & quia datur abusus Sacramenti, etiam si Confessarius non solicitet, aut provocet, est denunciandus in sententia huius Auctoris: ergo similitèr quando consentit in Sacramentali Confessione, vt postea exerceat copulam, vel actus obscœnos, quia talis consensus dirigitur ad copulam, vel ad actus obscœnos, & est abusivus Sacramenti Pœnitentiæ, quamvis Confessarius non solicitet.

104 Ex his facilè respondetur ad argumentum, negando maiorem; nam in Diplomatibus antiquis non solùm fit mentio de solicitatione activa Confessarij, sed etiam de abusu Sacramenti Pœnitentiæ; imò potiùs provocatio, & solicitatio ad venerea, subijciuntur DD. Inquisitoribus propter abusum Sacramenti Pœnitentiæ, quamvis non provocet, nec solicitet ad venerea; & in dictis Bullis subijciantur DD. Inquisitoribus omnes Confessarij abutentes Sacramento Pœnitentiæ; hinc est, quòd vigore harum Bullarum talis Confessarius est denunciandus.

105 Quintum argumentum sic procedit contra eandem conclusionem ex doctrina Castri à Palao loco citato, & Thomę Hurtado, *num.* 329. Licitum est alteri consulere minus malum, vt maius vitetur: ergo licèt sit illicitum consentire solicitationi ad venerea, saltèm non erit denunciandus Confessarius, si mulier solicitat ad copulam, & ille solùm consentit ad oscula, & tactus. Probatur consequentia: huiusmodi Confessarius est solicitatus ad maius malum, & solùm consentit, & suadet, quod est minùs; sed qui consulit minus malum, vt vitet maius non peccat: ergo licèt huiusmodi Confessarius peccet gravitèr, quia est provocatus ad maius malum, & suadet minus, ad quod etiam est provocatus, non est denunciandus.

106 Ad hoc argumentum respondet Ioan. Sanchez *in select. disp.* 11 *num.* 28. *in fine*, tale Confessarium fore denunciandum, quia tenetur non solùm non consentire copulæ, ad quam solicitatur, sed non exercere alios actus venereos, etiam si sint minoris malitiæ; nam licèt sit licitum alteri consulere minus malum, vt maius vitetur, quando alia via vitari non potest; cum quilibet in se ipso vitare possit maius malum sine effectione minoris, nullo modo licèt minus efficere; cum autem huiusmodi Confessarius solicitatus ad copulam non solùm teneatur vitare copulam, sed etiam oscula & tactus; etiam si sint minora mala, dum illa amplectitur, est reus denunciationis vigore Diplomatum antiquiorum, quia lædit puritatem Sacramenti Pœnitentiæ intra eandem speciem, etiam si tam graviter non abutatur. Ex dictis facilè solves argumenta quæ possunt fieri contra tertiam conclusionem, ideòque illa omitto.

§. IV.

ALIQVA COROLARIA, ET DVBIOLA PROPONVNTVR.

107 EX dictis infero 1, maioris claritatis gratia, quòd si accedit ad Confessarium aliqua fœmina, vel animo verè confitendi sua peccata, vel simulando Confessionem, & solicitat Confessarium ad copulam, & ille ab illa disuadet, & est contentus solùm cum osculis, vel tactibus in mamillis, vel cum velicationibus brachij, &c. est denunciandus virtute saltèm Bullæ Gregorij XV. Quæ resolutio est contra Castrum à Palao, *num.* 4 citato; sed est conformis praxi Inquisitionis, & Bullæ Gregorianæ, & etiam si in actu veræ Confessionis, vel simulatæ nullam actionem veneream exerceat dummodò consentiat, & se ostendat paratus ad illas actiones exercendas extra Confessionem, quia iam verificantur verba Bullæ; nam explicare illum consensum, est habere cum fœmina pœnitente sermones inhonestos; ergo talis Confessarius denunciandus est. Tum, quia abutitur Sacramento Pœnitentiæ, non solùm vigore Bullæ Gre-

gorianæ

gorianæ, verumetiam aliarum antiquarum, huiuſmodi Confeſſarius eſt deferendus ad Tribunal Sanctæ Inquiſitionis.

108 Infero 2. caſum practicum: ſi fœmina videns Confeſſarium, cum quo habet res inhoneſtas in Confeſſionali, accedit ad illum, & genuflectit, non animo confitendi, ſed loquendi inhoneſtè, & ambo ſimùl ad invicem ſe ſolicitant, ſive Confeſſarius incipiat ſolicitationem, ſive fœmina, huiuſmodi Confeſſarius eſt denunciandus. Quæ reſolutio eſt contra noſtrum Peirinum loco citato, *num.* 10. ſed eſt iuxta ſtylum Tribunalis, fundatum in verbis citatis Bullæ: ergo hæc ſententia eſt ſequenda in praxi. Dixi ſive Confeſſarius incipiat, ſive fœmina; quia ex ſuppoſitione quòd fœmina ſit parata ad venerea, per accidens eſt, quòd fœmina incipiat, vel Confeſſarius.

109 Infero 3. cum Bonacina *tom.* 1 *diſp 6. de onere, & obligat. denuncian. num* 17. *verſ. Hoc tamen intelligitur*, quòd ſi accederet fœmina ad Confeſſarium animo confitendi, & ſe accuſaret de pravo affectu erga Confeſſarium, & de innumeris cogitationibus cum conſenſu voluntatis directis ferè ſemper à vehementi paſſione exequendi cum illo ſuam libidinem; ſed non animo provocandi, ſed confitendi, vel fugiendi talia mala, & Confeſſarius indè anſam aſſumeret ad ſolicitandum ad turpia, etiam ſi in caſibus antecedentibus non eſſet denunciandus, benè verò in præſenti; quia in hoc caſu pœnitens fœmina non ſolicitat, nec provocat Confeſſarium, ſed ille ſcandalizat, & tentat: ergo abſque dubio eſt denunciandus.

110 Infero 4. cum Eſcobar à Corro, loco citato, *num.* 49. quòd etiam in contraria ſententia, in qua Confeſſarius conſentiens ſolicitationi factæ à fœmina, non eſt denunciandus, ſi hæc ſolicitaret ad oſcula, Confeſſariuſque ad copulam, vel ad verenda contrectanda, aut ad alium diſtinctum actum non incluſum in ſolicitatione fœminæ, dicere non eſſe denunciandum huiuſmodi Confeſſarium, eſt improbabile, quia in nulla ſententia dicitur Confeſſarium ſolicitantem in Confeſſione non eſſe denunciandum; ſed in præſenti caſu verè ſolicitat ad actum

venereum, ad quem non est solicitatus: ergo etiam in sententia contraria est denunciandus.

111 Infero 5. alium casum practicum traditum à Diana loco citato, 4. *part*. Accedit fœmina non animo verè confitendi, sed solicitandi Confessarium, & de facto illum solicitat ad inhonesta; tunc respondet Confessarius, hic non loquamur de turpi hac materia, relinquamus adimpletionem nostri desiderij ad aliud tempus, & postea non præbet fœminæ absolutionem; in hoc enim casu etiam iste Confessarius est denunciandus. Probat hanc resolutionem Diana hac ratione: vt Confessarius dicatur verè solicitator, non est opus vt Sacramentalem absolutionem impendat, nec quòd de rebus venereis longiùs cum pœnitente loquatur; sed sufficit solicitationi fœminæ acquiescere, quia talis consensus ad solicitationem non efficitur mentalitèr, sed verbis; sed eo ipso quòd efficiatur verbis, vel signis, habet cum pœnitente inhonestos sermones, vel tractatus, quod expreßè prohibetur per Bullam Gregorij XV. & aliundè abutitur Sacramento Pœnitentiæ: ergo vt solicitator est denunciandus.

112 Sed P. Sousa *in aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 34. num.* 10. defensat talem Confessarium non esse denunciandum, ratio illius potest hoc modo proponi: vt Confessarius incidat in pœnas solicitationis, oportet quod inferat iniuriam Sacramento Pœnitentiæ; sed si non impendit absolutionem, nullam iniuriam infert: ergo verè non est solicitator. Probatur minor, quando pœnitenti indispòsito negatur absolutio, etiam si Confessarius non conetur avertere à peccato pœnitentem, non fit iniuria Sacramento Pœnitentiæ, etiam si tunc sit Minister infidelis Confessarius, quia ad illius munus attinet avertere pœnitentem à malo proposito; sed huiusmodi Confessarius negavit absolutionem pœnitenti indisposito: ergo quamvis sit infidelis Minister, non infert iniuriam Sacramento Pœnitentiæ.

113 Respondetur negando minorem: ad illius probationem distinguo maiorem; quando pœnitenti indisposito non impen-

pen-

penditur absolutio, nulla fit iniuria Sacramento, si cum illo consentiendo non cooperatur ad peccatum, concedo maiorem; si explicando verbis, aut signis consensum cooperatur, nego maiorem. Itaque in nostro casu Confessarius, & est infidelis Minister, quia non conatur avertere fœminam ab illo malo proposito, & est solicitator, quia præter hoc consentiendo solicitationi, cooperatur cum illa ad peccatum iniuriando Sacramentum Pœnitentiæ; in quo consistit abusus Sacramenti, & sic non solùm, vt vult Sousa, Confessarius dicitur malè vtens, sed positivè abutens Sacramento.

1147 Ex dictis occurrit primum dubiolum: si talis Confessarius, nec verbis, nec signis manifestaret consensum, & solùm non disuaderet fœminam à malo proposito, esset ne denunciandus? D. Ioan. Escobar à Corro respondet negativè loco citato, *num.44. in fine*; sed ego existimo loquendum esse cum distinctione: Si enim nec signis, nec verbis explicat consensum, nec postea illam fœminam quærit ad loquendum inhonestè, nullo modo est denunciandus, etiam si internè consentiat, quia actus interni non subiacent pœnis fori exterioris, vt communitèr tenent DD. vndè quamvis talis Confessarius sit Minister infidelis, quia non conatur avertere fœminam ab illo impudico proposito, nullo modo est positivè abutens, sed malè vtens Sacramento, ac per consequens non est denunciandus. Si autem non solùm internè consentiat, sed postea transacto intervallo temporis quærat fœminam, & explicet suum consensum, habet maiorem difficultatem, licèt D. Ioan. Escobar à Corro, vt videbimus in dubiolo, vel in casu sequenti; sentiat talem Confessarium non fore denunciandum; nam ex vna parte est efficax argumētum pro ista parte negativa, quia nec iste Confessarius allicit, provocat, vel tentat ad venerea, nec in actu Confessionis, nec immediatè ante, vel post, nec simulando, nec in Confessionali; nec occasione Confessionis, neque in his locis, & circunstantijs positis in Bulla Gregoriana habet sermones, aut tractatus inhonestos: ergo etiam si postea explicet suum consensum non est

denun-

denunciandus; quare sentio hanc resolutionem habere maximam probabilitatem, nescio an sit iuxta stylum Tribunalis.

115 Pro parte affirmativa est etiam fundamentum in Bulla, licèt non firmum; quia occasione Confessionis præteritæ, in qua fœmina explicuit suum animum, huiusmodi Confessarius illam quærit, & solicitat manifestando illum internum consensum habitum in Confessione; sed solicitare occasione Confessionis, est casus comprehensus in Bulla Gregoriana: ergo talis Confessarius est denunciandus: Sed quia communitèr explicant Auctores ly *occasione Confessionis*, de occasione proxima, non autem remota, videtur hanc resolutionem non habere tantam probabilitatem, sicut habet antecedens pro parte negativa. Sed caveant Confessarij fissi in hac probabilitate, ne ita procedant, quia Bulla Gregorij XV. est principalitèr expedita in favorem animarum.

116 Vt autem circa hanc materiam omnia habeas, in hoc loco se offert aliud dubiolum. Accedit fœmina ad Confessionem, & inter confitendum Confessarius habet secum pollutionem; postea extra occasionem Confessionis hoc aperit fœminæ, vt illam inclinet ad inhonesta cum illo perpetranda, estne talis Confessarius denunciandus? Martinus Bonacina loco citato respondet negativè, *num.3 in fine*, licèt Confessarius grave sacrilegium committat, & rationem assignat, quia Confessarius non tentat provocare fœminam ad inhonesta, licèt ipse turpitèr, & inhonestè agat. Idem sentit D. Ioan. Escobar à Corro loco citato, *num.57. & seqq.* & rationem assignat, quia verba, aut facta solicitationis debent ita intervenire, vt innotescant fœminæ in actu Confessionis, vel in Confessionali, &c. sed in hoc casu non ita contingit, nam innotescunt extra Confessionem, extra Confessionale, &c. ergo huiusmodi Confessarius non est denunciandus. Citat pro hac sententia Freitam, & Acuñam *quæst.11. num. 14.* Augustin. Barbossam *de offic. Parochi, cap.19. num.49.* Ioann. Ægidium Trullench *tom.1. in decalog. cap.3. dub.18. num.45.*

117 Fateor hanc sententiam esse probabilissimam, vtpotè

valla;

vallatam efficacibus fundamentis, & classicis Auctoribus versatis in materijs Sanctæ Inquisitionis; sed pace horum DD. sentio, huiusmodi Confessarium esse denunciandum, & sumo primo fundamentum ex traditis *num.* 59. ab Escobar à Corro; nam iste Auctor tenet, quòd si fœmina advertit, vel potest advertere ad inhonesta exercita à Confessario, est denunciandus, quia tunc aperta est solicitatio ex parte Confessarij; & subdit huiusmodi delictum iudicio Inquisitorum, quia potest ex tali pollutione atrahere fœminam ad peccatum; sed etiam potest advertere illam pollutionem semper, cum exterior sit, & per accidens est quod non advertat; ergo semper est denunciandus, etiam si veniat ad notitiam fœminæ extra Confessionem.

118 Secundum fundamentum sumitur à paritate: nam hæresis externa formalis, etiam si pronuntietur in loco, in quo nec audiatur ab aliquo, nec possit audiri, semper, & quando venit in notitiam alicuius est vt Hæreticus denũciandus: ergo etiam si nullus advertat inhonesta exercita in Confessione, semper, & quando habeatur notitia, talia exercens est denunciandus. Consequentia probatur: ex eo Hæreticus occultus est denunciandus quando manifestatur, quia ex eo quòd hæresis sit externa, semper est per accidens, quòd nullus audiat, sed eo quod solicitatio, vel inhonesta facta in Confessione non advertantur, non tollit quod talia inhonesta sint externa; ac per consequens quod sint per accidens occulta; ergo etiam si talia nullus advertat, illa exercens in Confessione est denunciandus.

119 Tertium fundamentum sic propono in eodem casu: Si fœmina pœnitens nec adverteret ad inhonesta exercita à Confessario, nec posset advertere, quia Confessionale est clausum, & ex alia parte aliquis videret, Confessarium huiusmodi peccatum exercere, proculdubiò esset sub onere illum denunciandi: ergo etiam fœmina pœnitens, si postea habet notitiam. Probatur consequentia, nam non stat quòd audiens, vel videns, tunc delictum teneatur denunciare, & quòd fœmina audiens postea non habeat eandem obligationem, quia si delictum est

denun-

denunciabile; cùm sit idem in vtroque casu; ambo tenentur denunciare; sed videns talia inhonesta exercita in Confessione, tenetur denunciare: ergo etiam fœmina postea audiens, talia inhonesta fuisse perpetrata in Confessione.

120 Quartum fundamentum sic procedit; si huiusmodi Confessarius non esset denunciandus esset, quia nec solicitat fœminam, nec allicit, nec tentat; sed in actu Confessionis verificatur, quòd tentat activè, quod sufficit, vt verificetur tentare, & allicere: ergo est denunciandus. Probatur minor; nam quando solicitat per verba, vel signa inhonesta, & advertit fœmina, etiam si ista non tentetur, vel provocetur, verificatur, quòd provocat, & tentat, quia ad casum comprehensum in Bulla sufficit provocatio, & tentatio activa; sed etiam si non advertat fœmina pœnitens non tollitur, quòd sit provocatio, & tentatio activa: ergo verificatur in hoc casu, quòd tentat, & provocat Confessarius activè, quod est sufficiens vt verificentur verba: *Tentare, & provocare*, posita in Bulla Gregorij XV. Præterea, quia abutitur talis Confessarius Sacramento Pœnitentiæ ad suam libidinem explendam; quod est casus comprehensus in Bulla: ergo verè est solicitator; ac per consequens denunciandus.

§. V.

ALIA DVBIOLA CONNEXA CVM ANTECEDENTIBVS resolvuntur.

121 PRIMVM dubiolum deducitur ex antecedentibus, nam dicit: Confessarium solicitatum consentientem solicitationi factæ à fœmina pœnitente denunciandum fore DD. Inquisitoribus; de quo oritur dubium, quid sit faciendum de fœmina solicitante Confessarium, sive iste consentiat, vel non? Certum enim est Inquisitores non posse procedere contra istam fœminam solicitantem attentis Bullis, & Decretis Pontificum; nam in eis solùm cautum fuit contra Confessarios solicitantes, quia eorum solicitatio frequentiùs contingit; & est

ani-

animarum saluti magis perniciosa. Pater Salelles loco citato, *num.* 75. defensat, & iudicat valdè probabile, esse talem fœminam solicitantem sub iurisdictione Inquisitorum ex vi generalis facultatis, quam ipsi habent ad procedendum contra quemcumque de hæresi suspectum; quia non potest dubitari, quòd talis fœmina solicitans sit suspecta de hæresi, cum abutatur Sacramento Pœnitentiæ ad suam libidinem explendam. ergo licèt non sit denuncianda vigore Bullarum nihilominus ex generali ratione, quia est suspecta in fide est deferenda ad Tribunal.

122 Hoc potest parificari ex alio casu practico: quidam homo plebeius abutebatur Sacramento Pœnitentiæ ad acquirendas pecunias, narrando multa mendacia Confessarijs, & fuit incarceratus in Sancto Tribunali; postea publicè abiuravit de levi, & damnatus fuit ad verberationem per loca publica huius Civitatis, nulla alia ratione, nisi quia abutebatur Sacramento Pœnitentiæ ad acquirendas pecunias; sed talis fœmina solicitans abutitur Sacramento Pœnitentiæ ad suam libidinem explendam: ergo vt suspecta in fide est denuncianda.

123 Sed ego distinctione vtor in hoc casu; nam certum est apud omnes Auctores versatos in materia Tribunalis Sanctæ Inquisitionis, quòd vt cognoscant de aliquo crimine DD. Inquisitores, non sufficit quæcumque suspicio in fide, sed debet esse suspicio iuris, & à iure; id est, vel quia vt cognoscant de tali delicto habent Bullam Pontificiam, vel quia hoc habent ex consuetudine; sed vt cognoscant de fœmina solicitante Confessarium non est Bulla Pontificia: ergo vbi non est consuetudo denunciandi, talis fœmina non est denuncianda.

124 Hoc idem est talitèr in praxi in Sancto Officio, & tam indefectibilitèr observatur, quòd multoties accedunt ad denunciandos Confessarios revelantes sigillum sacrum Confessionis, & quamvis talis Confessarius sit suspectus in fide, quia non est hæc suspicio iuris, & à iure, cum nec sit Bulla Pontificia, nec consuetudo cognoscendi de hoc delicto, remittunt denuncian-

tem ad Ordinarios, non obstante illa generali facultate cognoscendi de delictis generantibus suspicionem in fide; ergo vbi non est consuetudo cognoscendi de delicto perpetrato à fœmina solicitante, huiusmodi fœmina non est denuncianda ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis, etiam si sit suspecta in fide.

125 Sed ex suppositione, quòd in Tribunali detur talis consuetudo iudicandi de delicto perpetrato à fœmina solicitante, est difficultas, à quo debet fieri hæc denunciatio, quod est secundum dubiolum. In primis videtur, quòd hæc denunciatio non est exequenda ab ipso Confessario solicitato, quia hoc delictum est cognitum in Confessione; sed non est licitum propalare delicta, quæ manifestantur in Confessione, etiam si pœnitens accedat indispositus. ergo videtur, quòd Confessarius non potest denunciare hoc delictum. Ex alia parte cum frequenter sit occultum, & alteri non innotescat, videtur quòd si Confessarius illud non denunciat, est inconveniens, quòd maneat tale delictum impunitum, & maiori ratione, si ista fœmina frequentat talem solicitationem in perniciem Confessorum, & irreverentiam debitam Sacramento Pœnitentiæ.

126 Pater Salelles *num.* 76. respondet ad hoc dubiolum; talem denunciationem esse faciendam à quocumque, qui extra occasionem Confessionis, vel extra Confessionem audivit aliquid de dicta solicitatione, sive sit Confessarius solicitatus, sive alius; cum omnes æquè sub Edicto Inquisitionis obligatione denunciandi abstringantur. Ex quo deducitur, quòd solùm potest fieri hæc denunciatio, vel à Confessario solicitato, vel ab alio, quando habet notitiam talis solicitationis extra Confessionem; non autem si solùm habet notitiam intra Confessionem.

127 Sed pace tanti Auctoris resolvo, Confessarium solicitatum debere denunciare talem fœminam solicitantem, etiam si solùm habeat notitiam de illa solicitatione per illam Confessionem, in qua illum solicitavit, si in Tribunali est consuetudo cognoscendi de illa solicitatione facta à fœmina. Hæc decisio colligitur ex dictis *num.* 122. nam in tali casu primi Theologi huius

huius Regni Aragoniæ cum quibus consultus fui minimus inter illos, dixerunt tales Confessarios habere obligationem denunciandi illum plebeium abutentem Sacramento Pœnitentiæ ad acquirendas pecunias, dummodò nihil dicerent de alijs quę poterant esse materia Sacramenti Pœnitentiæ, quamvis talis plebeius non accederet animo eliciendi veram Confessionem; & nulla alia ratione, nisi quia ad habendas pecunias abutebatur Sacramento Pœnitentiæ, & abusus Sacramenti Pœnitentiæ non est materia sigilli, vt tenet communis sententia DD. sed huiusmodi fœmina solicitans Confessarium ad venerea abutitur Sacramento Pœnitentiæ: ergo absque fractione sigilli potest Confessarius illam denunciare, & tenetur si in Tribunali est consuetudo cognoscendi de tali solicitatione, & principalitèr si illa fœmina est assueta talia delicta perpetrare.

128 Ex quo deciditur casus practicus: Quædam fœmina bonæ famæ ex vehementi passione solicitavit Confessarium, ille vt bonus Minister varijs rationibus pijs conabatur avertere illam à tali crimine; hæc fœmina instabat, & dixit, si non consentis vociferabo, & postea dicam Tribunali, te me solicitavisse ad venerea; talis Confessarius non consentit, sed postea timet delationem. Quid faciet iste Confessarius in his angustijs? Consulo non solùm vbi est consuetudo denunciandi huiusmodi delicta, sed etiam vbi non viget talis consuetudo; quòd Confessarius accedat ad Tribunal, & deferat illam solicitationem cum omnibus circunstantijs pertinentibus ad illam, & non timeat, si ita processit; nam etiam si postea accedat fœmina solicitans, dictum Confessarij prævalet, & aliundè manet indemne sigillum Confessionis, quia denunciat solùm abusum Sacramenti, qui non est materia sigilli.

129 Sed restat resolvere 3. dubiolum, quod immediatè se offert. Supposita probabilitate sententiæ defensantis, non esse denunciandum Confessarium consentientem solicitationi factæ à fœmina; si in ipsa Confessione fœmina desistit à solicitatione, & postea Confessarius illam solicitat, est ne denunciandus talis

Confessarius? Dixi supposita probabilitate contrariæ sententiæ; nam in praxi Tribunalis non est difficultas, quia ad obligationem denunciandi subeundam satis est, quòd Confessarius consentiat. Nunc respondeo, quòd etiam supposita contraria sententia, & sequendo illam huiusmodi fœmina, tenetur denũciare Confessarium. Probatur: tota ratio contrariæ sententiæ ad liberandum Confessarium consentientem solicitationi à delatione est, quia in tali casu non est solicitator, nec provocat, nec tentat, &c. sed quando fœmina quæ priùs solicitavit, desistit à solicitatione, & postea in ipsa Confessione Confessarius solicitat, iam est solicitator, tentat, & provocat: ergo etiam secundum principia contrariæ sententiæ, huiusmodi Confessarius est denunciandus vt reus Bullarum Pontificum.

130 Ex modo quo discurrunt defensantes, Confessarium consentientem solicitationi non esse denunciandum, resultat 4. dubiolum. Quædam fœmina inter confitendum fuit consopita gravi somno, aut aliquo paraxysmo, vel gravi morbo, talitèr quòd nihil sentiebat; vndè Confessarius arripuit occasionem, & inhonesta exercuit, talitèr quod atrectavit mamillas, & partes verendas, vel alia huiusmodi: illa nihil sensit, sed postea omnia facta narravit Confessarius tali fœminæ; estne denunciandus secundum principia contrariæ sententiæ? Videtur, quòd non, quia ex eo non est denunciandus in hac sententia Confessarius consentiens solicitationi, quia non provocat, nec tentat fœminam pœnitentem; sed in isto casu Confessarius non provocat, nec tentat fœminam, quia supponitur insensibilis; ergo secundum principia contrariæ sententiæ, talis Confessarius non est denunciandus.

131 His non obstantibus dico, quòd non solùm stando in principijs nostræ sententiæ, & in praxi Tribunalis, sed etiam in fundamentis contrariæ sententiæ, talis Confessarius est denunciandus. Ita Bonacina loco citato, *num*. 3. & Graff. *conf*. 7. *de pœnitent. & remiss*. Et ratio est, quia secundum contrariam sententiam, & Bullam Gregorij XV. non solùm est denunciandus Con-

Confessarius, qui in Confessione solicitat, & provocat, sed etiam qui tentat provocare fœminam; sed etiam si huiusmodi Confessarius non provocet, nec solicitet, quia fœmina est insensibilis, tentat provocare: ergo non solùm discurrendo cum stylo Inquisitionis, fundato in nostra sententia, sed etiam secundum principia contrariæ sententiæ, huiusmodi Confessarius est denunciandus tanquam solicitator.

132 Quod enim non solùm in hoc casu sit denunciandus Confessarius, sed etiam quando in hoc eventu habet copulam cum fœmina, probatur ratione fundamentali: solicitatio ad inhonesta principalitèr prohibetur in Bulla propter turpitudinem, ad quam dirigitur, scilicèt, quia habet pro fine commixtionem carnalem, ad quam ordinatur; sed in hoc casu in ipsa Confessione est commixtio carnis, aut copula: ergo si solicitatio ad inhonesta est denuncianda, multò meliùs ipsa copula, & commixtio. Confirmatur; nam est axioma commune Philosophorum: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; sed solicitatio est prohibita, & denuncianda, quia ordinatur ad copulam: ergo multò meliùs ipsa copula habita in Confessione; cum sit finis, ex quo actus fiunt turpes. Ita Angelicus Doctor 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 4.

133 Nec valet si dicas, quòd Bulla Gregorij XV. non est contra Confessarios fornicarios, sed contra solicitantes ad turpia; sed huiusmodi Confessarius non fuit solicitans, quia non fuit vsus Cōfessione ad illam turpitudinem, sed nacta illa occasione suum libidinosum consummavit affectū: ergo non est denunciandus vt solicitans. Respondetur negando minorem, quia licèt illa occasio fuerit nacta ex ipsa Confessione, non ideò, vt dixi, excusatur, cum exerceat turpia in ipsa Cōfessione, & aliundè tentat provocare, & habet tractatus inhonestos, quod prohibetur in Bulla Gregoriana.

134 Dubiolum 5. quòd occurrit ex casu resoluto est: an si per minas fœminę solicitantis, quia dicit se exclamaturam, vim sibi inferri, si non consentit, vel illum denunciare in Sancto Officio,

ficio, si Confessarius ex hoc metu consentiret esset denunciandus à tali fœmina? Pro parte affirmativa, & negativa refert graves Auctores Diana 4.*par.resol.*15.*tract.*5. Pro sententia defensante fore denunciandum stant principalitèr, Carena *de Offic. Sanctæ Inquisit. par.*2.*tit.*6.§.19.*nu* 94.*& seqq*. Ioann. Sanchez *disp.*11.*num.*30.*versic. Addam, ea constit. Gregorij* contra nostrum Peirinum, *tom.*2.*de privileg. Minim. constit.*4.*Gregorij XV. num.* 9. & conformitèr ad nostra principia, & stylum Tribunalis Hispaniarum sentio, talem Confessarium fore denunciandum, & præcipuè attenta constitutione Gregorij XV.

135 Probo primò hanc resolutionem contra Peirinum loco citato; nam si talis Confessarius non esset denunciandus, esset quia huiusmodi metus esset gravis cadens in virum cōstantem; sed vt dicit ipse Peirinus loco citato, iste metus est levis; verba illius sunt: *Et iste levi isto timore correptus*: ergo est denunciandus. Probatur minor; quia vt metus cadat in constantem virum, debet probabilitèr timeri, vt notant DD. *in l.metum, l.* 2.*ff.quod metus causa*; sed in casu nostro Confessarius non debet damnū aliquod probabile timere ex exclamatione fœminæ, vel minis Tribunalis: ergo non est metus cadens in virum constantem. Vt autem non timeant Confessarij ex talibus minis habeant præ oculis aurea verba D. Ambrosij *in lib. de Ioseph. cap.* 5. vbi ita loquitur: *Non turbentur innocentes, cum falsis criminibus appetuntur & oppressa iustitia detruduntur in carcerem, visitat Deus, & in carcere suos, & ideò ibi est plus auxilij, vbi plus periculi.*

136 Probatur secundò nostra resolutio; quia metus non excludit culpam, licèt eam attenuet, constat ex textu *in cap. Sacris de his, quæ vi*, & communitèr ita tenent Canonistæ: ergo licèt iste Confessarius consentiat ex metu non excluditur à crimine perpetrato solicitationis. Probatur cōsequentia, quia quod Gregorius XV. statuit est pœnæ contra Confessarios solicitantes, sed huiusmodi Confessarius commisit crimen solicitationis, quia per metum non excluditur culpa: ergo licèt consentiat ex

metu

metu semper verificatur, quod commissit crimen solicitationis. Præterea, quia de tali Confessario verificantur verba relata Bullæ, *aut cum eis illicitos sermones, vel tractatus habuerint.* Ideòque Sanchez loco citato, *num* 30. magna ratione non miratur de Acuña, & Graffio, quia scripserant ante Bullam Gregorianam; benè verò de Bonacina, & de Sousa, qui post dictam Bullam scripserunt; idemque dici potest de Peirino, quia habebat præ oculis Bullam Gregorianam.

137 Ideoque Sousa *in Aphor Inquisit. lib. 1. cap. 34. num. 28. & in opuscul. de Confess solicit tract. 1. cap. 17. num. 8. & seqq.* vult talem Confessarium eximere ab omni abiuratione. Sed licèt sit verum ex stylo Inquisitionis, talem Confessarium puniri mitiùs; quia licèt non extinguatur culpa per metum, tamen attenuatur; hoc non obstanti debet abiurare de levi, quia levitèr est semper suspectus in fide, cum abutatur Sacramento Pœnitentiæ. Itaque existimo in hoc casu talem Confessarium solùm esse puniendum secretò cum abiuratione de levi, & alijs salutaribus pœnitentijs. Nam etiam si Apostata à fide secundum stylum Tribunalis abiuret de formali, si probat fuisse Apostatam coactione, solùm abiurat de vehementi, & talis potest esse coactio, quòd non abiuret nisi de levi, & secretò expediatur salutaribus pœnitentijs: ergo eodem modo est procedendum proportionalitèr cum Confessario consentienti solicitationi ex metu.

QVÆSTIO III.

AN CONFESSARIVS, QVI SOLICITAVIT adolescentem in Confessione sit denunciandus.

§. I.
DECIDITVR QVÆSTIO.

138 OLIM ante Bullam Gregorij XV. communior sententia erat pro parte negativa, sed hodie post Bullam

lam Gregorij XV. nullum dubium potest esse in hac materia, quia in illa generalitèr loquitur Summus Pontifex per hæc verba: *Qui personas, quæcumque illæ sint ad inhonesta, &c.* Ex quibus infert Bonacina *tom.1.disp.6.de obligat.denunt.punct.3.proposit.3.num.16.* non solùm fœminam, quæ ad oscula, aut impudicos actus solicitata fuit, vel in Confessione, vel prætextu, & occasione Confessionis, vel simulando Confessionem, teneri Cōfessarium denunciare, verumetiam ad idem masculum teneri, si provocatus fuerit ad nefandum peccatum, ad mollitiem, sive ad alios actus libidinosos. Quare post Bullam Gregorianam ita tenent omnes Auctores, cum in illis verbis: *Quæcumque illæ sint* comprehendantur mares, *Laut Divus 16.* vbi hæc habentur verba: *Quicumque accipere debemus, tam masculum, quam fœminam, de iure Fisci.* Solùm enim potest verti in dubium: vtrùm huiusmodi Confessarius non solùm sit denunciandus virtute Bullæ prædictæ, sed etiam tenore antiquarum?

139. Circa præsens dubium duplex est sententia. Prima resolvit non solùm virtute Bullæ Gregorij XV. esse denunciandos huiusmodi Confessarios solicitantes masculos ad inhonesta, sed etiam tenore Bullæ Pij IV. & Clementis VIII. Ita Quaranta *verb.Ordo, & verb. Confessor in fine*; Ludovicus Lopez 1.*part. instruct.cap.35.versic.Ad hic iam in fine*, Ioan. Sanchez *in select. disp.11.num.12.& 13.* Castrus à Palao *tom.1.tract.4.de modo procedend.in caus.fidei, disp.9. punct.2.num.13.* Graff. *tom.1.consilior. cons.1.de cognat.spirit.in fine, à nu.45.* Manuel Rodriguez *tom.1. regul.quæst.50.art.4.in fine, & tom.2.quæst.27.art.3.* Corilianus *de casib.reservat.part.1.sect.4.num.22.fol.136.* Acuña *de Confess. solicit.quæst.6.à num.6.* Carena *tit.6.de Confess.solicit.p.2.num. 15.§.3.* dicit hanc sententiam esse magis receptam in practica Sancti Officij. P. Diana *tom.1.tract.4.de denunciat.resol.12.* iudicat hanc sententiam probabilem, & fatetur quòd olim illam sustinebat cum aliquibus Auctoribus citatis, & alijs quos citat.

140 Secunda sententia tenet, quòd huiusmodi Confessarius solicitans masculos, non est denunciandus tenore Bullarum anti-

antiquarum. Ita tenent Paramus *de orig. Inquisit. lib.3. quæst.10. num.42.* Sousa *tract.1. cap.12. num.6. & seqq.* Bariola *in floribus Confess. solicit. versic. Suspectus quoque, fol.227.* Portel *in addit ad dub. Regul. verb. Solicitare fœminas,* Fagundez *ad 2. præcept. Eccl. lib.4. cap.3. num.31.* cum alijs Auctoribus quos citat.

141 Existimo enim in hac quæstione esse procederdum cum distinctione, & vt clarè constet veritas, duplici resolutione satisfaciam. Pro quo sit prima: tenore Bullæ Pij IV. & Clementis VIII. Confessarius solicitans masculos, non est denunciandus. Probatur primò hæc conclusio: Bullæ Pij IV. & Clemẽtis VIII. solùm loquuntur de Confessarijs solicitantibus fœminas, sed harum appellatione non veniunt mares, nec propriè, nec impropriè, vt constat ex text *in l. si ita scriptum 45. in princip. de l.2. Clement. attendentes,* vbi Gloss. *verb. Cedisse, de statu Monachor.* ergo tenore Bullarum Pij IV. & Clementis VIII. Confessarius solicitans masculum non est denunciandus.

142 Probatur secundò resolutio: Nam etiam si in nostra sententia Bullæ contra solicitantes sint favorabiles, quia finis præcipuus est favor Sacramenti, & animarum; nihilominus si quæ sunt promulgatæ derogant iuri alterius quæsito, non sunt extendendæ, sed limitandæ; sed si dictæ Bullæ Pij IV. & Clementis VIII. extenduntur ad solicitantes masculos, derogant iuri Ordinariorum: ergo tenore illarum, non sunt denunciandi Confessarij solicitantes masculos in Tribunali Inquisitionis. Probatur maior: vltra proprietatem verborum non est extendendum privilegium derogans iuri alterius quæsito *cap. ex tuarum. de auctoritate, & vsu palij, & cap. licet in corrigendis de Offic. Ordinar. l.2. §. merito, & §. si qui, ff. ne quid in loco publico*; & sic semper præsumitur non esse mentem Principis lędere ius tertij, *l. nec, C. de mancipat. liberor.* Ergo Bullæ quæ derogant iuri alterius non sunt extendendæ; sed si dictæ Bullæ Pij IV. & Clementis VIII. extenduntur ad solicitantes masculos, derogant iuri Ordinariorum, quia per illas excludunt huiusmodi delinquentes ab eorum iurisdictione: ergo tenore harum Bullarum, non

sunt denunciandi huiusmodi Confessarij DD. Inquisitoribus.

143 Probatur tertiò: Specialitèr contra defentantes huiusmodi constitutiones contra Confessarios solicitantes esse odiosas hoc medio, vis, & effectus legis pœnalis tantùm habet locum in personis, & casibus expressis in lege, & extensio non permittitur ad non expressa in lege, *l factum* 155. § *fin de reg. iuris, cap. in pœnis, eod. tit. in* 6. sed ferè apud omnes contrarios DD. huiusmodi constitutiones sunt pœnales & odiosæ: ergo non debent extendi ad Confessarios solicitantes masculos. Tum, quia leges disponunt regularitèr de rebus communitèr accidentibus, non verò de rarò, & extraordinariè contingentibus, sed huiusmodi sunt provocationes Confessorum respectu masculi ad nefandum: ergo Bullæ contra Confessarios solicitantes fœminas, non sunt extendendæ ad Confessarios solicitantes masculos, text. *in l. iura* 3. *cum* 3 *seqq. de legib.*

144 Parificatur quartò resolutio: In Concilio Tridentino *Sess.* 25. *de regul. cap.* 8. excommunicantur omnes, qui cogunt mulieres ad ingrediendum Monasterium; sed Thomas Sanchez *in summ. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 3 tenet cum alijs, quòd Concilium nomine mulierum non includit viros: ergo in dictis constitutionibus nomine fœminarum non includuntur masculi. Idem constat ex *Clement. vnic. de consang. & affinit.* vbi excommunicantur Moniales professæ, & accipientes illas in vxores, & etiam excommunicantur professi ineuntes matrimonium; & tamen si aliqua fœmina sæcularis contraheret cum professo non excõmunicatur, nec fit extensio ad illam, nulla alia ratione, nisi quia nomine masculorum non fit extensio ad fœminas: ergo nec in dictis Bullis de fœminis solicitatis debet fieri extensio ad masculos: ergo vi harum constitutionum non sunt denunciandi Confessarij solicitantes masculos.

145 Sit secunda resolutio: Ante Bullam Gregorij XV. Confessarij solicitantes masculos erant denunciandi DD. Inquisitoribus, non solùm quia ex consuetudine, & de iure possunt DD. Inquisitores cognoscere de omnibus criminibus generan-

tibus

tibus suspicionem in fide, sed quia iam ex privilegio speciali Pontificio hanc iurisdictionem habebant. Probatur conclusio: quia vt testatur Ioannes Baptista Scorcia *in Bull. Pontif. epitom. 77. theorem.* 197. Paulus V. *die* 6. *Februarij, anni* 1619. decrevit expreßè Confessarios solicitantes masculos fore denunciandos Tribunali Inquisitionis: Et Sousa *opusc. de Confess. solicit. tract.* 1. *cap.* 12. *num.* 12. facit mentionem de alio Decreto eiusdem Pontificis, expedito *die* 29. *Novembris ann.* 1612. ergo ante Bullam Gregorianam tenore harum constitutionum, Confessarij solicitantes masculos erant denunciandi DD. Inquisitoribus.

§. II.

FVNDAMENTA CONTRARIA, ET ALIQVA DVBIOLA ponuntur.

146 FVNDAMENTVM primum militat contra primam resolutionem, & potest ad hanc formam reduci: Secundum nostram sententiam, Bullæ Pontificiæ contra solicitantes, sunt dispositiones favorabiles, quia expeditæ principaliùs in favorem Sacramenti Pœnitentiæ, & animarum; ideòque quòd procuratur in huiusmodi constitutionibus est vindicare iniuriam factam Sacramento, & pœnitentibus; sed secundum mea principia, quando finis præcipuus alicuius dispositionis favorabilis est, etiam si in pœnam, & gravamen alterius redundet, est extendenda constitutio, & præcipuè quando odium à favore distingui nequit: ergo ex vi constitutionum Pij IV. & Clementis VIII. etiam sunt denunciandi Confessarij solicitantes masculos, quia hoc modo fit extensio.

147 Si autem respondeas secundum dicta, quòd etiam si ex hoc capite in constitutionibus favorabilibus fiat extensio, quia ex alio capite extensio redundat in diminutionem iurisdictionum Ordinariorum, extensio non habet locum secundum doctrinam ponderatam §. 1. *in* 2. *probat.* 1. *resolut.* Contra est; constitutio in qua reservantur fructus vacaturæ Episcopo mor-

mortuo, appellatur favorabilis, quamvis redundet in damnum Ecclesiæ Cathedralis, ideòque extendenda. Ita Thomas Sanchez *lib.1.de Matrim disp.1.num.4.*ex Gloss.*in cap.si propter,de rescriptis in 6.verb.prim.ann.*ergo multò meliùs hæ constitutiones contra solicitantes fœminas debent extendi ad solicitantes masculos, etiam si redundent in præiudicium iurisdictionis Ordinariorum.

148 His non obstantibus, benè respondetur ad argumentum, quia licèt in favorabilibus debeat fieri extensio, quando non derogant iurisdictioni alterius,& in ea parte, in qua non gravant tertium; non autem constitutio favorabilis patitur extensionem in præiudicium alterius, nisi expreßè ponatur casus, sicut ponitur quando fit dispositio de fructibus vacaturæ, & aliundè, vt statim quæstione sequenti dicam, extensio non fit, etiam si in duobus casibus militet eadem ratio expressa in Bullis ad alias personas præter nominatas; cum autem extendere huiusmodi Bullas ad solicitantes masculos, redundet in præiudicium iurisdictionis Ordinariorum, & fiat extensio ad alias personas præter nominatas, quia in dictis constitutionibus solùm nominantur fœminæ; hinc est, quòd vi antiquarum Bullarum solùm veniunt denunciandi Inquisitoribus Confessarij solicitantes fœminas.

149 Fundamentum secundum sic proponitur: In hac materia non est recedendum à praxi,& stylo Inquisitionis Hispaniæ; sed ante constitutionem Gregorij XV. iam vigore constitutionum Pij IV.& Clementis VIII. Inquisitio Hispanica cognoscebat de hoc delicto, vt constat ex epistola generali missa ad omnes InquisitionesHispaniæ,lata Matriti 8.*Maij anni* 1613. ergo vi dictarum constitutionum erant denunciandi Confessarij solicitantes masculos.Roboratur sententia contraria alia instantia: levior luxuria est solicitare fœminas, quam viros, quia solicitare viros est peccatum contra naturam; sed in his casibus etiamsi in lege gravius peccatum non exprimatur, adhùc in pœnalibus fit extensio.: constat ex *l.si vxor* 13.§.1.*ad leg.Iul. de adul-*

adulter. ergo etiam si in his constitutionibus non fiat mentio de Confessarijs solicitantibus masculos, quia est gravius peccatum intra genus luxuriæ, ad talem solicitationem debet fieri extensio,& dum agitur, sicut in præsenti, de salute animæ ad vitandum peccatum,semper fit extensio, Gloss. *in l. omnes 7. verb. Apostolicæ, C. de ferijs.*

150 Respondetur ad primam instantiam dupliciter: Primò, admittendo, quòd vigore constitutionum Pij IV. & Clementis VIII. iam in Inquisitione Hispanica erat in praxi punire Confessarios solicitantes masculos; sed non ideò hæc sententia amittit suam probabilitatem speculativè,& practicè in ordine ad forum interius, quia vt dixi in quæstione proœmiali, stylus, & praxis Inquisitionis fundatur in opinione probabili, sed non ideò tollit probabilitatem contrariæ sententiæ. Secundò respondetur, & meliùs, quòd praxis Sanctæ Inquisitionis non fuit fundata in Bullis Pij IV.& Clementis VIII. in ordine ad cognitionem huius delicti, sed in Decreto citato Pauli V. quia primum Decretum huius Pontificis extensivum Bullarum contra solicitantes, fuit expeditum,& promulgatum *anno* 1612.& epistola generalis Consilij Supremi ad omnes Inquisitiones Hispaniæ, fuit lata *Matriti anno* 1613. quare si postea ante Bullam Gregorij XV. fuit stylus cognoscendi de hoc crimine, non fundabatur in Bullis Pij IV. & Clementis VIII. sed in prædicto Decreto Pauli V.

151 Ad secundam instantiam respondetur negando minorem; nempè, quòd fiat extensio in Bullis quando peccatum est gravius, si reperitur in personis non nominatis in Bulla, & ita textus citatus debet intelligi, quòd tunc fit extensio, quandó peccatum est gravius in eodem genere,& reperitur in personis expressis in lege,& constitutione; cum autem in Bullis Pij IV. & Clementis VIII. non fiat mentio de Confessarijs solicitantibus masculos, ad illos non debet fieri extensio, etiam si Bulla favorabilis sit,& peccatum intra genus luxuriæ sit gravius, quia in ordine ad punitionem, tunc pertinebat ad iurisdictionẽ Ordinariorum.

Ex

mortuo, appellatur favorabilis, quamvis redundet in damnum Ecclesiæ Cathedralis, ideòque extendenda. Ita Thomas Sanchez *lib.1.de Matrim disp.1.num.4.*ex Gloss.*in cap.si propter,de rescriptis in 6.verb.prim.ann.*ergo multò meliùs hæ constitutiones contra solicitantes fœminas debent extendi ad solicitantes masculos, etiam si redundent in præiudicium iurisdictionis Ordinariorum.

148 His non obstantibus, benè respondetur ad argumentum, quia licèt in favorabilibus debeat fieri extensio, quando non derogant iurisdictioni alterius,& in ea parte, in qua non gravant tertium; non autem constitutio favorabilis patitur extensionem in præiudicium alterius, nisi expreßè ponatur casus, sicut ponitur quando fit dispositio de fructibus vacaturæ, & aliundè, vt statim quæstione sequenti dicam, extensio non fit, etiam si in duobus casibus militet eadem ratio expressa in Bullis ad alias personas præter nominatas; cum autem extendere huiusmodi Bullas ad solicitantes masculos, redundet in præiudicium iurisdictionis Ordinariorum, & fiat extensio ad alias personas præter nominatas, quia in dictis constitutionibus solùm nominantur fœminæ; hinc est, quòd vi antiquarum Bullarum solùm veniunt denunciandi Inquisitoribus Confessarij solicitantes fœminas.

149 Fundamentum secundum sic proponitur: In hac materia non est recedendum à praxi,& stylo Inquisitionis Hispaniæ; sed ante constitutionem Gregorij XV. iam vigore constitutionum Pij IV.& Clementis VIII. Inquisitio Hispanica cognoscebat de hoc delicto, vt constat ex epistola generali missa ad omnes InquisitionesHispaniæ,lata Matriti 8.*Maij anni* 1613. ergo vi dictarum constitutionum erant denunciandi Confessarij solicitantes masculos.Roboratur sententia contraria alia instantia: levior luxuria est solicitare fœminas, quam viros, quia solicitare viros est peccatum contra naturam; sed in his casibus etiamsi in lege gravius peccatum non exprimatur, adhùc in pœnalibus fit extensio.: constat ex *l.si vxor* 13.§.1.*ad leg.Iul. de adul-*

adulter. ergo etiam si in his constitutionibus non fiat mentio de Confessarijs solicitantibus masculos, quia est gravius peccatum intra genus luxuriæ, ad talem solicitationem debet fieri extensio,& dum agitur, sicut in præsenti, de salute animæ ad vitandum peccatum, semper fit extensio, Gloss. *in l. omnes 7. verb. Apostolicæ, C. de ferijs.*

150 Respondetur ad primam instantiam dupliciter: Primò, admittendo, quòd vigore constitutionum Pij IV. & Clementis VIII. iam in Inquisitione Hispanica erat in praxi punire Confessarios solicitantes masculos; sed non ideò hæc sententia amittit suam probabilitatem speculativè,& practicè in ordine ad forum interius, quia vt dixi in quæstione procemiali, stylus, & praxis Inquisitionis fundatur in opinione probabili, sed non ideò tollit probabilitatem contrariæ sententiæ. Secundò respondetur, & meliùs, quòd praxis Sanctæ Inquisitionis non fuit fundata in Bullis Pij IV.& Clementis VIII. in ordine ad cognitionem huius delicti, sed in Decreto citato Pauli V. quia primum Decretum huius Pontificis extensivum Bullarum contra solicitantes, fuit expeditum,& promulgatum *anno* 1612.& epistola generalis Consilij Supremi ad omnes Inquisitiones Hispaniæ, fuit lata *Matriti anno* 1613. quare si postea ante Bullam Gregorij XV. fuit stylus cognoscendi de hoc crimine, non fundabatur in Bullis Pij IV. & Clementis VIII. sed in prædicto Decreto Pauli V.

151 Ad secundam instantiam respondetur negando minorem; nempè, quòd fiat extensio in Bullis quando peccatum est gravius, si reperitur in personis non nominatis in Bulla, & ita textus citatus debet intelligi, quòd tunc fit extensio, quandò peccatum est gravius in eodem genere,& reperitur in personis expressis in lege,& constitutione; cum autem in Bullis Pij IV. & Clementis VIII. non fiat mentio de Confessarijs solicitantibus masculos, ad illos non debet fieri extensio, etiam si Bulla favorabilis sit,& peccatum intra genus luxuriæ sit gravius, quia in ordine ad punitionem, tunc pertinebat ad iurisdictionē Ordinariorum.

Ex

152 Ex quibus infero 1. malè dixisse Castrum à Palao, Bullam Gregorianam parùm, aut nihil iurisdictionem Inquisitorum extendere. Primò, quia in Bullis Pij IV. & Clementis VIII. solùm fit mentio de Confessarijs solicitantibus fœminas; at in Bulla Gregoriana de Confessarijs solicitantibus quaslibet personas, vt constat ex illis verbis: *Qui personas, quæcumque illæ sint ad inhonesta*. Secundò, per Bullas Pij IV. & Clementis VIII. solùm veniebat puniendus Confessarius solicitans in Confessione; sed ex Decreto Gregorij XV. qui solicitat non solùm in Confessione, sed immediatè ante, vel post, prætextu, vel occasione Confessionis, etiam ipsa Confessione non sequuta, sive in Confessionario, sive in loco vbi Confessiones Sacramentales audiuntur, vel electo ad audiendas Confessiones, simulantes ibidem se audire Confessiones; aut si cum pœnitentibus sermones inhonestos, vel tractatus habuerint. Tertiò, quia in Decretis Pij IV. & Clementis VIII. nulla obligatio præter eam, quæ iure naturæ inest, imponebatur pœnitenti Confessarium denunciandi; at verò in Decreto Gregorij præsupponitur hæc obligatio, & insupèr mandatur omnibus Confessarijs, vt moneant pœnitentes solicitatos de obligatione denunciandi: ergo huiusmodi Bulla fuit ampliativa, & extensiva iurisdictionis Inquisitionis.

153 Infero 2. contra Thomam Hurtado *tract. 4. cap. 5. resol. 5. §. 3 num. 59.* consequentèr ad mea principia, quòd si masculus solicitat Confessarium ad sodomiam, & Confessor divertit, vel ad oscula, vel ad mollitiem, huiusmodi Confessarius est denunciandus, quia etiam si divertat ad minus peccatum; cum habeat cum illo tractatus, & sermones inhonestos, comprehenditur in Bulla, & vt subterfugiat pœnas taxatas in Bullis contra solicitantes, non solùm debet evitare illud delictum gravius, ad quod solicitatur, sed omnia venerea quantumcumque minima.

154 Infero 3. non solùm esse denunciandos Confessarios solicitantes masculos in actu Sacramentalis Confessionis, sed

etiam

etiam si solicitent immediatè ante, vel post, vel prætextu, & occasione Confessionis, vel in Confessionario, aut in quocumque loco vbi Confessiones Sacramentales audiuntur, siue in loco electo, simulantes se ibidem audire Confessiones, aut si in his locis, & occasionibus cum masculis habeant sermones, vel tractatus inhonestos. Hoc corollarium pono, quia multi illiterati existimant solùm esse denunciandum Confessarium solicitantem masculos in actu Sacramentalis Confessionis, vt intelligant eodem modo esse discurrendum in hoc crimine, sicut in solicitatione fœminarum; nam Bulla eodem tenore loquitur de Confessarijs solicitantibus masculos, & fœminas, vt constat ex illis verbis: *Qui personas, quæcumque illæ sint, &c.*

QVÆSTIO IV.

AN SACERDOS SOLICITANS IN CONFESSIONE AD alia peccata extra venerea, & in omnibus alijs Sacramentis ad venerea, sit denunciandus virtute Bullæ Gregorij XV.

155 HÆC quæstio duo inquirit. Primò: an si Confessarij in Confessione solicitant ad alia peccata præter venerea, v. g. ad homicidium, vel furtum, sint denunciandi DD. Inquisitoribus virtute Bullæ Gregorij XV. Secundò: an si Sacerdos solicitat in alijs Sacramentis ad venerea, vel in Eucharistia, vel in Matrimonio, &c. sit deferendus ad DD. Inquisitores, vt autem loquar cum distinctione, distinctè hæc duo resoluam.

§. I.

PRIMA PARS QVÆSTIONIS DECIDITVR.

156 QVOD enim in prima parte quæstionis in dubium vertitur est: an Confessarius solicitans in Confessione ad alia peccata præter venerea, sit denunciandus DD.

Inquis-

Inquisitoribus? Duplex est sententia in hac materia extremè opposita. Prima enim asserit huiusmodi Confessarium tenore Bullarum contra solicitantes, fore denunciandum Inquisitoribus, & aliqui idem defensabant ante Bullam Gregorij XV. vt Pegna *in direct. Inquisit. part. 2. commentar.* 81. *vers. Illc quoque*; idemque cum distinctione docet Freitas *in addit. ad tract. de Confess. solicit. quæst.* 8. *nu.* 17. vbi dicit, hanc sententiam sequendam esse, quando Confessor solicitat pœnitentem ad eadem peccata quæ confitetur; v.g. si confitetur sortilegium, & Confessarius petat ab illo instructionem de practica sortilegij, quia in tali casu acciperet Confessarius occasionem à peccato confesso, & ita huiusmodi delictum generaret suspicionem in fide.

157 Eandem sententiam sequuntur Emmanuel Moura *opusc.* 1. *de ensalm. & incant. sect.* 3. *cap.* 3 *num.* 17. Lelius Zechius *in summ. tom.* 1. *tract. de fide, cap.* 11. *num.* 5. § 3 *suspicio*, Thomas Hurtado *tract.* 4. *cap* 8. *resol.* 35. *num.* 372. *& seqq.* ponit duas conclusiones; in prima affirmat, quòd si Confessarius non in vera Confessione, sed vel in simulata, vel in Confessionali solicitat ad alia peccata præter venerem, non est denunciandus Tribunali Inquisitionis, benè verò si in vera Confessione solicitat.

158 Secunda sententia docet, quòd virtute Bullarum contra solicitantes, non veniunt denunciandi Confessarij qui solicitant ad alia peccata præter venerea in Confessione vera, vel simulata. Hanc sententiam tenet Diana 1. *part. tract.* 4. *resol.* 20. *vers. At his non obstantibus*; citat pro illa Paramum *de orig. Inquisit. lib* 3. *quæst.* 10. *num.* 121. Aloysium Bariola *in flor. Inquisit. fol.* 215. Scorciam *in Bull. Pontif. epitom.* 77. *theorem.* 197. Molfes. *in summ. tom.* 1 *tract.* 7. *cap.* 24. *num.* 31. Roder. Acugnam *tract. de Confess. solicit. quæst.* 8. idem tenet 4. *p. tract.* 5. *resol.* 17. & addit Sousam, Bonacinam, Freitam, & Homobonum. Idem docet noster Peirinis *de privileg. Minor. constit.* 4. *Gregorij XV* §. 3. *num* 7. Alij graves Auctores docent prædictum Confessarium solicitantem ad alia peccata præter venerea, subijci foro Inquisitorum, sed non tenore Bullarum contra Confessarios solicitan-

tantes, sed ex iure communi procedendi in Sancto Officio contra Hæreticos,& de hæresi suspectos. Ita Tralmiera *de Polygamia, lib.3.quæst.2.§.vnic.num.46.* Ioan.Sanchez *in select. disp.11. num.13.* Trimarchius *in suo tract. de Confess.abutente, disput.14. sect.3.num.15.& 16.*Castrus à Palao *tom.1 tract.4.disp.9.punct 6. num.2.* iudicat hanc sententiam probabilem, Carena *part.2. de Confess.Solicit.tit.6.pag.110.num.20.§ ego in casu,* existimat rem hanc deferendam esse ad Sacram Congregationem, P.Salelles *tom.1.de mater.Inquisit. lib.1.cap.16. regul.128. num 10.& seqq.* inclinatur in hanc sententiam,& dicit *num* 13. quòd apud nullum Auctorem legitur,vt alicubi dicta sentẽtia fuerit ad praxim reducta, taliter quòd Inquisitores cognoverint de abusu Sacramenti Pœnitentiæ circa alia peccata extra venerem.

159 Vt autem hanc quæstionem resolvam tres conclusiones ponam; sitque prima: Confessarius solicitans in Confessione ad alia peccata præter venerem, virtute Bullarum contra Confessarios solicitantes non est denunciandus Hæc conclusio probatur primò: non est recedendum à communi intelligentia Inquisitionum in his materijs; sed in omnibus Inquisitionibus Bullæ contra Confessarios solicitantes intelliguntur de solicitationibus ad venerea; non autem ad alia peccata: ergo virtute harum Bullarum non sunt denunciandi Confessarij solicitantes ad alia peccata præter venerea.

160 Probatur secundò: Certum enim est, quòd Bullæ Pontificiæ solùm concedunt facultatem DD.Inquisitoribus,vt procedant contra solicitantes ad venerea in Confessione: ergo non possunt cognoscere de solicitationibus in Confessione ad alia peccata. Probatur antecedens: Delegati Sedis Apostolicæ non possunt excedere fines suæ mandatæ iurisdictionis Ita Paramus *quæst.10.num.121.& seqq.* Ioan.Sanchez *in select.disp.11.num.22.* Martinus Bonacina *de onere denunciat. punct.3 num.15.* sed DD. Inquisitores sunt Delegati Sedis Apostolicæ, ideòque dicuntur Inquisitores Apostolici: ergo non possũnt excedere fines Delegationis, nec ad excessum habent iurisdictionem; sed in dictis

Bullis solùm Summi Pontifices concedunt illis facultatem, vt cognoscant de solicitationibus ad venerem in Confessione: ergo non habent iurisdictionem cognoscendi de alijs criminibus commissis in Confessione.

161 Respondebis, in Bulla Gregorij XV. omnia delicta solicitationis in Confessione comprehendi, vt patet ex illis verbis: *Aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint*; nam appellatione *illiciti*, omne prohibitum comprehenditur; constat ex *l. fideicommissa* 11. § *si quis illicitè* 14. *de leg* 3. *l. locatio* 9. § *quod illicitè* 7. *de publican. l. si filiæ* 10. *C. de donat. ante nupt.* Ergo cum solicitatio in Confessione ad alia peccata præter venerea sit prohibita, & illicita, etiam comprehenditur in Bulla Gregoriana. Non enim hoc conuincit, quia licèt ly *illicitos* sit generale ad omne vitium, vel iure naturæ, vel positivo prohibitum; cum in subiecta materia tantùm versetur circa inhonesta, ad illa debet coarctari, & non extendi ad alia, ex *l si vno* 4. *in princip. locati*: ergo virtute Bullæ Gregorianæ solùm possunt cognoscere DD. Inquisitores de solicitationibus ad venerem, non autem de alijs delictis.

162 Probatur tertiò conclusio, & simul ostenditur quare Summi Pontifices contra Confessarios patrantes in Confessione peccata inhonesta Diplomata ediderunt, non autem contra solicitantes ad alia crimina. Summi Pastores, & omnes Prælati pharmacum pœnarum applicant contra delicta, quæ frequentiùs committuntur; sed peccatum carnis frequentiùs committitur in Sacramento Pœnitentiæ, quàm alia peccata; nam licèt Confessarij audiant alia crimina non prouocantur, quia ad ea natura non est tam inclinata, & aliundè cognoscit Confessarius fragilitatem pœnitentis, ex quo sumit fundamentum ad explendam suam libidinem: ergo intentum Summorum Pontificum subijciendi Confessarios solicitantes ad venerea iurisdictioni Inquisitorum, fuit refrenare hoc remedio illorum libidinem, quod non contingit in alijs peccatis; ideoque tenore harum Bullarum Confessarij solicitantes ad alia peccata præter ve-

nerem,

nerem, non subijciuntur iurisdictioni Inquisitorum.

163 Sit secunda conclusio: DD. Inquisitores ex iure communi possunt cognoscere contra Confessarium solicitantem in actu Sacramentalis Confessionis ad alia peccata præter venerem. Aliqui Auctores, vt Castrus Palaus, loco citato, hoc negant, licèt illud iudicent probabile, quia in Sancto Tribunali non est praxis, nec stylus iudicandi de Confessarijs committentibus huiusmodi crimina. Parùm enim hoc refert, quia aliud est non cognoscere, & aliud non posse cognoscere. Præterea, quia de multis delictis non est praxis in Tribunali, etiamsi illa punire ad Inquisitionem attineat, quia rarò contingunt, & possum aliqua referre; cum autem solicitare ad alia peccata præter venerem, rarò contingat; quid mirum si punire huiusmodi delicta non sit in praxi Tribunalis!

164 Probatur primò à paritate: Si quis abuteretur vestibus sacris, aut religiosis, applicando eas ad vsus profanos, & iocosos, absque dubio vt suspectus de mala credulitate puniretur à DD. Inquisitoribus, & ita est in praxi in pluribus Inquisitionibus, quia tempore vacanaleo aliqui abusi fuerunt habitu religioso; sed potiori iure est suspectus de mala credulitate, qui abutitur Sacramento Pœnitentiæ ad alia peccata præter venerem, quia si illi habitus sunt benedicti, Sacramentum est quid Sacrum: ergo denunciandus, & puniendus est Confessarius, qui solicitat in Confessione Sacramentali ad alia peccata præter venerem, vtpotè suspectus de mala credulitate.

165 Probatur secundò conclusio: Qui solicitat ad quodlibet peccatum mortale in Confessione Sacramentali, abutitur Sacramento Pœnitentiæ, & est suspectus in fide; sed qui committit aliquod peccatum generans suspicionē in fide, est denunciandus DD. Inquisitoribus: ergo qui solicitat in actu Sacramentalis Confessionis ad alia peccata præter venerem, est denunciandus Tribunali Inquisitionis. Minor probatur: in Decreto Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium, facto coram Vrbano VIII. *die 3. Ianuarij anni* 1623. præcipitur sub

pœna excommunicationis, vt infra duodecim dies, omnes habentes notitiam Hæreticorum, vel de hæresi quomodolibet suspectorum Inquisitoribus, vel eorum Commissarijs eos manifestent: ergo qui committit aliquod peccatum inducens suspicionem in fide, est denunciandus Inquisitoribus; ac per consequens Confessarius solicitans ad alia peccata extra venerem, vtpotè suspectus in fide, denunciandus est.

166 Tertiò probatur à paritate: Confessarius solicitans ad venerea est denunciandus, quia suspectus in fide; sed solicitatio ad alia peccata in Confessione Sacramentali inducit maiorem suspicionem in fide: ergo huiusmodi solicitatio ad DD. Inquisitores deferenda est. Probatur minor: maior malitia reperitur in inductione ad alia peccata, quam in provocatione ad luxuriam, quia inductio ad luxuriam magis procedit ex passione, quam provocatio, & suasio ad alia peccata: ergo datur maius fundamentum ad præsumendum, quòd huiusmodi inductio in Confessione Sacramentali procedit ex mala credulitate, quam provocatio ad venerem, quia frequentèr hæc procedit ex passione, vel fragilitate.

167 Sit tertia conclusio: Confessarius solicitans ad alia peccata præter venerem simulando Confessionem, vel in Confessionali formali, etiam est denunciandus DD. Inquisitoribus. Hæc conclusio est contra Thomam Hurtado loco citato, *num.* 382. sed probatur primò ad hominem ex doctrina illius. In 2. conclusione, *num.* 383. statuit, quòd Confessarius solicitans ad alia peccata præter venerem, non solùm in Confessione Sacramentali, sed etiam immediatè ante, vel post, est punibilis per DD. Inquisitores, & pro hac resolutione citat Trimarchium *disp.* 14 *sect.* 3. *num.* 19. ergo etiam est punibilis per Inquisitores Confessarius solicitans in Confessionali formali, vel simulando Confessionem. Probatur consequentia: ideò in sententia istius Auctoris, Confessarius solicitans in Confessionali, vel simulando Confessionem, non est punibilis per DD. Inquisitores quando solicitat ad alia peccata extra venerem, quia cum non abu-

tatus

tatur Sacramento vero Pœnitentiæ, non est suspectus in fide; sed si hæc doctrina est vera, neque Confessarius solicitans immediatè ante, vel post ad talia peccata, esset punibilis per Tribunal Inquisitionis, quia neque iste erit suspectus in fide, cum non abutatur vero Sacramento: ergo etiam si solicitans simulando Confessionem, vel in Confessionario, non abutatur vero Sacramento, est punibilis per DD. Inquisitores, sicut qui solicitat immediatè ante, vel post.

168 Probatur secundò conclusio, destruendo fundamentum Thomæ Hurtado: Qui solicitat ad alia peccata extra venerea in Confessione simulata, vel in Confessionario formali, est suspectus in fide: ergo est denunciandus DD. Inquisitoribus. Probatur antecedens. Primò, quia in sententia istius Auctoris, qui solicitat ante, vel post immediatè ad huiusmodi peccata, est suspectus in fide: ergo etiam qui solicitat simulando Confessionem, vel in Confessionali formali. Probatur consequentia: qui solicitat ante, vel post immediatè non abutitur vero Sacramento, & hoc non obstanti in sententia Thomæ Hurtado est suspectus in fide: ergo etiam si solicitans simulando Confessionem, vel in Confessionali non abutatur vero Sacramento, est suspectus in fide.

169 Probatur secundò idem antecedens à paritate: qui solicitat ad venerea simulando Confessionem, vel in Confessionali est suspectus in fide: ergo etiam qui solicitat ad alia peccata præter venerea. Probatur antecedēs primò; quia in Inquisitione Hispanica Confessarius solicitans ad venerem in Cōfessionario abiurat de levi, quæ abiuratio correspondet suspicioni de levi: ergo qui solicitat in Confessionali, vel simulando Confessionem, est suspectus in fide. Secundò probatur idem antecedens; quia vt optimè observat Diana 4. *part. tract.* 5. *resol.* 50. *in fin.* Gregorius XV. postquam enumerat istos casus solicitationis cum alijs subiungit, vt Inquisitores, & Ordinarij super his, prout in causis fidei inquirant, & procedant; sed in causis fidei non inquirunt, nec procedunt, si ad minus delicta non generant suspicio-

picionem in fide: ergo qui solicitat ad venerea simulando Confessionem, vel in Confessionali formali, est suspectus in fide; sed, vt dixi, eadem ratio militat in solicitante ad alia peccata, imò cum maiori præsumptione de mala credulitate: ergo Confessarius solicitans ad alia peccata præter venerem, vel in Confessionario formali, vel simulando Confessionem, est punibilis per DD. Inquisitores.

§. II.

FVNDAMENTA CONTRARIÆ SENTENTIÆ *contra conclusiones.*

170 ARGVMENTVM primum militat contra primã conclusionem, quod sic proponitur. Bulla Gregorij XV, est favorabilis, vt dixi *in* 1. *part.* sed statuta, & constitutiones favorabiles pariunt extensionem, prout distinguntur à pœnalibus, & odiosis: ergo virtute Bullæ Gregorij XV. Confessarius solicitans in Confessione ad alia peccata præter venerem, est punibilis per DD. Inquisitores. Probatur consequentia: in hoc distinguitur Bulla, & lex favorabilis ab odiosa, quòd prima extenditur ad omnes casus præter contentos in Bulla, vbi est eadem identitas rationis, non autem secunda, vt tenet probabilior sententia; sed eadem ratio expressa in Bulla Gregoriana militat in Confessario solicitante ad furtum, v. g. ac in solicitante ad luxuriam, quia in vtroque casu est ratio expressa in lege, quæ est abusus Sacramenti: ergo huiusmodi Confessarius tenore Bullæ est denunciandus, sicut qui solicitat ad venerem.

171 Respondetur negando consequentiam, & ad illius probationem, distinguo maiorem, Bulla favorabilis extenditur ad omnes casus, vbi est eadem ratio expressa in Bulla, si sint eiusdem generis, concedo maiorem, si sint diversi generis, nego maiorem, eodem modo est distinguenda propositio minor, & neganda consequentia. Quandò enim constitutio favorabilis est connexa cùm pœna, vt est Bulla Gregoriana, solùm in eodem

dem genere delicti, vbi est eadem, vel maior ratio fit extensio, existente vtilitate publica, ad alios casus præter expressos in Bulla. Ita Gloss. *verb. Italiæ, in cap. 1. de tempor. ordin. in 6.* sed non fit extensio, si agatur de diverso genere criminis. Ita Nicolaus Garcia *de Benef. 11. part. cap. 11. num. 206.* Ioan. Sanchez *in Select. disp. 14. num. 13.* Cum autem licèt solicitare ad furtum, v.g. habeat eandem identitatem rationis expressam in constitutione, cum etiam in hoc delicto sit abusus Sacramenti, quia est delictum in diverso genere ad illud, extensio non fit.

172 Parificatur responsio: in Confessario solicitante, & in fœmina provocante Confessarium datur eadem identitas rationis; nam ambo sunt suspecti in fide, quia abutuntur Sacramento Pœnitentiæ; hoc non obstanti, virtute Bullæ Gregorianæ, Confessarius solicitans est denunciandus, non autem fœmina provocans Confessarium, etiamsi Bulla sit favorabilis, non alia ratione, nisi quia in eodem genere personarum fit extensio, non autem in diverso genere, & dispositio Pontificia solùm est in genere Confessariorum, & vltra nominatas personas non fit extensio, ex *leg. Quæ conditio 39. de condition. & demonstration. leg. Si verò 64. §. Viro 9. sol. matrim.* Ita Azebedo *in Rubr. nu. 1061 tit. 2. lib. 6. recopil.* ergo cum eadem ratio militet in diverso genere delictorum, licèt detur eadem ratio expressa in Bulla in Confessario solicitante ad alia peccata præter venerea, non est denunciandus virtute Bullæ Gregorij XV.

173 Argumentum secundum militat contra secundam conclusionem, & potest sic proponi: Vt aliquis sit punibilis per DD. Inquisitores, debet esse suspectus suspicione iuris, & à iure; sed qui solicitat ad alia peccata in Confessione extra venerea, non est suspectus suspicione iuris, & à iure: ergo non est denunciandus DD. Inquisitoribus. Minor probatur: vt sit suspicio à iure, debet esse Bulla Pontificia eam declarans, in qua tribuat facultatem Inquisitoribus cognoscendi de delicto, vel privativam, vel comulativam; sed non est Bulla, quæ huiusmodi facultatem tribuat, nec declaret suspicionem in his delictis: ergo Confessa-

rius

rius solicitans in Confessione ad alia peccata præter venerea, non est suspectus à iure.

174 Respondetur distinguendo minorem: Qui solicitat in Confessione ad alia peccata extra venerem, non est suspectus à iure particulari, concedo minorem; à iure communi, nego, & applicata distinctione ad probationem, est neganda consequentia. Verùm enim est, quòd non est Bulla Pontificia, quæ tribuat facultatem specialitèr DD. Inquisitoribus ad procedendum contra Confessarios solicitantes in Confessione ad alia peccata præter venerem; at verò de iure communi huiusmodi facultatem habent à Summis Pontificibus, vt constat ex Decreto citato Vrbani VIII. quia per illud conceditur Inquisitoribus facultas procedendi contra omnes quomodolibet suspectos in fide; & cum Confessarij solicitantes ad alia peccata præter venerea, sint suspecti in fide; hînc est, quòd à iure communi habent facultatem Pontificiam ad procedendum contra huiusmodi Confessarios.

175 Replicabis primò; Confessarius frangens sigillum Sacramentale est suspectus in fide, siquidem tale delictum generat suspicionem de mala credulitate; sed hoc non obstanti huiusmodi delictum non est punibile per DD. Inquisitores, sed per Ordinarios; nulla alia ratione, nisi quia non est Bulla, quæ tribuat DD. Inquisitoribus facultatem cognoscendi de hoc delicto: ergo vt Confessarius solicitans ad alia peccata extra venerem, sit punibilis per Tribunal Inquisitionis oportet, quòd DD. Inquisitores habeant facultatem, & ius speciale, & non sufficit ius commune.

176 Replicabis secundò: si hæc doctrina esset vera, ante emanationem Bullarum non solùm possent DD. Inquisitores cognoscere de hoc crimine solicitationis, sed etiam de alijs, v.g. de sortilegijs, de solicitationibus ad venerea simulando Confessionem, de sodomia, & bestialitate, quia omnia ista delicta generant suspicionem in fide; sed hoc non est dicendum, quia ante Bullas Pontificias tribuentes hanc facultatem Inquisito-

ſitoribus, vel procedebant contra huiuſmodi delinquentes Ordinarij, vel Magiſtratus Sæculares: ergo ne hoc dicatur eſt tenendum, DD. Inquiſitores nullatenùs poſſe cognoſcere de ſolicitationibus in Confeſſione ad alia peccata extra venerem. Probatur ſequela; omnia delicta enumerata generant ſuſpicionem in fide, ſicut ſolicitatio in Confeſſione ad alia peccata præter venerea; ſed ſecundum mea principia, Inquiſitores per illam facultatem generalem cognoſcendi de omnibus delictis generantibus ſuſpicionem in fide, poſſunt cognoſcere de ſolicitatione in Confeſſione ad alia peccata extra venerea: ergo etiam de alijs delictis generantibus ſuſpicionem in fide ante emanationem Bullarum, quod non eſt concedendum.

177 Ad primam replicam reſpondetur negando minorem; nam aliud eſt quòd non puniatur, & aliud quòd non ſit punibile, admiſſo quòd generat ſuſpicionem in fide, de qua plures graves Auctores dubitant; & ratio motiva non cognoſcendi eſt, quia in Tribunali Hiſpaniæ non eſt conſuetudo procedendi contra Confeſſarios frangentes ſigillum, & ſunt Ordinarij in poſſeſſione puniendi huiuſmodi delinquentes; DD. autem Inquiſitores relinqunt illos in ſua poſſeſſione, ad quod maximè debet attendi in puniendis delictis; quia hoc modo conſervantur Tribunalia in pace excuſando competentias iuriſdictionum, quæ ſunt valdè odioſæ, & ſolùm non debent excuſari quãdo delicta enormia manent impunita, & præcipuè ſi ſint nociva Sacramentis, & bono communi fidelium.

178 Ad ſecundam replicam reſpondetur concedendo ſequelam, ſecundum doctrinam traditam per Salellem loco citato, *num.* 19. quæ memoriæ eſt commẽdanda, quia vt optimè diſcurrit, ante emanationem Bullarum potuerunt DD. Inquiſitores procedere contra committentes huiuſmodi delicta per facultatem generalem, quam à iure Divino, & Canonico habent procedendi contra quemcumque de hæreſi ſuſpectum. Vt autem delictum ſit punibile per Inquiſitores, tantummodò requiritur, quod generet ſuſpicionem in fide, vt conſtat ex Decreto

citato Vrbani VIII. & si hoc habeat, iam ante emanationem Bullarum specialium tribuentium facultatem ad puniendà aliqua delicta, possunt DD. Inquisitores de illis cognoscere.

179 Quia enim hæc doctrina ad multa potest applicari, parificatur aliquibus exemplis. Primò, si aliquis, vt dixi, tempore vacanaleo ad iocum vteretur habitu religioso, vel sacro, puniretur per DD. Inquisitores, & non est Bulla specialis, quæ hanc facultatem eis tribuat. Secundò, si aliquis abuteretur Sacramento Pœnitentiæ ad acquirendas divitias petendo illas à Confessarijs, & ad hoc fingeret plura mendacia, puniretur à DD. Inquisitoribus, & propter hoc crimen hoc tempore publicè fuit punitus in hac Aragoniæ Inquisitione quidam homo plebeius, & non est Bulla specialis, quæ tribuat hanc iurisdictionem Inquisitoribus. Etiam DD. Inquisitores cognoscunt de bestialitate, & non habent Bullam specialem: ergo ex eo cognoscunt, quia de iure Divino, & Canonico habent illam generalem facultatem cognoscendi de delictis generantibus suspicionem in fide.

180 Sed vt omnia ista firma maneant, restat vnum dubiolum: Ad quid enim deserviunt Bullæ Pontificiæ, si antequam ædantur iam aliundè suam iurisdictionem Inquisitores habent per illam facultatem generalem procedendi contra omnes delinquentes de hæresi suspectos? Ad hoc dubiolum respondet Salelles *num*. 20. deservire Bullas Pontificias ad multiplices effectus; primò, ad assignandas graviores pœnas pro maiori enormitate delictorum; secundò, ad excitandam iurisdictionem, si fortè obdormiebat; tertiò, ad eam modificandam in ratione procedendi, vel etiam ampliandam, vt fecit Gregorius XV. in nostra Bulla: quare secundum hunc modum discurrendi Bullæ Pontificiæ speciales, iam supponunt facultatem, & iurisdictionem in Inquisitoribus, quia supponunt delictum generare suspicionem in fide, & solùm sunt excitativæ iurisdictionis, & assignant pœnas contra enormia delicta.

181 Contra tertiam conclusionem potest fieri hoc argu-

men-

mentum: Qui ſolicitat ad alia peccata præter venerea in Confeſſionario formali, vel alibi ſimulando Confeſſionem, non eſt ſuſpectus in fide: ergo non eſt denunciandus Inquiſitoribus. Probatur antecedens, vt ſit ſuſpectus in fide, oportet quòd abutatur vero Sacramento, ſed qui ſolicitat in Confeſſionali, vel ſimulando Confeſſionem, non abutitur vero Sacramento, quia ibi nec ponitur vera materia, nec forma: ergo qui ſolicitat in Confeſſionali ad alia peccata extra venerem, vel ſimulando Confeſſionem, non eſt ſuſpectus in fide, ac per conſequens non eſt punibilis per DD. Inquiſitores.

182 Ad hoc argumentum reſpondetur ex dictis negando antecedens; ad illiuſque probationem conſtabit ex dicendis in illa celebri quæſtione: an ſolicitans in Confeſſionali ſit denunciandus, ſed pro nunc ſufficiat Bulla Gregoriana, ſecundum quam Confeſſarij ſolicitantes ad venerea, ſive in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive in Confeſſionario, vel ſimulando Confeſſionem, ſunt ſuſpecti in fide; & cum eadem ratio militet in ſolicitante ad alia peccata extra venerem, ſimilitèr debet eſſe huiuſmodi ſolicitans ſuſpectus in fide. Ex quo conſtat incōſequentèr loqutum fuiſſe Thomam Hurtado, *num.*386. ſiquidem aſſerit ſimulantem Confeſſionem, & ſolicitantem ad venerea eſſe ſuſpectum in fide; non autem ſolicitantem ad alia peccata, quia ad iſta non extendit Gregorius XV. ſuſpicionem in fide, quod ſolùm tenet verum de ſuſpicione à iure particulari, non autem de ſuſpicione à iure communi, quæ eſt ſufficiens, vt huiuſmodi ſolicitatio ſit punibilis per DD. Inquiſitores.

183 Ex quibus ſe offert quoddam dubiolum: an ſi Confeſſarius ſolicitet pœnitentem in Sacramentali Confeſſione, vel ad mendacium iocoſum, vel ad furtum leve, ſit punibilis per DD. Inquiſitores. Thomas Hurtado loco citato, *num.*392. reſpondet huiuſmodi Confeſſarium non eſſe ſuſpectum in fide, ac per conſequens non fore denunciandum; & ratio illius eſt, quia non abutitur Sacramento in re gravi; ſed conſequentèr ad mea principia exiſtimo fore punibilem huiuſmodi Confeſſarium per DD.

Inquisitores, vtpotè suspectum in fide, quia vtitur Sacramento vt medio ad mendacium, quod est maxima irreverentia, etiam si sit ad inducendum ad peccatum leve; sicut dixi de iuramento falso in re levi, quod est peccatum grave.

§. III.
PARS SECVNDA QVÆSTIONIS RESOLVITVR.

184 LICÈT ex dictis facilis sit resolutio quæsiti, vt omnia attinentia ad hanc materiam ex professò tractem duplici conclusione satisfaciam huic 2. parti quæstionis, pro quo sit prima: Qui solicitat ad venerea in alijs Sacramentis præter Sacramentum Pœnitentiæ, non est denunciandus DD. Inquisitoribus ex vi Bullæ Gregorij XV. Constat hæc conclusio ex dictis, quia sicut in favorabilibus non fit extensio ad diversas personas, nec ad aliud genus delictorum, ita similitèr neque ad diversa Sacramenta; sed Bulla Gregorij XV. fuit expedita contra solicitantes ad venerem in Confessione, non autem in alijs Sacramentis: ergo qui solicitant ad venerea in alijs Sacramentis, non sunt denunciandi coram Inquisitoribus.

185 Sit secunda conclusio: Confessarij solicitantes, & quilibet alius ad venerea in alijs Sacramentis sunt denunciandi DD. Inquisitoribus. Ita Thomas Hurtado loco citato, *num.* 387. *& seqq.* est contra Bonacinam *tom.* 1. *disp.* 6. *de obligat. denunciat. punct.* 3 *propos.* 2 *num.* 14. Probatur conclusio ex verbis Bullæ Pij IV. confirmatæ, & renovatæ à Gregorio XV. vbi hæc habentur: *Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de Fide Catholica rectè sentiunt Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, &c.* Ergo principaliùs motivum Summorum Pontificum tribuendi facultatem Inquisitoribus ad procedendum contra Confessarios solicitantes ad venerea in Sacramento Pœnitentiæ est, quia abutitur Sacramentis; sed qui solicitat ad venerea in alijs Sacramentis, etiam illis abutitur, & facit eis iniuriam: ergo puniendus est ab Inquisitoribus, vtpotè suspectus in fide.

Tru-

186 Trullench *tom.1.in Decalog.lib.1. cap.3. dub.18. num.58.* duo dicit, quæ non placent. Primò, quòd solicitans ad venerea in alijs Sacramentis, vel in vsu illorum est denunciandus, sed non Inquisitoribus, sed suo Superiori, & idem sentit si in Confessione solicitat Confessarius ad alia peccata præter venerea. Secundò dicit, esse vtendum in hac materia, sicut in alijs ante denunciationem correctione fraterna. Circa primum loquendum est cum distinctione; nam certum est, vt dixi, ex iure communi solicitantem in alijs Sacramentis ad venerea, & in Confessione ad alia peccata subijci foro Inquisitorum; sed est attendendum ad praxim, & stylum Tribunalis, & si est iuxta praxim, quòd DD. Inquisitores procedant contra huiusmodi delinquentes, coram illis est facienda denunciatio; si autem non proceditur in aliqua Inquisitione contra hos delinquentes, fiat denunciatio coram Superiore proprio solicitantis.

187 Circa secundum est asserendum, quòd etiam si de hoc delicto cognoscant DD. Inquisitores, vel alij Superiores Ecclesiastici, ante denunciationem non oportet præmittere correctionem fraternam, quia cum sint abusus Sacramentorum contra bonum publicum Ecclesiæ, & fidelium; ideòque generent suspicionem in fide: de solicitatione in Confessione ad alia peccata præter venerem, & in alijs Sacramentis, vel ad venerea, vel ad alia peccata, est discurrendum sicut in alijs delictis generantibus suspicionem in fide, in quibus non est omittenda denunciatio prætextu correctionis fraternæ, vt constat ex Decreto Vrbani VIII. posito *in 1.p. in quæst. de correctione fraterna.*

188 Advertendum tamen est, solicitantem ad venerea in alijs Sacramentis non esse puniendum pœnis contentis in Bulla Gregoriana; nam sicut non fit extensio de vno delicto ad aliud diversi generis, neque de pœnis correspondentibus vni delicto ad alias correspondentes alio diversi generis, licèt in vno, & alio delicto reperiatur idem motivum, vt contingit in præsenti, quia in solicitatione ad venerea in Confessione, motivum est abusus Sacramenti, quod fundat, vt asserit Pius IV. suspicionem

in fide,& qui solicitat ad venerem in alijs Sacramentis, etiam est suspectus in fide propter abusum Sacramentorũ: & vlteriùs licèt in duobus casibus sit abusus Sacramentorum,est motivum superius in Sacramento Pœnitentiæ, quia in eo frequentiùs hoc scelus committitur; nam est Sacramentum quotidianum, in quo propalantur delicta carnis, quæ magis atrahunt,& alliciunt homines; ideòque vt Confessarij se abstineant, magnas pœnas contra huiusmodi delictum taxarunt Summi Pontifices: sicque cum non sint assignatæ pœnæ contra solicitantes ad venerem in alijs Sacramentis, vbi est stylus cognoscendi de hoc delicto, sunt taxandæ ad arbitrium Inquisitorum; & si non est stylus in Inquisitione procedendi contra huiusmodi solicitantes, etiam erunt assignandæ pœnæ ad arbitrium proprij Superioris.

189 Sed quid est dicendum de practica Inquisitionis Hispaniæ, cognoscitur enim in illa solicitatio ad venerem, vel ad alia peccata in alijs Sacramentis? Pro quo suppono idem dubiolum procedere de solicitatione in Confessione ad alia peccata extra venerem. Ad vnum, & ad aliud respondetur non esse facile scire stylum,& praxim Inquisitionis in his materijs, quia rarissimè contingunt, & præcipuè solicitatio ad venerea in vsu aliorum Sacramentorum, nam Sacramentum Baptismi,Confirmationis, Matrimonij,&c.coram multis administrantur, & si solicitatio non fit per signa, non est facile vt fiat. Quod enim multoties evenit,& potest quotidie evenire est solicitatio in Sacramento Pœnitentiæ ad furtum, quia aviditas ad pecunias, sicut inclinatio ad luxuriam, est iuxta inclinationem naturæ humanæ corruptæ. Respondetur ad vtrumque dubiolum, quòd licèt vnum,& aliud delictum solicitationis sit punibile perDD. Inquisitores, non est in Inquisitione stylus, quòd talia exercentes coram Inquisitoribus denuncientur.Ita audivi à viro docto, & versato,& mihi retulit, quòd de hac materia Tribunalia non habent epistolam Supremi Senatus Inquisitionis, quam vocant acordatam, nec in Ædictis fit mentio de his delictis; ideòque stando in praxi Tribunalis est observanda doctrina Trullench

citata,

citata; quoad primum quod dicit; nempè, huiusmodi delinquentes puniendos esse per suos proprios Superiores, & sic coram illis est facienda denunciatio.

190 Contra conclusionem potest fieri hoc argumentum; Fœmina solicitans Confessarium in Confessione non est denuncianda, nec punibilis per DD. Inquisitores: ergo neque solicitans ad venerem in alijs Sacramentis. Probatur consequentia, quia sicut solicitans ad venerem in vsu Sacramentorum est suspectus in fide, ita fœmina solicitans Confessarium in Confessione, quia abutitur Sacramento Pœnitentiæ; sed non obstanti suspicione in fide, huiusmodi fœmina non est punibilis per DD. Inquisitores: ergo neque solicitans ad venerea in vsu aliorum Sacramentorum. Propter hoc argumentum oportet statim resolvere: an fœmina solicitans Confessarium in Confessione, sit denuncianda Tribunali Inquisitionis. Pro quo sit.

§. IV.

AN FOEMINA SOLICITANS CONFESSARIVM SIT denuncianda Tribunali Inquisitionis.

191 HANC quæstionem plures Auctores tractant, sed absque distinctione iuris communis; & particularis. Ægidius Trullench 1.*part. lib.*1.*cap.*3.*dub.*18.*num.*59. resolvit non fore denunciandam fœminam solicitantem Confessarium in Confessione, quia Bullæ Pontificiæ, & Ædicta Inquisitorum in Confessarios solicitantes diriguntur, non autem in fœminas solicitantes; ex quo resolvit huiusmodi fœminas non fore denunciandas Tribunali. Quod tenet verum ex vi iuris particularis, & non propter rationem allatam *num.*6. nempè, quòd istæ sunt leges pœnales, ideòque restringendæ, quia vt dixi, Bullæ contra solicitantes sunt favorabiles. Sententia Trullench, & probationes suæ resolutionis sunt P. Dianæ, qui idem tenet 1.*part. resol.*23. Pro ea enim parte, qua asserit huiusmodi fœminam non fore denunciandam DD. Inquisitoribus virtute Bullæ Gregorij

gorij XV. est vera, quia vt multoties dixi, neque in favorabilibus fit extensio ad diversas personas, & Bulla Gregoriana solùm est contra Confessarios solicitantes, non autem contra pœnitentes. Ex quibus resolvo contra Paramum *de orig. Inquis. lib. 3. quæst. 10. in fine*, huiusmodi fœminam non esse denunciandam Inquisitoribus vigore constitutionum contra Confessarios solicitantes.

192 Tota difficultas est in præsenti, an sit huiusmodi fœmina denuncianda ex iure communi, sicut solicitans ad venerem in vsu aliorum Sacramentorum, talitèr quòd Confessarius teneatur illam denunciare, & quilibet alius audiens hanc solicitationem, quia in Ædictis dicitur: *Si sabeis, ò aveis oìdo dezir*, quæ verba debent applicari ad omnia crimina pertinentia ad Tribunal Inquisitionis. Circa præsentem difficultatem duplex est sententia. Prima negat huiusmodi fœminam solicitantem esse denunciandam Inquisitoribus. Ita tenent Escobar à Corro *de Confess. solicit. par. 1. quæst. 2. num.* 38. citat Acuñam *quæst.* 11. *num.* 1 *&* 7. Freitas *num.* 24. Sousam *tract.* 1. *cap.* 7. *nu.* 4. *& Aphoris. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 12. Santarellum *de hæresi, cap.* 46. *nu.* 4. Ioan. Sanchez *in select. disp.* 11. *num.* 24. Martinum Bonacinam *de onere, & obligat. denunc. disp.* 6. *punct.* 3. *nu.* 17. Castrum à Palao *tom.* 1. *disput.* 9. *tract.* 4. *punct.* 9. *num.* 7. nostrum Peirinum *tom.* 2. *de privileg. Minim. constit.* 4. *Gregorij XV.* § 3. *num.* 8. sed ferè omnes isti Auctores loquuntur vigore Bullarum contra Confessarios solicitantes, & ita se explicat noster Peirinis. Idem defensat Cæsar Carena *part.* 2. *de Confess. solicit. tit.* 6. *nam licèt*, §. 6. *num.* 48. hanc quæstionem vertat in dubium, & dicat quòd hæc res eget Pontificia declaratione inclinat se in hanc sententiam; sed postea, *pàg.* 114. adducit quæstionem in proprijs terminis disputatam per Reverendissimum Patrem Magistrum Ricardum, Ordinis Prædicatorum, Magistrum Sacri Apostolici Palatij; in qua defendit huiusmodi fœminam non esse denunciandam.

193 Sententia secunda ferè est cōmunis, & defensat, quòd

licèt

licèt fœmina solicitans Confessarium non sit denuncianda virtute Bullarum contra solicitantes; benè verò ex iure communi. In primis vix est Auctor ex citatis, qui hoc neget, quia omnes quos vidi loquuntur attendendo ad Bullas speciales contra solicitantes. Hæc sententia in terminis defenditur à Patre Salelles *tom.1. de materijs Inquis. lib.1. cap.16. regul.130. num.74. & seqq. & regul.133. num.232.* idem repetit, & asserit fœminam solicitantem Confessarium esse denunciandam à quovis extra Confessionem talis solicitationis notitiam habente.

194 Sit conclusio: fœmina solicitans Confessarium non est denuncianda DD. Inquisitoribus, nec punibilis per ipsos etiam ex iure divino, sive ex communi. Hęc conclusio sub his terminis à nullo defenditur, sed meo videri in praxi debet esse communis. Probatur primò fundamentalitèr; licèt sit de iure communi denunciandus quicumque abutitur Sacramentis, quia est suspectus in fide, & ita præcipitur per Decretum Vrbani VIII. citati; nihilominus ex ipso iure communi non est denuncianda fœmina solicitans, quamvis sit suspecta in fide: ergo neque ex iure particulari, nec ex iure communi est denuncianda huiusmodi fœmina. Probatur antecedens: sicut est de iure communi, & divino, quòd denuncietur suspectus in fide, ita etiam est de iure communi, quòd si ex denunciatione sequitur maius damnum, quam sit bonum ortum ex ipsa denunciatione, quòd non denuncietur, quia maius malum debet evitari in illis circunstantijs; sed ex eo quòd denuncietur fœmina solicitans est periculum, vt sequatur maius malum, quam sit bonum proveniens ex denunciatione: ergo quòd non denuncietur est de iure communi.

195 Minor, in qua est tota difficultas, ostenditur assignando mala, quæ possunt evenire ex denũciatione fœminę solicitantis. Primũ est retrahere fœminas à denunciatione, quia ex eo quòd solicitat, si Confessarius consentit, potest timere, ne illam denunciet, si illa defert cooperationem Confessarij ad Tribunal Inquisitionis. Secundum, vt Confessarij evitent denunciationem

possent denunciare fœminas, & dicere eas illos solicitasse, tacere consensum, & postea si accedit fœmina ad denunciandum non creditur, & semper timerent fœminæ solicitatæ prudenter hanc præventionem; ergo ex eo quòd denuncietur fœmina solicitans sequitur maius malum, quam sit bonum originatum ex eius denunciatione.

196 Probatur secundò à paritate: quando Confessarius solicitat fœminam, & illa consentit, non potest denunciari à Confessario, nec creditur, nec scribitur, si Confessarius in sua delatione consensum, & cooperationem fœminæ deponat, & hoc est de iure communi: ergo nec est denuncianda fœmina solicitans Confessarium. Probatur consequentia; quia sicut fœmina solicitans abutitur Sacramento Pœnitentiæ, ita fœmina consentiens solicitationi, quia cooperatur ad abusum Sacramenti cum Confessario; sed fœmina consentiens solicitationi ex iure communi, nec est punibilis per DD. Inquisitores, nec est denuncianda: ergo neque fœmina solicitans Confessarium. Probatur hæc consequentia: ratio efficax omittendi denunciationem fœminæ solicitatæ consentientis, etiam si abutatur Sacramento Pœnitentiæ est, quia hoc modo prudentèr retraheretur hæc fœmina à denunciatione Confessarij solicitantis, sed eadem ratio militat in fœmina solicitante, quia ambæ prudentèr timerent delationem Confessarij, vt evaderet pœnas Bullarum contra solicitantes: ergo fœmina solicitans non est denuncianda DD. Inquisitoribus.

197 Neque Audiens extra Confessionem illam fœminam solicitasse Confessarium tenetur illam denunciare ex iure communi, si Confessarius consensit solicitationi, imò potiùs tenetur denunciare Confessarium, quia ita præcipitur in Bullis, & in Ædictis, quia si denunciaret fœminam posset timeri prudentèr illam vocatam negaturam fuisse consensum, & tractatus inhonestos Confessarij, quia saltèm indirectè se proderet, & propalaret suum crimen, quia etiamsi esset benè instructa, & negaret consensum, vel solicitationem propriam ex dicto te-
stis,

stis, qui audivit solicitationem, iam esset magna suspicio provocationis mulieris: ergo neque qui audivit solicitationem mulieris tenetur illam deferre ad DD. Inquisitores, sed tractatus, vel verba illicita, si fuerunt ex parte Confessarij.

198 Fundamentum vnicum Patris Salelles ad stabiliendam obligationem denunciandi fœminam solicitantem ex iure divino, & communi, licèt sufficientèr sit solutum ex dictis in probatione conclusionis, sic brevitèr potest proponi: DD. Inquisitores possunt procedere contra quamlibet personam quomodolibet suspectam in fide; sed fæmina solicitans Confessarium est suspecta in fide, quia abutitur Sacramento Pænitentiæ ad explendam suam libidinem: ergo de iure divino, & communi est denuncianda huiusmodi fæmina DD. Inquisitoribus.

199 Respondetur distinguendo maiorem: DD. Inquisitores possunt procedere contra quamlibet personam suspectam in fide in abstracto, concedo; in concreto circunstantiarũ, nego; itaque cum ex eo, quòd denuncietur fœmina solicitans, sequantur mala enumerata in prima probatione, cum quibus circunstantijs est de iure communi, quòd non practicetur, quòd illis seclusis debet fieri secundum idem ius, hinc est, quòd est secundum ius commune, quòd huiusmodi fœmina non denuncietur; & quotidie hoc evenit in rebus, quæ sunt de iure gentium, & de iure Divino; ideòque optimè dicunt Auctores, quod quando in casibus sunt aliquæ circunstantiæ, ex quibus exercitium iuris est nocivum, est vtendum epyqueia; & tunc est iuxta idem ius, quòd non fiat, quod in alijs circunstantijs, & secundum se est exequendum.

200 Pro coronide oportet scire practicam, & stylum Tribunalis Inquisitionis Hispanicæ, ne in aliquo ab illo recedamus. Iste casus est practicabilis, & multoties evenit. Dico non esse stylum in Inquisitione Hispanica præcipere tales delationes, nec punire fœminas solicitantes, nec provocantes Confessarios ad venerea. Ex quo sumitur efficax argumentum pro nostra conclusione, nam etiam si non sint Bullæ speciales ex generali

facultate, quam habent procedendi contra omnes suspectos in fide, puniunt Inquisitores abusus Sacramenti Pœnitentiæ, vt constat quando pœnitens abutitur Sacramento Pænitentiæ ad habendas divitias, & si aliquis in Confessione evaginaret gladium contra Confessarium: ergo si in his, & similibus casibus, qui rarò eveniunt, contra hujusmodi delinquentes procedunt DD. Inquisitores, etiam si non habeant ius speciale; multò meliùs procederent contra fœminas solicitantes in Confessione, quia hic casus frequentèr contingit, si ex circunstantijs adiunctis ex iure communi possent procedere.

QVÆSTIO V.

VTRVM CONFESSARIVS SOLICITANS AD lenocinium, sit denunciandus.

§. I.
RESOLVITVR QVÆSTIO CVM CONNEXIS.

201 OLIM ante Bullam Gregorij XV. fuit magna controversia apud DD. vt refert Carena *de Offic. Inquis. part. 2. tit. 6. §. 5. num. 25.* an esset denunciandus DD. Inquisitoribus Confessarius solicitans fœminam vt sit lena, vel mediatrix, vt alia fœmina secum habeat copulam, vel alios tractatus inhonestos. Sed quia in Bulla Gregorij XV. disponitur, quòd denuncietur Confessarius qui solicitat ad venerea in actu Sacramentalis Confessionis, sive per se, sive cum alijs, quod etiam intelligendum est de solicitante immediatè ante, vel post, occasione, vel prætextu Confessionis, & in alijs locis, & circunstantijs comprehensis in Bullis, videtur hodie esse absque controversia solicitationem comprehensam in Bulla Gregoriana; allicere, provocare, aut tentare in his, & similibus circunstantijs ad libidinem.

202 Sed quia hoc lenocinium multiplicitèr potest contingere

ex parte Confessarij, ideòque cum distinctione est hæc quæstio decidenda; nam primò potest esse Confessarius lenon solicitando fœminam ad venerea perpetranda cum alio, qui eam desiderat,& vt illam consequatur loquutus fuit suo Confessario, vt mediaret cum illa suasionibus, vel consilijs.Secundò, solicitando ipsam fœminam vt sit lena, vel mediatrix cum alia, vt exerceat libidinem, vel cum ipso Confessario, vel cum alio.Tertiò, solicitando filium Confessionis, vt cum aliqua fœmina habeat amicitiam inhonestam, vel vt reddeat ad eam, quam reliquit, vel solicitando filium Confessionis, vt sit lenon cum aliqua fœmina in favorem Confessarij, vel alterius. Quartò, solicitando vt filia, vel consanguinea fœminæ pœnitentis, vel masculi prostituatur ipsi Confessario, vel alteri personæ. Quintò, quando Confessarius expreßè pecuniam exposcit fœminæ, vel masculo pœnitenti, vt ea mediante consequatur aliam fœminam ad exequendam suam libidinem. Sextò, quando Confessarius postulat à pœnitenti domum suam, vt ibi se videat cum concubina.Omnia ista habent connexionem cum hac quæstione, ideòq; sigillatim de omnibus est tractandum, vt ex his, Confessarij resolvant alios casus similes.

203 Ante resolutionem quæstionis præmitto, quòd hodie post Bullam Gregorij XV. parùm difficultatis habet hæc quæstio, quoad 1.*part.* & secundum mea principia, etiam erat denunciandus huiusmodi Confessarius, qui est lenon, vel mediator in actu Sacramentalis Confessionis exui constitutionum Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. quia Bullæ contra solicitantes sunt favorabiles, ideòque extendendæ quando casus est omninò similis,& non fit extensio ad diversas personas, nec ad diversas pœnas delictorum; sed in lenocinio Confessarij casus est omninò similis, siquidem pertinet ad speciem luxuriæ, persona est eadem expressa in Bullis, quia sunt contra Confessarios solicitantes: ergo non solùm virtute Bullæ Gregorianæ, sed aliarum est denunciandus Confessarius solicitans lenon, vel mediator.

204 Assero primò: Confessarius solicitans fœminam, vt

prosti-

prostituatur cum alio, est denunciandus DD. Inquisitoribus virtute Bullæ Gregorianæ. Ita Thomas Hurtado *tract.4. de Confess. solicit. cap.8. resol.39. num.427.* Cæsar Carena loco citato, D. Ioan. Escobar à Corro *part.1. de Confess. solicit. quæst.3. §.2. num.24. & seqq.* citat Acuñam *quæst.17. per tot.* ibi Freitas *num.13.* Graff. *cons.1. num.41. ad fin. de cognat. spirit.* Ioan. Sanchez *in select. disp. 11. num.47.* Illamque defendunt in proprijs terminis Diana *4. part. tractat.5. resolut.12.* Bonacina *tom.1. disput.6. de onere denunciat. punct.3. num.6. & 18.* Salelles *tom.1. lib.1. cap.16. regul. 131. num.93. & seqq.* Castrus à Palao *tom.1. tract.4. de Confess. solicitant. disp.9. punct.5. num.1.* & est communis. Solùm tenet contrarium Sousa *lib.1. cap.14. num.3. & 4.* qui defensat esse probabile, quòd adhùc virtute Bullæ Gregorianæ non est denunciandus Confessarius lenon.

205 Hæc conclusio breviter probatur verbis Bullæ Gregorij XV. Primò, quia in Bulla præcipitur denunciatio Confessarij solicitantis ad venerea perpetranda, *sive per se, sive cum alijs*; sed Confessarius lenon solicitat ad inhonesta perpetranda cum alijs: ergo vigore Bullæ Gregorianæ est denunciandus Tribunali Inquisitionis. Secundò, quia in eadem Bulla præcipitur denunciare Confessarium, qui in actu Sacramentalis Confessionis, vel immediatè ante, vel post, occasione, vel prætextu Confessionis, &c. cum pœnitentibus illicitos sermones, & tractatus habet; sed Confessarius lenon habet cum pœnitente sermones, & tractatus inhonestos: ergo vigore Bullæ Gregorianæ etiam ex hoc capite est denunciandus. Existimo enim sententiam Sousæ non habere probabilitatem, non solùm quia opponitur sententiæ communi DD. sed quia apertè Bullæ Gregorij XV. contrariatur.

206 Assero secundò, Confessarium solicitantem fœminam vt sit lena, vel mediatrix cum alia, vel vt ipse Confessarius introducatur ad correspondentiam veneream, vel alius esse denunciandum vigore Bullæ Gregorianæ. Ita Auctores citati pro prima conclusione, & addo Laurentium de Peirinis *tom.2. de*

pri-

privileg. Minimor. constit. 4. Gregorij XV. §. 5. num. 16. Trullench *tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 18. num. 49.* Probatur primò ex Bulla Gregoriana, quia licèt iste non habeat cum fœmina pœnitente verba inhonesta ordinata vltimatè ad illam, tamen habet sermones, & tractatus inhonestos, mediante fœmina pænitente, ordinatos ad aliam fœminam; sed hoc est apertè contra Bullam Gregorij XV. ergo huiusmodi Confessarius tenore huius Bullæ denunciandus est Inquisitoribus.

207 Probatur secundò hæc conclusio: Si huiusmodi Confessarius non esset denunciandus, ex eo esset, quia vt dicit Sousa loco citato, non solicitat pænitentem ad venerea, etiam si solicitet ad inhonesta in alio genere, quia lenocinium licèt ordinetur ad venerea, non est actus venereus; sed solicitare pænitentem ad lenocinium, est provocare, & tentare ad actum venereum: ergo Confessarius solicitans fœminam, vt sit lena, vel mediatrix cum alia, vt Confessarius, vel alius cum ista habeat tractatus inhonestos, est denunciandus Inquisitoribus. Probatur minor; lenocinium reputatur gravius peccatum quocumque alio intra genus luxuriæ, vt dicit Gloss. *verb. Eum qui servitute, in l. Athletas, §. Pomponius*; & ratio est, quia lenocinium directè tendit ad copulam, ideòque lenocinium dicitur à leniendo, quia dirigitur ad stupra, & adulteria, blanditijs alliciendo, & provocando ad ista, & similia: ergo provocare pænitentem ad lenocinium, est provocare, & tentare ad actum venereum. Præterea, quia eiusdem generis, & malitiæ est solicitare ad illud quod est medium ad copulam, ac ad ipsam copulam, quia medium ordinatur ad finem; sed lenocinium est medium per se ordinatum ad copulam, vel ad alios tractatus inhonestos: ergo est eiusdem rationis cum solicitatione ad copulam; ac per consequens est provocare, & solicitare ad venerem, quòd est solicitatio denuncianda Inquisitoribus, non solùm tenore Bullæ Gregorianæ, sed etiam aliorum Diplomatum contra Confessarios solicitantes.

208 Ex his deducitur tertia conclusio, scilicèt esse denunciandum Confessarium, qui in Confessione immediatè ante, vel

post,

post, &c. solicitat pœnitentem ad amicitiam inhonestam habendam cum aliqua fœmina, vel vt reddeat ad eam, quam reliquit, & etiam si illum solicitet, vt sit lenon in favorem Confessarij, vel tertij. Hæc conclusio patet ex dictis in antecedentibus, quia in hac provocatione, & allicientia ad venerea Confessarius proprissimè est lenon; deindè in 2. *part.* conclusionis solicitat pœnitentem vt sit lenon; omnia ista sunt in genere veneris, quia, vt dixi, ordinantur ad copulam: ergo Confessarius solicitans in Confessione immediatè ante, vel post vt lenon, vel vt ipse pœnitens mediet ad inhonesta cum aliqua fœmina est denunciandus.

209 Sit quarta conclusio: Confessarius solicitans in Confessione immediatè ante, vel post, &c. pœnitentem fœminam, vel virum, vt soror, filia, vel consanguinea prostituatur ipsi Confessario, vel alijs personis, est denunciandus DD. Inquisitoribus. Hæc conclusio in substantia non distinguitur à conclusione secunda, quia huiusmodi Confessarius solicitat ad lenocinium; nam provocare, & suadere fœminam, vt filia, soror, vel consanguinea ipsi Confessario, vel alijs prostituatur apertè est lenocinium: ergo huiusmodi Confessarius virtute Bullæ Gregorij XV. venit denunciandus.

210 Sit quinta conclusio: Quando Confessarius expostulat pecunias à fœmina sibi confitenti, vt elargiendo illas alteri fœminæ copiam sui faciat, etiam est denunciandus DD. Inquisitoribus; quia licèt petere pecunias secundum se, non sit inhonestum in genere luxuriæ, quod requiritur ad hoc vt Confessarius sit denunciandus virtute Bullæ Gregorianæ; petere illas cum expressione talis finis, est miscere in Confessione sermones inhonestos; sed virtute Bullæ Gregorij XV. huiusmodi Confessarius est denunciandus: ergo si Confessarius à pœnitente expostulet pecunias, vt eas elargiendo alicui fœminæ copiam sui faciat, est denunciandus Tribunali Inquisitionis.

211 Sed est advertendum, quòd si Confessarius pecuniam expostulet à fœmina sibi confitenti, non exprimendo animum elar-

elargiendi alteri fœminæ eam pecuniam, licèt in mente habeat hunc finem lasciviandi, & ex post factis aperiatur intentum, quia tunc nulla fit iniuria Sacramento Pœnitentiæ, nec ratione rei, nec verborum; in hoc casu huiusmodi Confessarius non est denunciandus, quòd autem nulla fuerit illata iniuria Sacramento, nec ratione rei, nec verborum constat; nam postulatio pecuniæ non explicato fine, nihil continet obscœnum, deindè nec ratione finis inhonesti, quia non fuit manifestatus, sed mente retentus: ergo nulla iniuria fuit illata Sacramento Pœnitentiæ, *l. si repetendi 7. C. de condit. ob causam.*

212 Sit sexta conclusio: Si Confessarius petat in Confessione à fœmina pœnitente domum suam, vt ibi adducat concubinam, est denunciandus Tribunali Inquisitionis. Hæc conclusio in proprijs terminis defenditur à P. Diana 4. *part. tract. 5. resol.* 45. & dicit hanc conclusionem esse casum comprehensum in Bulla Gregoriana in illis verbis: *Ad inhonesta, sive inter se, sive cum alijs quomodolibet perpetranda.* Probatur quòd sit casus comprehensus in Bulla, quia non potest negari quòd lenocinium comprehenditur in illis verbis, vt dixi; sed si Confessarius expostulet à pœnitente, vt habeat sibi suam domum paratam, vt in ipsa se videat cum sua concubina, apertè, & directè petit vt lenocinium exerceat, vt constat ex *l. auxilium 37. §. fin. de minorib. l. 1. § fin de extraordin. crimin. loqui. domum* 8. ergo si Confessarius fœminam pænitentem solicitat, vt habeat sibi paratam domum ad se videndum cum sua concubina tenore Bullæ Gregorij XV. est denunciandus.

213 Idem est dicendum, si Confessarius in Confessione, vel immediatè ante, vel póst, vel prætextu Confessionis, &c. tribueret masculo, vel fœminæ chartam, in qua contineretur solicitatio ad lenocinium, vel vt haberet suam domum paratam ad videndam suam concubinam. Probatur, quia sicut in Bulla Gregorij XV. prohibetur solicitatio ad inhonesta inter se, ita cum alijs; sed si Confessarius in Confessione, vel immediatè, vel post, tribueret fæminæ confitenti chartam, in qua contine-

retur solicitatio ad venerea inter ipsum Confessarium,& pœnitentem, esset denunciandus; ergo si tribuit chartam, in qua solicitat, vt pœnitens mediet cum alia fæmina, vel vt sibi habeat paratam domum ad videndam concubinam , cum solicitet ad inhonesta cum alijs est denunciandus. Minor constat ex propositione damnata ab Alexandro VII.ex qua sequitur consequentia.

214 Ex quibus sequitur, quòd si Confessarius diceret pœnitenti, quia in Confessione exprimit eum ex zelotypia concubinæ nolle reddire ad suum amorem lascivum, huiusmodi concubina nullam iniuriam, nec malam fidem fecit tibi, scio enim nihil habuisse cum alio, illa plorat,& est cum magna tristitia; in hoc casu absque dubio esset denunciandus, nam huiusmodi verba sunt maximè allicitiva respectu amassij , & directè talia proferre, est exercere officium lenonis: ergo virtute Bullæ Gregorianæ , huiusmodi Confessarius est denunciandus Tribunali Inquisitionis.

§. II.
ARGUMENTA CONTRARIA.

215 CONTRA istam conclusionem nullum est argumentum magni momenti ; quia est communis ; solùm referam fundamentum Sousæ, quod est huiusmodi. Solùm est denunciandus virtute Bullæ, qui exercet in Confessione immediatè ante, vel post,&c. actum venereum ; sed quando Confessarius solicitat fæminam , vt faciat sui copiam alteri , nullum exercet actum venereum : ergo vigore Bullæ Gregorianæ non est denunciandus. Respondetur negando maiorem: nam vt solicitatio sit comprehensa in Bulla Gregoriana , non requiritur quòd sit actus venereus, sed sufficit quòd sit illicitus intra genus luxuriæ, aliàs quando Confessarius solicitat verbis fæminam in Confessione, vt postea exerceat cum illa actum venereum, non esset denunciandus Confessarius, quia in Confessione non exercet actum venereum. Quare si in hoc casu absque controversia

est

eſt denunciandus Confeſſarius, quia licèt non exerceat actum venereum, ordinatur ad illum; ſimilitèr quando Confeſſarius eſt lenon, ſiquidem ſolicitatio habet pro fine actum venereum exercendum cum alio.

216 Contra ſecundam concluſionem poteſt fieri hæc inſtantia: ſolicitatio Confeſſionis vt mediet fæmina pænitens cum alia fæmina ad libidinem Confeſſoris, vel alterius explendam, non eſt caſus comprehenſus in Bulla Gregorij XV. ergo non eſt denunciandus Confeſſarius qui ſolicitat fæminam pænitentem, vt ſit lena, vel mediatrix cum alia, vel ad explendam libidinem Confeſſoris, vel alterius. Probatur antecedens, quia Bulla Gregoriana ſolùm præcipit denunciare Confeſſarium qui ſolicitat fæminam pænitentem ad venerea perpetranda, vel cum ipſo Confeſſario, vel cum alijs, vt conſtat ex illis verbis: *Vel per ſe, vel cum alijs*; ſed in hoc caſu non ſolicitat fæminam, neque vt ipſa perpetretur actum venereum cum illo, nec cum alijs; ſed vt ſit mediatrix, vt exerceatur ab alia fæmina: ergo ſolicitatio fæminæ pœnitentis, vt ſit mediatrix cum alia, non eſt caſus comprehenſus in Bulla Gregorij XV.

217 Reſpondetur primò ad hoc argumentum, quòd dato, & non conceſſo, quòd vigore illorum verborum *Per ſe, vel cum alijs*, non ſit talis ſolicitatio Confeſſarij caſus comprehenſus in Bulla Gregoriana, propter illa verba: *Illicitos ſermones, vel tractatus habuerint*, comprehenditur iſte caſus in Bulla, quia eſt ſolicitatio ad lenocinium, quod pertinet ad genus luxuriæ. Reſpondetur ſecundò, huiuſmodi ſolicitationem eſſe caſum comprehenſum in Bulla, etiam tenore illorum verborum: *Per ſe, ſive cum alijs*, quia ſolicitatur fæmina pænitens, vt provocet, & alliciat aliam fæminam ad actum venereum, quòd eſt idem ac ſolicitare, vt cum alia habeat tractatus pertinentes ad genus luxuriæ.

218 Contra quintam concluſionem poteſt fieri hoc argumentum: petere pecunias à pœnitente non eſt ſolicitatio ad venerea: ergo etiam ſi illas petat, vt his mediantibus Confeſſa-

rius adimpleat fornicationem cum alia fœmina non est denunciandus. Probatur consequentia, vt sit solicitatio venerea, debet esse solicitatio ad aliquod malum determinatè; sed etiam si Confessarius explicet suam libidinosam intentionem pœnitens non solicitatur determinatè ad malum: ergo etiam si petat pecunias explicando animum libidinosum non est denunciandus. Probatur minor, huius pecuniæ largitio facta à fœmina confitente non est mala, quia potest benè exerceri, nam potest dare pecunias Confessario, vel ex motivo iustitiæ, vel liberalitatis, vel misericordiæ; sed quod potest benè exerceri non est malum: ergo etiam si Confessarius explicet suum animum libidinosum pœnitens, nec provocatur, nec solicitatur ad malum.

219 Parificatur hæc obiectio: si Confessor solicitaret pœnitentem, vt domum suam locaret meretrici publicæ, etiam si Confessarius explicet suam intentionem, scilicèt esse illam locationem, vt mulier meretricetur non solicitaret ad venerea; nulla alia ratione, nisi quia locatio domus, etiam si explicetur à Confessario esse ad meretricandum, potest fieri licitè, scilicèt non vt fœmina exerceat venerea, sed vt domum locet; vt tenent: Vazquez *tom. opuscul. in tract. de scandalo, dub.* 5. *num.* 38. Læsius *lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 7. Valencia 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 71. *punct.* 4. & alij quos citat; sed in nostro casu etiam si Confessarius explicet animum libidinosum, fœmina pœnitens potest licitè exercere elargitionem pecuniæ: ergo illam non solicitat ad actionem determinatè malam; ac per consequens loco panis non porrigit venenum; ideòque huiusmodi Confessarius non est denunciandus.

220 Respondetur ad argumentum distinguendo antecedens, petere pecunias à pœnitente non est malum si Confessarius non explicat eas esse ad exercenda venerea cum alia fœmina concedo antecedens, si explicat hunc fœminem libidinosum nego antecedens; quia si Confessarius exprimit illas pecunias esse ad consequendam aliam fœminam, vt cum ea habeat

copu-

copulam, aut alia inhonesta, largitio pecuniarum non potest honestari ex parte fœminæ, quia est auxilium ad peccatum; ac per consequens donando illas Confessario cooperatur cum illo ad peccatum luxuriæ, quia licèt secundum se donatio pecuniarum non sit mala, cum his circunstantijs vitiatur, & est actio inhonesta; per quod patet ad probationem.

221 Ad paritatem respondetur cum distinctione, solicitatio locationis domus pro meretrice, vt sui copiã faciat, non est provocatio ad venerea, si in alio loco fœmina meretricatur, cõcedo maiorem; si in alio loco benè viveret, nego maiorem; Auctores enim citati solùm dicunt huiusmodi locationem esse licitam, quando aliundè fœmina est determinata ad luxuriandum, & cum illa locatione solùm offertur commoditas ad sic vivendum, sicut enim locare domum non vt habeat fœmina commoditatem tantum, sed vt luxuriosè vivat, quæ in alio loco non sic viveret, est malum determinatè, & si ad hoc Confessarius solicitaret fœminam pœnitentem esset denunciandus; similitèr quando solicitatur ad pecunias elargiendas, vt cum illis cum alia fœmina luxurietur, quia sicut in primo casu, solicitatio ex circunstantijs contrahitur ad genus luxuriæ, ita in secundo.

222 Contra sextam conclusionem arguit Sousa loco citato, *num*.8. donatio domus, vt ibi Confessor se videat cum amasia, potest fieri licitè à pœnitente: ergo non est solicitatio ad rem inhonestam. Probatur antecedens cum paritate posita numero antecedenti; si enim Confessor haberet concubinam, & in Confessione, vel immediatè ante, vel post, &c. à pœnitẽte exposceret vt domum locaret concubinæ, etiam si pœnitens sciret cum illa peccaturum Confessarium, non esset solicitatio comprehensa in Bulla, quia hoc ex natura sua non est malum, & potest benè exerceri: ergo neque erit mala donatio domus, vt ibi Confessor se videat cum amasia. Probatur consequentia, nam ex eo locatio domus non est mala, quia potest exequi sine peccato; sed etiam donatio domus potest exerceri sine peccato: ergo huiusmodi

dona-

donatio, vt Confessarius se videat cum sua concubina, non est mala. Probatur minor: vt in hoc casu donatio domus, honestetur, requiritur aliqua necessitas, vt graves Auctores docent; hæc enim necessitas facilè potest inveniri in fæmina pœnitente, scilicèt ne Confessarium inimicum habeat; si dependet ab illo in aliqua commoditate temporali, ne illam perdat, & alia huiusmodi: ergo donatio domus potest exerceri sine peccato, ac per consequens solicitare ad hoc, non est provocare ad malum, quod requiritur vt sit solicitatio denuncianda.

223 Respondetur negando antecedens, quia donatio domus, vt aliquis ibi se videat cum concubina, est idem ac cooperari moralitèr ad peccatum luxuriæ; ad probationem iuxta dicta est distinguendum antecedens: locatio domus non est mala, si scias in alio loco fæminam non posse luxuriam exercere cum Confessario, nego antecedens; si etiamsi non locetur domus, eodem modo explebunt suam libidinem, concedo antecedens. Itaque in hoc casu solùm Confessarius petit locationem à pœnitente, & in hoc solùm cooperatur quod non est malum, quòd non contingit quando Confessarius petit domum à pænitente, vt se videat cum sua concubina, quia hæc actio, attentis circunstantijs, non potest honestari; cum ad minus sit peccaminosa in genere luxuriæ propter periculum proximum lasciviandi; cumque Confessarius solicitet, vt fæmina pænitens cooperetur ad actionem connexam cum periculo proximo, solicitat ad malum intra genus luxuriæ, ideòque huiusmodi Confessarius denunciandus est.

224 Ad illud quod dicitur, quòd vt donatio domus honestetur, requiritur aliqua necessitas, quæ facilè invenitur, scilicèt ne Confessarium inimicum habeat, si dependeat ab illo in aliqua commoditate temporali, & alia huiusmodi. Vt autem Thomas Hurtado *tract.*4.*cap*.8. *resolut*.39. hanc sententiam Sousæ contra communem intelligentiam confirmet, facit paritatem cum alia sententia, quam sequutus fuit Castrus à Palao *tom*.1. *tract*.6 *disp*.6.*punct*.11. in illa enim statuit posse honestari in famulis

mulis portare scalam Dominis suis ad ascendendum domum concubinæ per fenestram, deferre litteras amatorias amasio, & alia huiusmodi, si id faciant metu notabilis detrimenti; puta, ne à Domino malè tractentur, ne torvis oculis aspiciantur, ne domo expellantur, quæ est Propositio 51. damnata ab Innocencio XI. sicut enim hoc in praxi nullam habet probabilitatem, ita similitèr quòd sit licitum, & honestetur donare domum Confessario, vt se videat cum sua concubina, si hæc ab illo dependet in aliqua commoditate temporali.

225 Vt autem intelligas falsitatem huius doctrinæ coincidere cum doctrina damnata ab Innocencio XI. ponam motivum damnationis. Licèt verum sit, quòd portare scalam, & aperire ianuam concubinæ, & alia huiusmodi abstracta à circunstantijs non sint mala, sed actiones indifferentes, tamen attentis circunstantijs, quòd fœmina cognoscitur à famulo, vt concubina Domini, & quòd Dominus quando illam visitat frequentèr cadit, omnes istæ actiones adiubant ad exercerdam luxuriam Domini, ideòque non possunt honestari, etiam si Herus malè tractet servum, vel omittendo hæc, vel resistendo quamvis amittat commoditates temporales, quia hæc exercendo, semper cooperatur ad peccatum Heri. Ita Pater Cardenas explicando hanc propositionem; aliæ autem sunt actiones, quæ non adiubant ad exercendam luxuriam, & istæ non sunt illicitæ, vt si concubina existens in domo Heri peteret à famulo aquæ poculum, quia ministratio aquæ non adiubat ad exercendam luxuriam; cum autem ministratio propriæ domus, vt Confessarius videat suam concubinam de facto adiubet ad exercendam luxuriam, non autem locatio domus; hinc est, quòd si Confessarius petat in Confessione à fæmina pœnitente suam domum, vt ibi videat suam concubinam est solicitatio comprehensa in Bulla, non autem si petat, vt domus locetur.

226 Ex quibus infero contra eundem Hurtado loco citato, *num.* 435. quòd si Confessarius in gratiam Heri solicitaret

famu-

famulum in Confessione, vt imponeret humeros ad ascendendum domum per fenestram ad loquendum cum sua concubina, vel vt portaret scalam, vel litteras amatorias, vel aperiret ianuam ad ingrediendum domum, vt illam visitet, foret denunciandus DD. Inquisitoribus, quia solicitaret ad cooperationem cum Domino ad peccatum intra genus luxuriæ, quod reducitur ad lenocinium.

227 Sed pro coronide se offert quoddam dubiolum resolvendum, quod movet Diana 1. *part. de sigillo Confessionis, tract.* 11. *resol* 34. an si Confessarius, qui invitus audit Confessionem ad dicta solicitat, vel ad venerea inter se, & fæminam confitentem, vel in Confessione, vel immediatè ante, vel post, &c. sit denunciandus DD. Inquisitoribus? Miror quòd D. Ioan. Escobar à Corro 1. *part. quæst* 2. *num.* 64. vir eruditus, & versatus in materijs Sanctæ Inquisitionis, resolvat pro parte negativa; & ratio illius est, quia si in Confessione ante, vel post Confessarius fæminam solicitat, pænas evadit, quia videtur nullam inferre iniuriam Sacramento, qui voluntatem illud conficiendi non habet, vel hæc voluntas proveniat ex reverentia, aut alio ex fine.

228 Hæc enim doctrina non potest sustineri, & est reijcienda à praxi Tribunalis, vtpotè clarè opposita non solùm Bullæ Gregorij XV. sed etiam omnibus Diplomatibus Pontificijs contra solicitantes. Ratio est clara, quia licèt Confessarius renitens accedat ad audiendam Confessionem, ex quocumque capite hæc renitentia procedat, si semel audit Confessionem, habet voluntatem illam audiendi; sed ex eo quòd illam audiat, debet facere quod exigit Sacramentum; nempè, debet adhibere medicinam, & non venenum: ergo si solicitat ad venerea est denunciandus, quia non adhibet medicinam, sed venenum, quod est comprehensum in Bullis; ideòque abutitur Sacramento Pænitentiæ, & est denunciandus, vt suspectus in fide.

229 Hoc parificatur cum doctrina Dianæ loco citato, etiam si Confessarius retinens audiat Confessionem, si frangit sigillum Sacramentale, debet puniri omnibus pœnis latis contra frangen-

gen-

gentes sigillum, nulla alia ratione nisi quia, & si invitus audiat, debet facere omnia quæ exigit Sacramentum Pœnitentiæ; ergo etiam si renitens audiat Confessionem, cum debeat facere omnia quæ exigit Sacramentum Pœnitentiæ, si solicitat in Cõfessione immediatè ante, vel post, &c. ad venerea, aliquo ex dictis modis est reus pœnarum quæ continentur in Bullis contra Confessarios solicitantes, ac per consequens vt præcipitur in Bulla Gregoriana, & in Ædictis, est denunciandus Tribunali Inquisitionis.

230 Corroboratur hæc resolutio ab inconvenienti, quia si hoc modo Confessarius evaderet denunciationem, quando aliqua fæmina accedit ad illum animo confitendi, potest differre Confessionem, dicendo: habeo magnam repugnantiam audiendi Confessionem Sacramentalem, quia valdè timeo administrare Sacramentum Pœnitentiæ, & postea solicitare; imò potiùs exprimendo causam renitentiæ posset dicere: timeo, quia sum maximè tentatus ad luxuriam, & præcipuè quando audio Confessionem à fæminis pulchris, & hoc medio inciperet solicitationem, & tentaret fæminam; sed hoc esset aperire viam ad fugiendam denunciationem, & pœnam in Santo Officio, quod non est audiendum: ergo neque contraria sententia sustinenda, quia hoc modo Confessarij solicitantes liberiùs solicitarent.

QVÆSTIO VI.

AN CONFESSARIVS QVI CONCVBINAM IN CONFESsione de zelotypia arguit, sit denunciandus.

§. VNICVS.

DECISIO QVÆSTIONIS PONITVR.

231 SERAPHINVS Freitas *in noviss. edit. de Confess. solicit. quæst. 2. num. 21.* existimat casum contentum in quæ-

stione, quoad forum externus esse fictitium; quia si concubina confiteatur sua peccata commissa in materia venerea cum alijs suo amasio,& iste in Confessione illa peccata acritèr reprehendit, licèt procedant verba in Confessario ex zelotypia, sonant reprehensionem peccatorum, quam debet adhibere Confessarius ex suo munere; sed quoad forum exterius illa reprehensio est iusta, & nullatenus abusus Sacramenti: ergo dicere quòd Confessarius arguit in Confessione de zelotypia, est casus fictitius.

232 His non obstantibus, non iudicant graves Auctores hunc casum fictitium, nam de illo disputat Ioann. Sanchez *in select. disp.* 11. *num.* 32. Fagundez *ad* 2. *Eccles. præcept. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 63. D. Ioan. Escobar à Corro 1. *part quæst.* 3. *num.* 36. Diana 4. *part. tract.* 5. *resolut.* 43. Trullench *tom.* 1. *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *num.* 46. prope medium,& alij. Quare cum his Auctoribus resolvo, quòd si Confessarius in Confessione acritèr obiurgaret suam concubinam pro peccatis commissis cum alijs, talitèr quòd verba sonarent zelotypiã; vulgò, *zelos lascivos*, huiusmodi Confessarius esset denunciandus DD. Inquisitoribus, non solùm tenore Bullæ Gregorij XV. sed etiam aliarum Bullarum contra Confessarios solicitantes. Præter Auctores citatos, hanc sententiam tenet Salelles *tom.* 1. *cap.* 16. *regul.* 134. *num* 056. & dicit non solùm esse denunciandum qui arguit concubinam in Confessione de zelotypia, sed etiam ex vi Decreti Pauli V. si illam increpat de mala correspondentia in Confessionali,& vigoro Bullæ Gregorianæ, si hæc fiant simulando Confessionem, prætextu, vel occasione Confessionis, ea etiam non sequta.

233 Hæc conclusio probatur primò, obiurgare concubinam in Confessione; id est, *pedirla zelos*, est solicitatio ad venerea, intra terminos Bullæ Gregorianæ comprehensa: ergo arguere de zelotypia concubinam in Confessione, est casus denunciandi Confessarium. Probatur antecedẽs, quia huiusmodi actio est provocativa, vel tentativa ad lasciviam, quia ad minus est signum ostendens lascivum amorem: ergo obiurgare concubi-

nam in Confessione immediatè ante, vel post, &c. est solicitatio ad venerea; quare denunciandus est Confessarius qui in Confessione immediatè ante, vel post, &c. arguit de zelotypia.

234 Quòd autem talis obiurgatio sit signum ostendens lascivum amorem, suadetur; nam aliquem se manifestare zelosum, non est aliud, quam declarare se pœnitere, quòd alius, & non ipse solus sit particeps amoris lascivi fæminæ; quare arguere fæminam de zelotypia, nihil est aliud, quam dicere, doleo quòd afferas causam discontinuandi nostrum affectum, & amorem, quia non potest meus affectus sustinere, quòd alius tui favoris sit particeps; sed hoc ad minus est habere in Confessione, vel immediatè ante, vel post sermones inhonestos: ergo est solicitatio comprehensa in Bulla Gregoriana, vt constat ex illis verbis: *Aut cum eis illicitos sermones, &c.*

235 Probatur secunda conclusio: Nam proferre talia verba non potest non coinquinare splendorem, & puritatem tam Venerabilis Sacramenti: ergo arguere de zelotypia in Confessione immediatè ante, vel post, &c. est solicitatio comprehensa in Bulla. Probatur antecedens: finis prædictorum verborum est attrahere fæminam ad amorem Confessarij, & eam dissuadere ab alieno in ordine ad augendum proprium, ex quibus verbis illa magis incenditur, quia format iudicium ex zelotypia, quòd amor Confessarij est verus, & non fictus; sed hæc ostendere, & dicere in Confessione coinquinat splendorem, & puritatem Sacramenti Pœnitentiæ. ergo talia verba proferre coinquinat Sacramentum Pœnitentiæ: ergo arguere de zelotypia in Confessione immediatè ante, vel post, &c. est solicitatio ad venerea comprehensa in Bulla Gregorij XV.

236 Ex quibus deducitur, quod P. Salelles loco citato, optimè advertit; nempè, non solùm esse casum denunciabilem arguere de zelotypia in Confessione, sed etiam immediatè ante, vel post, & etiam prætextu, & occasione Confessionis, etiam Confessione non sequuta, vel simulando Confessionem, vel in Confessionali, quia ex eo quòd in his circunstantijs, & locis de-

tur solicitatio, provocatio, vel tentatio, aut allicientia ad venerea, aut cum pœnitentibus habeant Confessarij sermones, & tractatus inhonestos, quomodocumque ex his modis fiat, Confessarius, vt solicitans est denunciandus, vtpotè exercens solicitationem comprehensam in Bullis.

237 Sed est advertendum, quòd licèt Confessarius acritèr reprehendat suam concubinam de peccatis confessis quæ commisit cum vxoratis, & liberis, non ex eo est denunciandus, quia licèt ex acrimonia qua arguit de illis peccatis, detur aliqua præsumptio, quòd procedit reprehensio ex zelotypia, cum aliundè ad Officium Confessarij pertineat gravia peccata acritèr increpare, est præsumendum hoc non esse zelotypiam, sed ad impletionem muneris Confessarij, exortando fœminam pœnitentem ad detestationem illorum criminum, & futuram emendationem.

238 Sed quid est resolvendum casu, quo fœmina confiteretur de peccatis cum alijs, & cum ipso Confessario, & iste gravius reprehenderet peccata commissa, v.g. cum liberis, quam peccata patrata cum eo? Respondetur in hoc casu, Confessarium esse denunciandum, quia ex eo quòd peccata patrata cum alijs acritèr reprehendat, quæ minora sunt, & de commissis cum illo quæ sunt gravissima, vtpotè sacrilegia, nihil, vel parùm blandè dicat insurgit præsumptio vehemens, quòd talis increpatio non fuit ex zelo Dei, & vt suum munus impleat, sed talem obiurgationem esse zelotypiam, hæc, vt dixi, est solicitatio denuncianda: ergo huiusmodi Confessarius est denunciandus.

239 Ex dictis insurgit primum dubiolum: An si iste Confessarius non argueret de zelotypia, & postea extra occasionem Confessionis, & non in Confessionario, sed vel domi, vel alio in loco solicitaret illam fœminam, quæ iam est filia spiritualis, esset denunciandus vt solicitans? Respondetur, non esse denunciandum; ita noster Peirinis *tom. 2. privileg. constitut. 4. Gregorij XV. §. 5. num.* 18. & ratio est clara, quia solùm per prædictam Bullam subijcitur foro Inquisitorum Confessarius solicitans in

Con-

Confessione immediatè ante, vel post, &c. sed huiusmodi Confessarius non solicitat in Confessione, nec in locis, & circunstantijs comprehensis in Bulla: ergo non est denunciandus Tribunali Inquisitionis.

240 Sed caveant Confessarij, & abstineant ab audiendis Confessionibus fæminarum, cum quibus habent tractatus turpes, & inhonestos, & fæminæ ne confiteantur illis sua peccata. Primò, quia Confessarij complices peccati blandè increpant, & reprehendunt, cum timeant ne fæminæ avertantur à suo amore lascivo, & præcipuè si fæminæ non sunt perditæ vitæ, & timent pœnas Inferni; hoc enim modo facilè cooperantur ad sacrilegam Confessionem, quia si aliundè non habent firmum propositum non peccandi, illas non adiubant, etiam si acritèr reprehendant, quia fæminæ parùm moventur dum vident Confessarium in eodem crimine comprehensum. Secundò, quia si sunt cum fœminis pœnitentibus in occasione proxima peccandi, non denegant absolutionem, cum hoc esset amittere huiusmodi fæminam ad luxuriandum. Tertiò, quia est valdè periculosum audire peccata venerea commissa cum illo, quia ex auditis facilè movetur Confessarius ad provocandam, vel tentandam illam fœminam, vt cum illa in Confessione alia enormia carnalia crimina committat.

241 Quare existimo convenientissimum, si cum magno rigore efficacitèr prohiberetur, ne Confessarius audiret Confessionem à fœminis, cum quibus habuit peccata contra 6. Decalogi præceptum; si hoc enim esset prohibitum talitèr, quòd Cõfessarius esset denunciandus, gravissima peccata evitarentur, quæ vtinam his temporibus non essent tam frequentia, & plures fæminæ honestæ hac via facilitantur ad committenda, & continuanda enormia sacrilegia cum periculo æternæ damnationis, quæ crimina non committerent si non haberent spem consequendi absolutionem complicis delicti. Discurrant Pastores Ecclesiæ remedium ad hanc pestem eradicandam, & vt sit efficaciùs, & generale, recurrant ad Sanctissimum, quia audivi,

quod

quod in Diœcesi Pampilonensi iam hoc est prohibitum, sub nullitate absolutionis, & alijs pœnis.

242 Secundum dubiolum est: an peccatum carnale habitum cum filia spirituali extra Confessionem, & occasionem Cōfessionis, aliquomodò possit pertinere ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis? Respondetur, quòd duobus modis indirectè potest pertinere. Primo, si ad facilitandum ad peccatum diceret Confessarius filiæ spirituali, illud crimen carnale, ad quod solicitat, non esse peccatum, quia cum hoc dicere sit hæresis Sectariorum, sub excommunicatione, filia spiritualis tenetur huiusmodi Confessarium denunciare, ac per consequens eius solicitatio indirectè pertinet ad Tribunal Inquisitionis. Secundo modo, dicit D. Ioan. Escobar *part.* 1 *quæst.* 11. *num.* 25. quòd potest indirectè pertinere ad DD. Inquisitores, vt ex his solicitationibus deducant contra Confessarium suspicionem ad corroborandas alias probationes de delictis pertinentibus directè ad Tribunal, & ad aggravandum facinus Confessarij, & consuetudinem peccandi in materia solicitationis ad venerea. Et ego addo, quòd non rarò evenit: si quando Confessarius solicitat diceret fæminæ, quæ resistit solicitationi propter Confessionem futuram illius peccati, ne timeas, ego enim audiam, & absolvam de peccatis; nam hoc est solicitare, & provocare prætextu Confessionis.

243 Dubiolum tertium est: an saltem habere tractatus inhonestos cum filia Confessionis, sit circunstantia aperienda in Confessione? Respondetur, quod est valdè probabile, quod est circunstantia aggravans, & præcipuè si sit proprius Parochus, quia ex officio habet obligationem avertendi ab his, & alijs peccatis suas oves; quare secundum istam sententiam, in opinione defensante, circunstantias notabilitèr aggravantes esse aperiendas in Confessione, hæc circunstantia debet confiteri; sed stando in sententia negante, circunstantias notabilitèr aggravantes esse confitendas, ex hac parte non est aperienda hæc circunstantia, quòd copula, vel aliud inhonestum fuit habitum cum filia spirituali. Deindè neque est circunstantia mutans speciem: ergo

non

non est aperienda in Confessione. Nec contra hoc facit textus *in cap. omnes 8. quæst. 30.* vbi dicitur, quòd sicut ex Baptismate solemni oritur cognatio spiritualis, ita etiam in Sacramento Pœnitentiæ: ergo sicut cognatio spiritualis est circunstantia mutans speciem aperienda in Confessione, ita etiam cognatio spiritualis orta ex Confessione Sacramentali. Non enim hoc vrget, quia vt explicant omnes Theologi, & Canonistæ quoad Sacramentum Pœnitentiæ, dicitur illa cognatio impropria, ideòque habere copulam cum filia spirituali, non est circunstantia aperienda in Confessione, quia non mutat speciem sicut in Baptismate.

244 Solùm in vno casu est salubre consilium, quòd Confessarius qui habuit copulam cum fæmina, illam confiteatur, imò addo, quòd tenetur confiteri huiusmodi fæminam, & est quando est valdè timida, & habet maximam verecundiam ad aperiendum hoc peccatum alteri Confessario; ideòque cum resolutione dicit Confessario cum quo peccavit: cum alio nunquam manifestabo hoc crimen; in hoc enim casu tenetur audire suam Confessionem, quia aliàs illa fæmina periclitaretur, & est maximum periculum, ne occupata verecundia taceat illud, vel alia peccata carnalia, & sacrilegè confiteatur cum alijs, & accedat ad Sacram Eucharistiam.

QVÆSTIO VII.

VTRVM LAICVS SE FINGENS SACERDOTEM, *& solicitat in Confessione, sit denunciandus Inquisitioni.*

§. I.

QVÆSTIONI RESPONDETVR.

245 DVPLEX modus est considerandus in hac materia. Primò est: an laicus se fingens Sacerdotem, & solicitans, sit denunciandus virtute Bullæ Gregorij XV. & aliarum con-

contra Confessarios solicitantes? Secundò est: an ex alio capite, huiusmodi laicus sit denunciandus? Circa primum est maior difficultas, vel vt melius dicam, aliqua controversia; quia D. Ioan. Escobar à Corro iudicat probabiliùs huiusmodi laicum fore denunciandum Inquisitoribus virtute Bullæ Gregorij XV. ita tenet 1. *part. quæst.* 2. *num.* 27. hanc sententiam existimat esse probabilem Thomas Hurtado *tract.* 4. *cap.* 7. *resol.* 12. *num.* 119. & pro ea citat Gigtivez *de casibus reservatis, cap.* 14. *num.* 6.

246 Sed existimo hanc quæstionem resolvendam esse pro parte negativa, & iuxta illam dico laicum se fingentem Sacerdotem, & solicitantem in Confessione non esse denunciandum DD. Inquisitoribus virtute Bullarum contra Confessarios solicitantes. Ita Bonacina *tom.* 1. *disp.* 6. *de onere denunciandi*, *punct.* 3. *num.* 8. *propos.* 2. Carena *de Offic. Inquis. par.* 2. *tit.* 6. §. 5. *num.* 21. noster Trimarchius *de Confess. abutente, disp.* 7. *sect.* 1. Salelles *tom.* 1. *lib.* 1. *cap* 16. *regul.* 128. *num.* 39. Ioann. Sanchez *in select. disp.* 11. *num.* 36. Trullench *tom.* 1. *lib.* 1. *dub.* 18. *num.* 81. citatque Sousam, Acuñam, & alios, Castrus à Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 9. *punct.* 9. *num.* 5. Diana 1. *par. tract.* 4. *de denunciat. resol.* 15.

247 Probatur hæc conclusio. Primò, quia Bullæ Pauli V. Pij IV. Clementis VIII. & Gregorij XV. solùm loquuntur de Sacerdotibus solicitantibus in Confessione: ergo vi harum Bullarum non sunt denunciandi laici se fingentes Sacerdotes, & solicitantes in Confessione. Probatur consequentia, quia vt dixi, etiam si Bullæ, vel privilegia favorabilia sint non sunt extendenda ad personas non contentas in illis; ideòque si pœnitens solicitat in Confessione, vel abutitur Sacramento Pœnitentiæ non est denunciandus vigore harum Bullarum contra solicitantes, quia est persona non expressa in Bullis; sed huiusmodi Bullæ contra solicitans solùm exprimunt Sacerdotes: ergo vi earum non est punibilis per DD. Inquisitores laicus se fingens Confessarium, & solicitantem in Confessione.

248 Probatur secundo à paritate: ante Bullam Gregorij XV. sententia communior defensabat non esse denunciandum Con-

Confessarium solicitantem in Confessione masculum tenore Bullarum contra solicitantes; non alia ratione, nisi quia Bullæ solùm erant contra Confessarios solicitantes fæminas; sed Bullæ solùm diriguntur contra Sacerdotes solicitantes, non autem contra laicos se fingentes Sacerdotes, & solicitantes in Confessione: ergo tenore harum Bullarum non est denunciandus Confessarius fictus, qui est laicus, & solicitat in Confessione.

249 Idem est dicendum si Clericus ordinibus minoribus initiatus, vel Subdiaconus, vel Diaconus se fingerent Confessarios, & solicitarent in Confessione, quia nullus istorum est Confessarius, cum non habeat, nec potestatem Ordinis, nec iurisdictionis, & Bullæ solùm diriguntur contra Confessarios solicitantes in Confessione; quarè solùm sunt personæ expressæ in Bullis, qui ad minus habent potestatem Ordinis ad absolvendum à peccatis. Idem sentio de illo, qui non est Sacerdos, & delegatur ab Episcopo ad absolvendum à censuris, quia huiusmodi absolutio non est Sacramentalis; ac per consequens, iste non est Confessarius; ideòque non comprehenditur in Bullis contra Confessarios solicitantes.

250 Fundamentum Ioann. Escobar à Corro potest hoc modo ponderari: in Bulla Gregorij XV. non solùm præcipitur denunciatio de solicitatione ad venerea facta in vera Confessione, sed etiam de illa, quæ fit prætextu, vel occasione Confessionis, vel simulando Confessionem; sed licèt quando laicus se fingit Confessarium, & audit Confessiones non solicitet in vera Confesſione, solicitat tamen prætextu, & occasione Confesſionis, & simulando Confesſionem: ergo est denunciandus tenore Bullæ Gregorij XV. Potest hoc confirmari; quia talis laicus, vel Clericus non Sacerdos, qui audit peccata, tenetur ad sigillum, etiam si Confessio non sit Sacramentalis: ergo etiam si Confessio non sit Sacramentalis, si in illa solicitat ad venerea, est reus Bullæ Gregorij XV.

251 Respondetur distinguendo maiorem: In Bullis non solùm præcipitur denunciatio de solicitatione facta in vera Con-

fessione, sed etiam prætextu, & occasione Confessionis, si fiat à Confessario, concedo maiorem; si ab alio fiat, nego maiorem; nam licèt verum sit, quòd in nostro casu sit eadem ratio expressis in Bulla, sed non eadem persona, & ad personas non expressas in legibus, vel constitutionibus non fit extensio. Ad confirmationem admitto antecedens, & nego consequentiam, quia etiam est sententia plausibilis, quòd audiens ex proposito peccata, quando pœnitens confitetur, tenetur ad sigillum; & si signis, vel verbis tunc solicitaret, non esset denunciandus, quia non est Confessor; idemque est dicendum in nostro casu.

§. II.

COROLLARIA EX DICTIS REFERVNTVR.

252 SVPPOSITO, quòd huiusmodi Confessarius non sit denunciandus vigore Bullæ Gregorij XV. quia propriè non est Confessarius, se offert primum dubiolum: an sit denunciandus ex iure communi, vel ex specialibus Diplomatibus Pontificijs? Respondetur primò, quòd est denunciandus ex iure communi, quia iste abutitur Sacramento Pœnitentiæ, ac per consequens est suspectus in fide; sed DD. Inquisitores possunt procedere ex iure communi contra omnes quomodolibet suspectos in fide: ergo ex iure communi est denunciandus laicus, qui fingens se Sacerdotem, solicitat in Confessione.

253 Respondetur secundò, quòd licèt DD. Inquisitores non possint procedere contra laicum se fingentem Confessarium, & solicitantem in Confessione ex dispositione speciali Pontificum contra Confessarios solicitantes, benè verò ex vi Bullarum contra laicos, vel Ecclesiasticos non Sacerdotes audientes Confessiones; ita enim constat ex constitutionibus Pauli IV. Gregorij XIII. Sixti V. & Clementis VIII. & in his constitutionibus disponitur, quòd huiusmodi criminosi non reconcilientur, etiam si sint veri pœnitentes, sed tradantur Curiæ Sæculari. Idem statuit Vrbanus VIII. & determinat, quòd etiam si sint minores 25. annis,

annis, si huiusmodi delictum committant, tradantur Curiæ Sæculari.

254 In Hispania hæc pœna non est in vsu in Sancto Officio, sed vt observat Sousa *in Aphoris. Inquisit. lib. 1. cap. 32. & 33 num.* 13. si se fingens Sacerdotem Confessarium, fuerit laicus, & vilis persona, fustibus ceditur, & mittitur ad triremes, & abiurat de levi, si non est ex regione infecta hæresi Luteri, vel Vviclefi, quia tunc debet abiurare de vehemēti; si verò fuerit persona honesta, & religiosa, damnatur ad triremes; & si sit talis qualitatis, quòd non potest ad triremes mitti, in exilium mittatur cum aliquo tempore reclusionis, & salutaribus pœnitentijs; & vlteriùs si sit persona vilis, in actu publico legitur sententia cum meritis, & publicè abiurat de levi huiusmodi criminosus.

255 Sed est advertendum, quòd si simplex Sacerdos, vel approbatus suspensus ab audiendis Confessionibus, audiunt Confessiones, & solicitant, non possunt procedere DD. Inquisitores contra eos vi harum constitutionum, quia solùm diriguntur contra laicos, & non Sacerdotes audientes Confessiones. Ita Sousa *opusc. de solicit. tract. 1. cap. 9. num.* 5. Santarellus *de hæresi, cap 42. dub. vnic. num.* 5. *in fine*, cum Acuña *de Confess. Solicitant. quæst* 13. *num.* 15. sed procedunt DD. Inquisitores virtute Bullarum contra Confessarios solicitantes, quia simplex Sacerdos venit nomine Confessarij, cum habeat ad absolvendum potestatem Ordinis, & etiam Sacerdos approbatus, etiam si sit suspensus ab audiendis Confessionibus.

256 Ex quibus insurgit secundum dubiolum: an si talis laicus, vel Clericus non Sacerdos audiret Confessionem, sed non absolveret, esset denunciandus Inquisitoribus? Duplex est sententia: Prima est negativa, & illam defendunt Rodriguez *in qq. Regul. tom. 2. quæst.* 28. *art* 2. & *in summ. tom. 2. cap.* 83 *nu* 3 Ioan. Sanchez *in select. disp* 11. *num.* 36. Castrus à Palao *tom. 1. tract.* 4. *disp.* 9 *punct.* 9. *num* 5. Trullench *tom. 1. lib. 1. cap.* 3. *dub.* 18. *num.* 81. Thomas Hurtado loco citato. *num.* 118. Secunda sententia est affirmativa, & pro illa stant Freitas *in edit. noviss. de Confess. solicitant.*

*citant quæst.*13.*num* 36. Antonius Sousa *in Aphoris. Inquisit. lib.*1. *cap* 33 *num.*3. D.Ioan.Escobar à Corro 1.*part. quæst.*2. *num.*29. & licèt P.Diana 1.*part tract.*4 *de denunciat. resol.*16. contrariã teneat, tamen 4.*part. tract.*7. *resol.*11. mutavit sententiam, & hanc affirmativam defensavit *vers. Sed difficultas oritur*, vbi in fine statuit cum Sousa loco citato, quòd esset denunciandus huiusmodi laicus, qui se fingit Sacerdotem, etiam si tantùm audiret Confessionem generalem.

257 Iuxta istam secundam sententiam assero, quòd huiusmodi laicus, vel Clericus non Sacerdos, qui se fingit Confessarium, etiam si non absolvat, dummodò audiat peccata, est denunciandus DD.Inquisitoribus. Hæc conclusio probatur primò à paritate: Quotiescumque delictum attentatum est punibile, Iudex competens delicti consummati, est etiam Iudex competens attentati; sed audire laicum peccata, & non absolvere, est delictum punibile, & attentatum absolvendi: ergo ad DD. Inquisitores, quibus pertinet punire Confessarios fictos, qui non solùm administrant Sacramentum Pœnitentiæ, sed etiam absolvunt, etiam pertinet punire fingentem se Sacerdotem, & solùm audientem peccata.

258 Maior enim multipliciter probatur. Primò, in polygamia non solùm enim punitur à DD. Inquisitoribus polygamia consummata, & perfecta, sed etiam attentata; quare secundum praxim Sancti Officij non solùm est punibilis qui contraxit binas nuptias, sed etiam qui est vxoratus, & contrahit sponsalia cum alia fœmina. Secundò, connatus in delictis est delictum attentatum, & in criminibus pertinentibus ad Officium Inquisitionis puniuntur. Tertiò, non solùm sortilegi in Tribunali Inquisitionis puniuntur, sed incipientes sortilegium, & non perficientes: ergo quoties delictum attentatum est punibile, Iudex competens delicti consummati, etiam est Iudex competens delicti attentati; sed audire Confessionem peccatorum, etiam si non impertiatur absolutio, est delictum attentatum punibile: ergo si DD. Inquisitores possunt punire per dictas Bullas deli-
ctum

ctum consummatum audiendi Confessiones in laicis,& non Sacerdotibus,quod perficitur ex Confessione,& absolutione,etiam delictum audiendi peccata, quod in hac linea est delictum inchoatum,& attentatum.

259 Probatur secunda resolutio: Ratio quare hoc delictum reservatur DD.Inquisitoribus est, quia huiuscemodi Confessarij sunt suspecti in fide, nam de facto approbant errorem Luteri, & Vviclefi, qui asserebant etiam laicos habere iurisdictionem absolvendi à peccatis; sed qui audiunt peccata etiam sunt suspecti in fide, si non sunt Sacerdotes: ergo etiam si non impertiantur absolutionem, sunt denunciandi Inquisitoribus. Probatur minor: Sicut pertinet ad iurisdictionem absolvere à peccatis, ita audire ipsa peccata; nam audire reum est actus pertinens ad eandem iurisdictionem, ad quam pertinet condemnare, vel absolvere reum; sed qui absolvunt à peccatis non habendo aliquam iurisdictionem, sunt suspecti in fide: ergo etiam qui audiunt peccata, si non sunt Sacerdotes qui iurisdictione gaudent sunt suspecti in fide: ergo sunt denunciandi Tribunali Inquisitionis.

260 Sed contra istam resolutionem potest fieri hoc argumentum: Quando aliqua lex prohibet aliquod delictum, debet intelligi de delicto perfecto,& consummato, *cap. autem, distin. 5. de pœnitent. l. 1. §. hæc verba ff. quod quisque iuris*; sed tantùm audire Confessionem peccatorum, non est delictum perfectum, & consummatum in laico, vel non Sacerdote: ergo per dictas Bullas non debet puniri per DD. Inquisitores, qui tantùm audit Confessionem peccatorum. Præterea; quia in Bulla Gregorij XV. dicitur quòd procedant DD. Inquisitores *contra eos qui non sunt Presbyteri, si Confessiones audiant & absolutionem impertiantur*: ergo vt subdantur qui non sunt Presbyteri,& audiunt Confessiones Inquisitoribus, non sufficit audire Confessionem peccatorum, sed requiritur quid absolutionem impertiantur.

261 Respondetur explicando maiorem: Quando aliqua lex prohibet sub pœna aliquod delictum, intelligitur de delicto per-

perfecto, & consummato, vt delictum puniatur pœna ordinaria, concedo maiorem; vt pertineat ad iurisdictionem Iudicis, ad quem remittitur punitio delicti, nego maiorem; quia vt dixi, ad Iudicem ad quem pertinet punire delictum perfectum, & consummatum, etiam attinet iudicare de delicto attentato, quia est eiusdem speciei cum crimine perfecto, & consummato; quod tenet, & exornat pluribus exemplis Carena *par.* 1. *tit.* 5. *de polygamis*, §. 6. & 7. ideòque optimè Diana 4 *part.* loco citato, advertit, quòd si aliquis audit Confessionem, licèt sit puniendus per DD. Inquisitores, non autem pœna ordinaria; licèt Sousa loco citato defenset, quòd etiam si tantùm audiat vnum peccatum, talis Confessarius fictus est puniendus pœna ordinaria. Per quod patet ad verba Bullæ Gregorij XIII. quia ibi dicitur, quòd DD. Inquisitores procedant pœna stabilita in Bulla contra laicos, & non Sacerdotes se fingentes Confessarios, & vt illa pœna imponatur, oportet quòd delictum sit perfectum, & completum; talitèr quòd non solùm audiant peccata, sed etiam impertiantur absolutionem.

262 Vt autem hæc firma maneant, potest hæc responsio parificari cum alia doctrina omninò simili. Per Bullas Gregorij XIII. & Clementis VIII. datur facultas Inquisitoribus procedendi contra illos, qui non promoti ad Presbyteratus Ordinem, Missas celebrant, & est sententia valdè probabilis, & secundum praxim Inquisitionis Hispanicæ, quòd vt contra prædictos procedant DD. Inquisitores, sufficit quòd incipiant celebrare Missam, etiam si non perficiant; ita Sousa *in Aphoris. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 1. *& seqq.* ergo parifornitèr vt procedant DD. Inquisitores contra non Sacerdotes administrantes Sacramentum Pœnitentiæ, sufficit quòd incipiant administrare audiendo peccata, licèt non perficiant absolutionem impertiendo.

263 Sed contra istam doctrinam potest fieri hæc instantia: vt per DD. Inquisitores puniatur nō Sacerdos, non sufficit, quòd delictum sit attentatum: ergo neque vt puniatur Confessarius fictus. Probatur antecedens; quia vt optimè Diana 4 *par. tract.* 7. *de*

de pœnis delict. resol. 12. ad violandas constitutiones Pontificias contra celebrantes non promotos ad Presbyteratus Ordinem, non sufficit, quòd quis Sacerdotalibus vestibus induatur celebrare intendens; sed in hoc casu delictum est attentatum: ergo vt puniatur se fingens Sacerdotem, non est sufficiens, quòd attētet delictum, sed requiritur, quòd illud perficiat audiendo omnia peccata, & impertiendo absolutionem, quia alio modo non est crimen consummatum.

264 Secundum doctrinam probabiliorem potest responderi concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia quòd aliquis induatur vestibus Sacerdotalibus, non est inchoata celebratio, sed solùm dispositio ad celebrandum, ac per consequens si tantùm induitur, non violat constitutiones Pontificias; benè verò qui audit Confessionem peccatorum, quia iam incipit ministrare Sacramentum Pœnitentiæ; & huiusmodi Sacramenti administratio consistit in Confessione dolorosa peccatorum, & in absolutione, ac per consequens cum delictum sit inchoatum, subijcitur Foro Inquisitorum, qui audit Confessionem peccatorum, etiam si non absolvat ab eis.

265 Ego autem addo sub censura, quòd etiam potest respondere distinguendo antecedens; vt puniatur non Sacerdos, non sufficit, quòd delictum celebrandi sit attentatum, talitèr quòd induatur vestibus Sacerdotalibus, & pro illo postea stet non celebrare, concedo antecedens; si pro illo non stet, sed impediatur ab alio, nego antecedens, & consequentiam. Itaque dico, quòd si aliquis indueretur vestibus Sacerdotalibus, & postea desisteret voluntariè, fingendo non esse ieiunum, vel aliud non subijceretur DD. Inquisitoribus, nam delictum non esset sufficientèr attentatum; si autem ille vellet celebrare, & conaretur ex sua parte ad celebrandum, & postea ab aliquo impediretur; tunc est punibilis per DD. Inquisitores, quia manifestatur sufficientèr animus celebrandi per huiusmodi connatum, & præparationem ex sua parte, quod inducit suspicionem in fide.

266 Ex hucvsque dictis oritur tertium dubiolum: an non Sacerdos qui se fingit Confessarium, & sedet in Confessionali, ad quem accedit quædam fœmina, vel animo confitendi, à quo dissuadet antequam dicat aliquod peccatum, vel illa venit ad turpia loquendum, & postea simulando Confessionem, vel dissuadendo à Confessione illam solicitat ad venerea, sit denunciandus Inquisitoribus? Respondetur fore denunciandum. Probatur primò ex iure communi, quia ex illo datur facultas DD. Inquisitoribus, vt procedant contra omnes suspectos quomodolibet in fide; sed huiusmodi Confessarius est suspectus in fide: ergo de iure communi est denunciandus Inquisitoribus. Probatur minor; in Bulla Gregorij XV. contra Confessarios solicitantes dicitur, quòd procedant DD. Inquisitores non solùm contra Confessarios solicitantes in Confessione, sed etiam contra solicitantes prætextu, & occasione Confessionis, ipsa Confessione etiam non sequta, & contra simulantes se audire Confessionem tanquam suspectos in fide: ergo qui se fingit Confessarium, etiamsi non audiat peccata, sed solicitet prætextu, vel occasione Confessionis, vel simulando Confessionem, est vt suspectus in fide denunciandus.

267 Probatur secundò ex iure speciali quia prædictæ Bullę contra se fingentes Sacerdotes, & administrantes Sacramentum Pœnitentiæ, non solùm debent intelligi de audiente peccata, sed etiam de simulante auditionem peccatorum, & de illo qui alia facit prætextu, & occasione Confessionis, quia dictæ Bullæ sunt favorabiles, sicut Bullæ contra solicitantes; cum finis præcipuus earum sit favor Sacramenti, & animarum, aliundè non possunt huiusmodi Confessarij ficti administrare verum Sacramentum Pœnitentiæ, nec cum illis fit vera Confessio, ac per consequens simulant semper Confessionem: ergo etiam si non audiant peccata, sed simulent audire, vel solicitent prætextu, & occasione Confessionis virtute Bullarum contra administrantes Sacramentum Pœnitentiæ, quin sint Sacerdotes, debent denunciari DD. Inquisitoribus.

Argues

268 Argues contra primam rationem nostræ resolutionis, vt multoties dixi, nec in favorabilibus fit extensio ad personas non expressas in lege, vel constitutione: ergo etiam si vigore Bullæ Gregorianæ sint denunciandi, non solùm Confessarij solicitantes in Confessione, sed etiam qui solicitant prætextu, vel occasione Confessionis, non autem qui se fingunt Confessarios & solicitant, vel simulando Confessionem, vel prætextu, & occasione Confessionis, quia non sunt personæ expressæ in Bulla Gregorij XV. Respondetur negando consequentiam: nam hoc modo non fit extensio ad diversas personas non expressas in Bullis, quia non dico, quòd qui se fingunt Sacerdotes, & solicitant simulando Confessionem, vel prætextu, & occasione Confessionis, quod sint punibiles per DD. Inquisitores virtute Bullæ Gregorianæ; sed per constitutiones Gregorij XIII. Sixti V. & Clementis VIII. quòd enim dico est, quòd virtute Bullæ Gregorianæ est declaratum, quòd tales solicitantes sunt suspecti in fide; ac per consequens ex alia Bulla Vrbani VIII. debent denunciari, quia ibi determinatur, quòd omnes suspecti in fide denuncientur DD. Inquisitoribus. Quare supposita declaratione Gregorij XV. quòd sunt suspecti in fide, non solùm qui solicitant in Confessione, sed etiam prætextu, & occasione Confessionis, vel simulando Confessionem, dico, quod qui se fingit Sacerdotem Confessarium, & hoc modo solicitat, est denunciandus ex iure communi, vtpotè suspectus in fide.

QVÆSTIO VIII.

AN INTERPRES CONFESSIONIS DENVNCIANDVS SIT si solicitat ad venerea, & quid dicendum de mandante, & consulente solicitationem.

§. I.

PRIMÆ PARTI QVÆSTIONIS SATISFIT.

169 HÆC quæstio facilè potest ex dictis in quæstionibus antecedentibus resolvi, sed vt sigillatim de omnibus

pertinentibus ad præsentem tractatum abundanter habeatur notitia, distinctè loquar de omnibus partibus contentis, & expreßis in titulo quæstionis, & primò de interprete Confeßionis solicitante ad venerea. an sit denunciandus Inquisitoribus fidei? D. Ioan. Escobar à Corro existimat 1. *part. quæst. 2. num.* 31. huiusmodi interpretem Confeßionis solicitantem esse denunciandum virtute Bullarum contra Confessarios solicitantes. Ita Freitas *in addit. ad Acuñam tract. de Confess. solicit. quæst.* 15. *num.* 27. *& in edit. noviss. num.* 37.

270 Oppositam sententiam defendo, & resolvo primò, interpretem Confeßionis solicitantem non esse denunciandum virtute Bullarum. Ita Ioan. Sanchez *in select. disp.* 11. *num.* 10. Salelles *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *regul.* 128. *nu.* 36 *& seqq.* Trullench *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *nu.* 82. Castrus à Palao *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 9. *punct.* 9. *num.* 6. Diana 4. *part. tract.* 9. *resol.* 9. Probatur conclusio, quia Bullæ Pontificiæ solùm diriguntur contra Confessarios solicitantes; sed interpres Confeßionis nullo modo est Confessarius, sed solùm se habet velut instrumentum, quo intelligentia verborum ad verum Confessarium perveniat: ergo tenore Bullarum huiusmodi interpres solicitans non est denunciandus.

271 Hoc enim tenet verum, vt docet Sousa, sive interpres mulieris confitentis sit laicus, vel Sacerdos; ita tenet *in Aphoris. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 14. quia quòd sit laicus, vel Sacerdos de materiali se habet, & solùm se tenet vt instrumentum, vt Confessarius intelligat linguam pœnitentis: ergo etiam si sit Sacerdos, si solicitat vt interpres, vel exercendo hoc munus, non est denunciandus tenore Bullarum.

272 Sed ex vi iuris communis propter generalem facultatem concessam Inquisitoribus, huiusmodi interpres solicitans in Confeßione est denunciandus Inquisitoribus fidei. Hoc enim probat ratio Seraphini Freitas, quia huiusmodi interpres solicitans sacrilegè abutitur Sacramento Pœnitentiæ; nam sumit Sacramentum vt medium ad explendam suam libidinem; sed qui abutitur Sacramento est denunciandus vt suspectus in fide: ergo, huius-

huiusmodi interpres solicitans ex iure communi est punibilis per DD. Inquisitores. Præterea, quia aliquando interpres etiam si sit laicus participat aliquid de actu clavis, vt ait D. Thomas *in addit ad 3. part quæst. 1. art 11. in corpore*, Suarez *tom. 4 disp. 33. sect. 5. num. 4.* ergo interpres solicitans in Confessione, vt suspectus in fide est denunciandus ex iure communi.

273 Arguit primò D. Ioan. Escobar à Corro, *num. 31.* licèt ex antiquis constitutionibus non sit denunciandus interpres solicitans in Confessione, benè verò ex Bulla Gregorij XV. ergo non solùm ex iure communi, sed ex iure particulari interpres solicitans in Confessione est denunciandus DD. Inquisitoribus. Probatur antecedens: ex eo ex Bulla Gregoriana est denunciandus Confessarius solicitans, quia est infernalis proditor animarum, & loco panis porrigit venenum; sed hoc idem facit interpres solicitans ad venerea, quia iste accedit ad Sacramentum in casu necessitatis, vt Confessarius, qui est Medicus, per intelligentiam verborum perveniat ad notitiam morborum spiritualium, & adhibeat antidotum opportunum, quod interpres convertit solicitando in mortiferum venenum cum maxima irreverentia tanti Sacramenti: ergo vi constitutionis Gregorij XV. est denunciandus interpres solicitans in Confessione, & non solùm ex iure communi.

274 Respondetur negando consequentiam, ad probationem concedo maiorem, & distinguo minorem; hoc idem facit interpres solicitans, talitèr quòd se habeat ex parte Confessarij, nego; habendo se ex parte pœnitentis, concedo. Itaque sicut Bulla Gregoriana non est contra pœnitentes solicitantes ad venerea, quia non sunt personæ expressæ in Bulla, etiam si abutantur Sacramento, & sint suspecti in fide; ita similitèr cum interpres se habeat ex parte pœnitentis tenore Bullæ Gregorianæ non est denunciandus, sed solùm ex iure communi, quia est suspectus de mala credulitate.

275 Dices contra hoc: interpres Confessionis habetur pro Confessario interpretativè: ergo non solùm se tenet ex parte

pœnitentis, sed etiam ex parte Confessarij. Probatur antecedens: interpres Confessionis est medium inter pœnitentem, & Confessarium: ergo saltem interpretativè habetur pro Confessario. Probatur antecedens: nam sicut ex parte pœnitentis se habet, quia refert peccata Confessario, ita per modum Confessarij, quia audit peccata pœnitentis: ergo interpres est medium inter pœnitentem, & Confessarium. Præterea, quia si Confessarius tantùm audiret peccata, & solicitaret, etiam si non absolveret esset reus Bullæ: ergo cum interpres quo ad auditionem exerceat munus Confessarij, vt sit reus Bullæ sufficit quòd audiat peccata pœnitentis.

276 Respondetur ad instantiam negando antecedens, ad illius probationem distinguo antecedens; est medium inter Confessarium, & pœnitentem ad referenda peccata, & vt Confessarius formet iudicium de illis per modum Iudicis, & Medici, concedo antecedens; alio modo, nego. Ad illud quod dicitur quòd se habet per modum Confessarij, quia audit peccata pœnitentis; respondeo, quòd solùm illa audit, vt referat Confessario, non autem ad iudicandum de illis, & vt applicet antidotum, vt Sacer Medicus ad morbos conscientiæ curandos, quod erat necessarium, vt se haberet per modum Confessarij. Per quod patet ad confirmationem, quia Confessarius non præcisè est denunciandus vigore Bullæ, quia audit peccata, sed quia illa audit in ordine ad Confessionem, vel ita debet audire, quod non contingit in interprete, quia licèt sit in ordine ad Confessionem illa audire; non autem neque vt formet iudicium per modum Iudicis, nec per modum Medici.

277 Sed contra: licèt Confessarius solicitans non in Confessione Sacramentali, sed vel simulando Confessionem, vel prætextu, & occasione Confessionis, nec se habeat vt Iudex, nec vt Medicus, quia prætextu Confessionis solicitat, est reus Bullæ; sed interpres solicitat prætextu Confessionis: ergo etiam si non audiat peccata vt Sacer Medicus, vel vt Iudex est denunciandus. Respondetur, Confessarium solicitantem etiam prætextu,

&

& occasione Confessionis esse denunciandum. Primò, quia est persona expressa in Bulla; quod non contingit in interprete solicitante. Secundò, quia licèt in illis circunstantijs verè; nec sit Iudex, nec Medicus apparet vt talis, & ita debet esse in omnibus casibus comprehensis in Bulla Gregorij XV. & quia abutitur tali officio est denunciandus, quod non contingit in interprete, cum solùm se habeat per modum instrumenti ad referenda peccata Confessario.

278 Argues secundò ex eodem Auctore: interpres Confessionis solicitans, prætextu Confessionis provocat ad venerea; sed qui solicitat prætextu, vel occasione Confessionis, est reus Bullæ Gregorij XV. ergo interpres solicitans in Confessione est denunciandus virtute Bullæ. Respondetur, non quemlibet solicitantem prætextu Confessionis esse reum Bullæ, sed qui est Confessarius, quod non contingit in interprete Confessionis.

§. II.

ALIIS PARTIBVS QVÆSTIONIS SATISFIT.

279 PARS secunda quæ in hoc §. venit primò resolvenda, est: an mandans Confessario, quòd fœminam soliciter sit denunciandus tenore Bullæ Gregorianæ? Pro quo est advertendum non procedere quæstionem de Confessario mandatum exequente, vt fœminam cum tertio turpes, & inhonestas actiones exerceat, quia ipse Confessarius hæc faciens proculdubio est denunciandus virtute Bullæ Gregorij XV. vt constat ex illis verbis: *Siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda*, solùm enim est difficultas de mandante Confessario, vt fœminam ad venerea sibi soliciter.

280 Duplex enim sententia datur circa hanc quæstionem. Prima defendit, huiusmodi mandantem esse denunciandum DD. Inquisitoribus vigore Bullæ Gregorij XV. Ita Homobonus *de exam. Ecclef. part. 2. tract. 21. cap. 12. quæst. 26. resol. 4.* Riccius *in praxi, part. 3. resol. 65. num. 2.* Secunda sententia ferè est commu-

mu-

munis, & defensat; quòd huiusmodi mandans non est denunciandus vigore Bullæ Gregorij XV. Ita Thomas Hurtado *tract.* 4 *cap.*7 *resolut.*13.*num.*139. Diana 1.*part.tract.*4.*de denunciat. resol.*21. D. Ioan. Escobar *part.*1.*quæst.*2.*nu.*16. Trullench *tom.*1. *cap.*3.*dub.*18.*num.*48. Carena *part.*2.*tit.*6. *de Confess. solicit.* §.6. noster Trimarch *disp.*14.*sect.*4. Peirinis *in addit. ad constit. Gregorij XV. cap.*11.*num.*3.

281 Iuxta istam secundam sententiam resolvo, mandantem Confessario vt solicitet non esse denunciandum Inquisitoribus vigore Bullæ Gregorij XV. Probatur primò hæc conclusio: Bulla Gregorij XV. solùm loquitur de Confessarijs in ordine ad Confessionem; quia si isti solicitent extra occasionem Confessionis, & extra Confessionarium, nullam iniuriam faciunt Sacramento Pœnitentiæ; sed mandans solicitat extra Confessionem Confessarium, vt postea in Confessione facienda solicitet fæminam pœnitentem ad inhonesta secum perpetranda: ergo nulla fit iniuria Sacramento Pœnitentiæ, ex eo quòd aliquis mandet Confessario solicitationem faciendam in Confessione.

282 Hac ratione principaliter probat suam limitationem quartam D. Ioan. Escobar, sed si aliundè non adiubetur, videtur huiusmodi argumentationem esse inefficacem; quia qui mandat Confessario, vt in Confessione solicitet, etiam si mandatum sit extra occasionem Confessionis, est in ordine ad illud exequendum in Confessione; quod sufficit, vt sit casus cōprehensus in Bulla Gregoriana; sicut si Confessarius solicitaret fæminam pœnitentem, quando accedit ad illum ad capiendum consilium in ordine ad Confessionem postea eliciendam, vt dicam in suo loco, huiusmodi solicitatio esset comprehensa in Bulla, & hoc non obstanti, nec solicitat in Confessione, nec in Confessionali: ergo etiam si mandans Confessario solicitationem futuram faciendam in Confessione, iobeat extra Confessionem, quia mandatum est in ordine ad Confessionem, & cooperatur cum Confessario ad solicitationem in Confessione, ex hac parte est

est solicitatio comprehensa in Bulla. Quare ex eo mandans solicitationem non est denunciandus virtute Bullæ Gregorij XV. quia non est Confessarius, & constitutio solùm est contra Confessarios solicitantes, non autem contra mandantes.

283 Probatur secundò à paritate; ex eo fæmina solicitans in Confessione non est denuncianda, licèt iniuriam inferat Sacramento Pœnitentiæ, quia fæmina solicitans non est persona expressa in Bulla; sed neque mandans solicitationem comprehenditur in Bulla: ergo non est denunciandus virtute Bullæ. Præterea, quia subijci per talem Bullam DD. Inquisitoribus est pœna, quam non incurrit mandans solicitationem; ideòque est sententia communis, quòd mandans non incurrit excommunicationem latam contra facientes, nisi etiam expreßè sit lata contra mandantes, & quando oritur dubium, an mandans, vel consulens comprehendatur sub censura lata contra facientes, est judicandum non comprehendi. Ita Bonacina 1. *par. de cens. in communi, disp. 1. quæst. 1. punct. 6. num. 1.* citat Navarrum, & Avilam; sed Bulla Gregorij XV. solùm procedit contra Confessarios facientes solicitationem, non autem contra mandantes: ergo virtute Bullæ Gregorij XV. non est denunciandus DD. Inquisitoribus Confessarius mandans solicitationem.

284 Quare consequentèr ad ea, quæ diximus de interprete Confeßionis solicitante est defensandum, mandantem solicitationem Confessario esse denunciandum DD. Inquisitoribus ex iure communi; & ex generali facultate, quam habent procedendi contra omnes quomodolibet suspectos in fide; huiusmodi enim mandans solicitationem concurrit cum Confessario moralitèr ad abusum Sacramenti Pœnitentiæ, & mandatum solicitandi est exequendum in Confessione; sed qui abutitur Sacramento Pœnitentiæ est suspectus de mala credulitate: ergo ex iure communi est denunciandus DD. Inquisitoribus.

285 Dico secundò consulentem solicitationem non esse denunciandum tenore Bullę Gregorij XV. benè verò ex iure communi. Hæc conclusio deducitur ex dictis; nam sicut interpres

Con-

Confessionis non est persona expressa in Bulla, ita neque consulens. Secunda pars non est minùs certa, quia sicut mandans est suspectus in fide ita consulens; nam ambo concurrunt ad abusum Sacramenti Pœnitentiæ; sed mandans solicitationem ex iure communi est denunciandus: ergo etiam consulens.

286 Solùm adverto de mandante, & consulente, quòd si essent Confessarij ambo, & mandarent, vel consulerent alteri Confessario, vel in Confessione, vel prætextu, & occasione Confessionis, &c. solicitationem, dum audiret Confessionem talis fœminæ, vi Bullæ sic mandans, vel consulens esset denunciandus Inquisitoribus. Ratio est clara, quia tunc Confessarius solicitaret alium Cõfessarium vt fœminæ pœnitenti suaderet inhonesta, & venerea, vel cum ipso, vel cum alijs; sed huiusmodi solicitatio est comprehensa in Bulla, quia hoc modo mediate solicitat ad venerea in Confessione, vel prætextu, & occasione Confessionis; deindè habet sermones, & tractatus inhonestos: ergo huiusmodi consulens, vel mandans tenore Bullæ Gregorij XV. est denunciandus.

287 Ex quibus infero, non esse denunciandum, qui ex malitia audivit in Confessione peccatum lascivum fœminæ, & inde arripuit occasionem ad illam solicitandam per signa, dum prosequitur Confessionem, quia licèt iste solicitet in Confessione non est Confessarius: ergo virtute Bullæ Gregorij XV. non est denunciandus; benè verò ex iuri communi, quia ex peccato audito in Confessione arripuit occasionem solicitandi ad venerea in ipsa Confessione; vndè est denunciandus vt suspectus in fide, quia maximam iniuriam infert Sacramento Pœnitentiæ, siquidem illud assumpsit vt medium, vt ad venerea solicitet.

288 Contra primam resolutionem sic argues. Primò, Confessarius solicitans est denunciandus virtute Bullę Gregorij XV. ergo etiam iubens, & mandans Confessario solicitationem. Probatur consequentia: ille dicitur facere, qui facere iubet, *l. manumissiones, ff. de iustit. & iure, & is qui iubet damnum dare, l. is damnum, ff. de regul. iuris*, & qui per alium facit per se ipsum

facere

facere videtur, *regul.72. qui facit de regul iuris in 6.* ſed mandans Confeſſario ſolicitationem iubet facere, & facit per alium: ergo ſi Confeſſarius ſolicitans virtute Bullæ Gregorij XV. eſt denunciandus Tribunali Inquiſitionis, etiam mandans ſolicitationem.

289 Reſpondetur negando conſequentiam, & ad probationem dico, quòd qui mandat, & iubet facere, dicitur facere quo ad culpam eſt verum, non autem quantũ ad pœnam; ideòque dixi quòd lex contra facientes quo ad pœnam non comprehendit mandantes ſi non explicatur in lege, & quando lex vult punire non ſolùm facientes, ſed etiam mandantes id explicat. Et ita *in cap mulieres de ſentent. excommun.* extenditur ad mandantem excommunicatio, quæ *in cap. ſi quis ſuadente Diabolo*, tantùm erat lata contra percutientem Clericum.

290 Argues ſecundò: mandans ſolicitationem committit idem crimen, ac Confeſſarius ſolicitans; nam ſicut ſolicitare in Confeſſario eſt ſacrilegium, ita mandare ſolicitationem in Confeſſione: ergo ſicut Confeſſarius ſolicitans in Confeſſione, eſt denunciandus virtute Bullæ Gregorij XV. ita mandans ſolicitationem. Probatur conſequentia, vt optimè Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat.102. num.2.* irregularitas lata *in cap. litterar. de Apoſtat.* contra Acolytum adminiſtrantem Sacerdoti rebaptizanti, extenditur ad Sacerdotem rebaptizantem: ergo etiam pœnæ poſitæ in Bulla contra Confeſſarios ſolicitantes extenduntur ad mandantes ſolicitationem, quia ſicut rebaptizans, & adminiſtrans committit idem nefandum crimen, ita Confeſſarius ſolicitans, & mandans ſolicitationem.

291 Reſpondetur negando conſequentiam, & ad paritatem poteſt reſponderi dupliciter. Primò, admittendo extenſionem, quia de inferiori delicto ad ſuperiùs valet conſequentia in ordine ad pœnas; non autem è contra, neque de æquali ad æqualem. Intelligitur in eodem genere, ideòque cum Sacerdos rebaptizans in eodem genere gravius peccatum committat, ac Acolytus adminiſtrans; hinc eſt, quòd ſi iſte irregularitatem incurrit, ſimilitèr & ille. Reſpondetur ſecundò, ſecundum

communiorem sententiam, negando antecedens; non incurrit per extensionem irregularitatem, sed ideò manet irregularis, quia directè contra illum est lata huiusmodi pœna canonica, vt communitèr tenent Canonistæ.

292 Argumentum tertium militat contra fundamentum principale nostræ conclusionis: non solùm in favorabilibus, sed etiam in pœnalibus fit extensio ad personas non expressas in lege, quando militat eadem ratio; sed in Confessario, & mandante solicitationem eadem ratio militat: ergo licèt in Bulla Gregorij XV. solùm exprimatur Confessarius, fit extensio ad mandantem solicitationem, quamvis iste non sit persona expressa in Bulla. Probatur maior: pœna lata in Mendicantes Religiosos transeuntes ad non Mendicātes, *in Clement.* 1. *de Regularib.* nempè, quòd in Capitulo vocem non habeant, extenditur ad Moniales, ita vt masculinum extendatur ad fæmeninum. Ita Gloss. *verb. Quilibet, num* 8. sed vt multoties dixi Bulla contra solicitantes est favorabilis: ergo non solùm est contra Confessarios solicitantes, sed etiam contra mandantes solicitationem, quia in his est eadem ratio expressa in lege, scilicèt abusus Sacramenti Pœnitentiæ.

293 Respondetur negando maiorem, & ad probationem illius dico: non fieri extensionem in dicta clementina ad personas non expressas in lege, etiam si illa pœna non solùm intelligatur contra Religiosos Mendicantes, sed etiam contra Moniales, quia non solùm Religiosi, vel masculi sunt personæ inclusæ in lege, sed etiam fæminæ; nam lex pœnalis est contra Religiosos Mendicantes, & nomine Religiosorum Mendicantium, non solùm veniunt masculi, sed etiam fæminæ; quia est nomen commune statui, quod amplectitur sexum masculinum, & fæmeninum, & ita intelligunt omnes DD. quod privilegia concessa Religiosis Mendicantibus, etiam conceduntur Monialibus Mēdicantibus, quia propter rationem allatam sunt personæ inclusæ in illo nomine *Religiosi*, quod exprimitur in privilegio.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IX.

AN SIMPLEX SACERDOS, VEL SVSPENSVS ab audiendis Confessionibus, sit denunciandus si solicitat in Confessione.

§. VNICVS.

QVÆSTIONI, ET ARGVMENTIS RESPONDETVR.

294 DVPLICITER potest exagitari præsens quæstio. Primò, an ex iure communi, & ex generali facultate, quam habent DD. Inquisitores ad procedendum contra omnes suspectos in fide, possint etiam procedere contra simplicem Sacerdotem, & Confessarium suspensum ab audiendis Confessionibus, si solicitant in Confessione? Sed quia solùm hæc quæstio potest habere locum casu, quo huiusmodi solicitans ex iure speciali non sit denunciandus, ideò primò inquiro, an sit denunciandus ex iure speciali; nempè, vigore Bullarum contra Confessarios solicitantes?

295 In hac quæstione duplicem invenio sententiam. Prima tenet, simplicem Sacerdotem, & Confessarium suspensum solicitantes, non esse denunciandos vigore constitutionum Pontificum. Ita Portel *in addit. ad dub. Regular. verb. Solicitare fœminas*, Sousa inclinatur ad hanc sententiam *in Aphoris. Inquisit lib 1. cap. 34. num. 16.* illamque defensat Fagundez *de præcept. Eccles in edit. noviss. part 2. lib. 4. cap 3. num. 49.* Escobar à Corro *part. 1. quæst. 1. num. 11. & seqq.* loquitur cum distinctione, & dicit, quòd simplex Sacerdos solicitans in Confessione, non est denunciandus vigore Bullarum antiquarum contra Confessarios solicitantes; benè verò tenore Bullæ Gregorij XV. & hoc vltimum asserit, *num. 20.*

296 Secunda sententia absolutè affirmat huiusmodi solici-

tantem in Confessione esse denunciandum tenore Bullarum cõtra Confessarios solicitantes. Ita Diana 1.*part.tract*.4.*de denunciat.resol*.17.*&* 4.*part.tract*.5.*de Confess.solicit.resol*.8. Castrus à Palao 1.*part tract*.4.*disp*.9.*punct*.9.*num*.1. Peirinis *tom*.3. *in additament.ad constit.Gregorij XV.cap*.11.*num*.3. Trullench *tom*.1. *lib*.1.*cap*.3 *dub*.18.*num*.77. Ioan.Sanchez *in select.disp*.11.*num*.38. Thomas Hurtado *tract*.4.*cap*.8.*resol* 31.*num* 310.

297 Cum Auctoribus secundæ sententiæ assero, quòd simplex Sacerdos, vel Confessarius suspensus à Confessionibus audiendis si solicitant in Confessione, vel prætextu, & occasione Confessionis,&c. sunt denunciandi DD.Inquisitoribus, & si solicitant in Confessione, non solùm sunt denunciandi virtute Bullæ Gregorij XV. sed etiam Diplomatum aliorum Pontificum contra Confessarios solicitantes. Hæc conclusio probatur primò ratione fundamentali; Bullæ Pontificiæ in hac materia sunt contra Confessarios solicitantes, sed simplex Sacerdos, & Confessarius suspensus ab audiendis Confessionibus propriè sunt Confessarij,& veniunt nomine Confessarij: ergo simplex Sacerdos,& Confessarius suspensus, si solicitant in Confessione, sunt denunciandi DD.Inquisitoribus, non solùm virtute Bullæ Gregorianæ, sed etiam tenore aliorum Diplomatum contra Confessarios solicitantes.

298 Probatur secundò ab inconvenienti; si simplex Sacerdos non esset denunciandus, etiam si solicitet in Confessione maximè quando pœnitens non solùm habet peccata venialia, sed etiam mortalia, quia ad absolvendum à mortalibus non habet potestatem; sed hoc prætextu etiam possent subterfugere denunciationem Confessarij, qui habent iurisdictionem ad absolvendum à mortalibus in pluribus casibus, quia si accederet fœmina pœnitens cum peccatis reservatis, vel cum ex communicatione, non satisfacta parte, non haberet iurisdictionem ad absolvendum, & si tunc solicitaret, nec esset denunciandus; quod non est dicendum, non solùm virtute Bullæ Gregorianæ, verumetiam neque aliarum contra solicitantes, ergo etiam si

sim-

simplex Sacerdos solùm habeat iurisdictionem ad absolvendum à peccatis venialibus, si solicitat fœminam in Confessione est denunciandus, non solùm tenore Bullæ Gregorij XV. sed etiam aliorum Diplomatum Pontificum.

299 Dixi, si solicitat fœminam in Confessione, quia ante Bullam Gregorij XV. erat maxima controversia inter DD. an vi aliarum constitutionum esset denunciandus Confessarius, qui solicitabat solùm occasione, & prætextu Confessionis, vel simulando Confessionem, & post Bullam Gregorianam, omnes isti Confessarij sunt denunciandi. Quare iuxta constitutionem Gregorij XV. non solùm est denunciandus simplex Sacerdos, vel Confessarius suspensus, si solicitant in Confessione, sed etiam si provocant prætextu, & occasione Confessionis, etiam Confessione non sequuta, & in omnibus casibus, & circunstantijs expressis in Bulla Gregorij XV. quia Bulla est contra Confessarios solicitantes, & vt dixi, simplex Sacerdos, verè est Confessarius, cum possit absolvere à venialibus, & in casu necessitatis à mortalibus.

300 Ex quibus infero cum Diana loco citato *in par. 4.* quòd si fæmina accedit ad Confessarium non animo verè confitendi, sed ad implendum exterius præceptum annuæ confessionis, ne excommunicetur, & tunc illam solicitat est denunciandus huiusmodi Confessarius, etiamsi solùm sit simplex Sacerdos, quia simulat confessionem, & solicitat prætextu, & occasione confessionis, etiam si confessio non sequatur, quòd est casus expressus in Bulla Gregorij XV.

301 Fundamentum primum, quod adducit D. Ioan. Escobar ad probandum, simplicem Sacerdotem, vel Confessarium suspensum non esse denunciandum Inquisitoribus, si solicitet in confessione virtute constitutionum antiquarum contra Confessarios solicitantes, sic procedit: illæ Bullæ antiquæ solùm erant contra Confessarios solicitantes in vera confessione; sed simplex Sacerdos non solicitat in vera confessione, quia licèt habeat potestatem Ordinis, caret iurisdictione: ergo virtute constitutionum

num antiquarum non est denunciandus Inquisitoribus simplex Sacerdos solicitans in confessione.

302 Respondetur primò, hoc argumentum multum probare, quia si hoc esset verum, nec virtute Bullarum antiquarum esset denunciandus Confessarius qui solicitaret in confessione de peccatis reservatis, quia in ordine ad ista non habet iurisdictionem, & se habet vt simplex Sacerdos respectu mortalium, quod non est dicendum. Secundò respondeo, quòd vt dicatur Confessarius solicitans in confessione, non oportet quòd ex omni parte confessio sit Sacramentalis, sed sufficit, quòd fæmina pœnitens accedat animo confitendi, & incipiat confessionem peccatorum, quia aliàs ante Bullam Gregorij XV. si aliqua fæmina confiteretur cum Confessario habente iurisdictionem, & defectu dispositionis eam Confessarius non absolveret, non esset denunciandus DD. Inquisitoribus, quia illa non est perfectè confessio Sacramentalis, quòd nullo modo potest sustineri.

303 Fundamentum secundum sic proponitur: Si laicus se fingit Sacerdotem Confessarium, & solicitat in confessione, non est denunciandus vigore Bullarum contra Confessarios solicitantes: ergo neque simplex Sacerdos. Probatur consequentia: ad valorem Sacramenti nullum est discrimen inter laicum, & simplicem Sacerdotem, præciso mortis articulo, quia sicut laicus non habet iurisdictionem, ita neque simplex Sacerdos ad absolvendum à peccatis mortalibus, nisi in periculo mortis; sed laicus, vt dixi in propria quæstione, non est denunciandus virtute Diplomatum Pontificum: ergo neque simplex Sacerdos, nisi solicitet in periculo mortis, in quo habet iurisdictionem.

304 Respondetur: D. Ioan. Escobar nimis probare contra se, quia ex hoc argumento convincitur simplicem Sacerdotem solicitantem in confessione, nec virtute Bullæ Gregorij XV. esse denunciandum, & contrarium docet *num.* 29. Sequela patet: Bulla Gregoriana solùm est contra Confessarios solicitantes, ideòque etiam si laicus sit solicitans in confessione, cum non sit Confessarius, quia non habet iurisdictionem, non est denunciandum

cian-

ciandus virtute Bullæ Gregorij XV. ergo si eodem modo se habet simplex Sacerdos præciso mortis periculo, quia non habet iurisdictionem, nec erit denunciandus virtute Bullæ Gregorij XV. Sed respondetur esse maximum discrimen inter laicum,& simplicem Sacerdotem; nam laicus nullam iurisdictionem habet, quia nec à venialibus potest absolvere, quam iurisdictionem habet simplex Sacerdos; ac per consequens propriè dicitur Confessarius; sicut Sacerdos qui habet iurisdictionem ad absolvendum à non reservatis, licèt illa careat in ordine ad reservata, propriè dicitur Confessarius.

305 Ex omnibus dictis in hac quæstione resultat, quòd si Confessarius est approbatus ad audiendas confessiones in vna Diœcesi,& in alia audit confessionem fæminæ,& eam solicitat, est denunciandus; quia si simplex Sacerdos perpetrans hoc crimen, est deferendus virtute Bullæ Gregorij XV. ad Tribunal Inquisitionis, multò meliùs Cōfessarius approbatus in vna Diœcesi ad audiendas confessiones, quia potiori titulo appellatur Confessarius, cum vltra potestatem Ordinis habeat iurisdictionem. Sed non placet medium, quod adducit D.Ioan. Escobar, siquidem consistit in eo, quòd huiusmodi Confessarius approbatus in vna Diœcesi ad audiendas confessiones, est eligibilis in alia virtute Bullæ Cruciatæ.

306 Hoc vltimum hodie non potest reduci ad praxim, quia stat Bulla Clementis X. expedita anno 1670. quæ dicitur: *Superna*, in qua declaratur, quòd verba Concilij Tridentini circà electionem Confessarij, scilicèt quòd sit approbatus per Episcopum, intelliguntur de Confessario approbato per Episcopum illius Loci in quo Confessarius residet. Stat etiam pro hac parte declaratio Cardinalium Interpretum Concilij, facta anno 1611. in qua contra Regulares hæc verba habentur: *Litterasque Cruciatæ prædictas in hac re quidquam novi iuris minimè induxisse*. Eodem anno Paulus V. idem declaravit in favorem Archiepiscopi Hispalensis, & addit esse irritum, & inane quidquid in contrarium contigerit attentari, sive scientèr, sive ignorantèr;

ergo

ergo medium assumptum à D. Ioan. Escobar non habet firmitatem. Et dato, & non concesso, quòd hæc sententia habeat aliquam probabilitatem, post damnationem Innocentij XI. non potest reduci ad praxim, quia ad summum est tenuæ probabilitatis, & operari hoc modo est contra tertiam propositionem damnatam, & in valore Sacramenti contra primam. Itaque huiusmodi Confessarius solicitans est denunciandus sicut simplex Sacerdos, qui habet potestatem Ordinis, & respectu illius pœnitentis in alia Diœcesi, caret iurisdictione sicut simplex Sacerdos.

QVÆSTIO X.

AN DISSVASIO CONFESSARII A CONFESSIONE *fœminæ verbis indifferentibus sit solicitatio comprehensa in Bulla.*

§. VNICVS.

SENSVS QVÆSTIONIS APERITVR, ET TVTIOR *sententia eligitur.*

307 NON est difficultas in præsenti, quando Confessarius profert verba quæ sunt aliquomodò venerea, quia iam dixi *in 1. quæst. huius 2. part.* similia proferentem in confessione, non excusari à crimine solicitationis propter materiæ parvitatem; solùm enim est dubium, quando Confessarius verbis indifferentibus loquitur cum fœmina, quæ accedit ad sua peccata confitenda, & dissuadet verbis blandis, suavi affectu, & vultu alacri, vt differat confessionem in alium diem.

308 Hæc quæstio in proprijs terminis tractatur à P. Trimarchio *in suo opere de Confess. abut. disp. 3. sect. 5. num. 37.* & resolvit, quòd talis dissuasio est implicita solicitatio ad venerea. Contrarium docet Thomas Hurtado *in suo tract. 4. de Confess. solicit. cap. 8. resol. 24. num. 229. & seqq.* pace sed horum Auctorum

tum intelligo hanc quæstionem cum distinctione resolvendam esse, & sic cum Castro à Palao est distinguendum, vt iste distinguit *tom.1. tract.4. disp.9 punct.7. num.6 & seqq.* Si enim animus solicitandi non manifestatur fæminæ, Confessarius non est denunciandus; si autem etiam si verba sint indifferentia, imò honesta, ex circunstantijs adiunctis colligatur à fæmina animus solicitandi, in tali casu huiusmodi Confessarius denunciandus est; vt autem hæc doctrina melius percipiatur, reducam quæstionem ad casus practicos per sequentes considerationes.

309 Prima, si Confessarius dissuaderet confessionem aperiendo causam; nempè, quia crastino die esset lucranda aliqua Indulgentia, vel vt melius examinaret suam conscientiam, & alia huiusmodi; si non immediatè post, nec in confessionali fæminam solicitaret, non esset denunciandus, quamvis postea altero die illam inviseret, & solicitaret ad venerea; quia huiusmodi solicitatio non haberet principium in confessione, neque prætextu, & occasione confessionis, neque esset immediatè ante, vel post, nec haberet alias circunstantias adiunctas, ex quibus posset præsumi, quòd illa dissuasio esset ad solicitandam fæminam, cum ostendat Confessarius sufficientes causas differendi confessionem.

310 Secunda, si Confessarius dissuaderet confessionem modo dicto, illam differendo ad alium diem, & postea proferret aliqua verba ambigua, & indifferentia; & aliundè Confessarius esset maximè propensus ad libidinem, ex his circunstantijs adiunctis prudentèr fæmina posset præsumere, quòd hæc dissuasio confessionis non est propter causas explicatas à Confessario, sed ad solicitandam fæminam ad libidinem, & in hoc casu est denunciandus secundum doctrinam Castri à Palao, quia etiam si signa secundum se indifferentia sint, vel honesta, ex circunstantijs adiunctis determinantur ad malum; nempè, quia verba dubia, & indifferentia prolata à Confessario maximè inclinato ad libidinem, sonant sensum libidinosum ratione proferentis; & si cum eisdem circunstantijs solùm interrogaret à fæmina

suam domum,& postea illam inviseret,& solicitaret, intelligo quòd huiusmodi Confessarius esset denunciandus, quia ex post factis,& ex interrogatione domus sufficientèr colligitur, quòd dissuasio confessionis fuit ordinata ad venerea.

311 Tertia, si Confessarius dissuadeat feminam à confessione,& loquatur cum illa verba ambigua, quæ in vno sensu redolent libidinem,& aliundè eam alloquatur affectu blando, & suavi; hoc modo dissuasio confessionis est implicita provocatio ad venerem. Ita discurrit noster Trimarchius loco citato, & citat Ioan. Sanchez *in select. disput.* 11. *num.* 39. *vers. Vndè in praxi.* Contra istam doctrinam propugnat Thomas Hurtado loco citato, *num* 233. & exclamat dicendo: *Væ Confessoribus faciei affabilis, & dulcis!* Sed meo videri exclamatio non tenet in hoc casu, quia si Confessarius non dissuaderet confessionem, sed fæmina confiteretur sua peccata,& ille alloqueretur affectu blando, & suavi,& non diceret verba ambigua, quæ in aliquo sensu redolent libidinem, certè nullo modo esset denunciandus, imò hoc esset laudabile, quia illo affectu blando, & suavi multoties fæmina movetur ad confitenda peccata, quæ fortasè taceret, si videret in Confessario faciem iracundam,& audiret verba aspera, vt multoties contingit. Quare vt verificetur casus Trimarchi, oportet quòd omnia posita in hoc numero cōcurrant; nempè, dissuasio confessionis, verba ambigua, & quòd alloquatur Confessarius affectu blando, & suavi; hæ omnes circunstantiæ in concreto manifestant illam dissuasionem esse solicitationem ad venerea comprehensam in Bulla.

312 Ex quibus infero resolutionem casus practicabilis: si enim fæmina inciperet confessionem vsque ad peccata contra sextum præceptum Decalogi, & tunc explicaret suam fragilitatem;& hoc audito, Confessarius dissuaderet confessionem ex motivo honesto, vel quia alio die esset lucrandus Iubileus, vel prætextu indispositionis fæminæ pœnitentis,& absque alijs verbis ista reddiret in domum suam, & postea illo, vel altero die illam inviseret,& solicitaret ad venerea, absque dubio vt solicitans

citans

citans erit denunciandus; quia ex antecedentibus, & consequentibus manifestatur animus libidinosus Confessarij, nam maximè est advertendum ad illud, quod observavit Confessarius; nempè, quòd non dissuasit fæminam vsque ad cognitionem fragilitatis illius, ex quibus circunstantijs adiunctis, & ex post factis prudentèr, & verosimilitèr præsumitur, quòd illa dissuasio in confessione fuit ordinata ad suam libidinem explendam, ac per consequens fuit implicita, & paliata solicitatio.

QVÆSTIO XI.

QVOMODO INTELLIGVNTVR ILLA VERBA BVLLÆ Gregorij XV. immediatè ante, vel post.

§. I.
EXPLICANTVR VERBA BVLLÆ.

313 ANTE Bullam Gregorij XV. fuit maxima controversia inter Doctores: an Confessarij solicitantes, non in actu Sacramentalis confessionis, sed immediatè ante, vel post essent denunciandi DD. Inquisitoribus, & licèt vt testatur Carena *part. 2. de Confess. solicit. tit. 6. §. 5. num. 27.* ante Bullam Gregorianam iam esset stylus, & praxis in Hispanica Inquisitione procedendi, non solùm contra Confessarios solicitantes in actu Sacramentalis confessionis, sed etiam contra solicitantes immediatè ante, vel post, non obstanti cum maxima probabilitate plures graves Auctores defensabant illos non esse denunciandos, quia Bullæ Pij IV. & Clementis VIII. erant pœnales, & in pœnalibus non est facienda extensio; ideòque Gregorius XV. in suo Diplomate Pontificio determinat non solùm esse denunciandos Confessarios solicitantes in confessione Sacramentali, sed etiam qui huiusmodi crimen perpetrantur immediatè ante, vel post confessionem.

314 Quòd enim Bulla Gregorij XV. procedat cum maxi-

ma iustificatione, dum iubet denunciare Confessarios solicitantes pœnitentes ad inhonesta immediatè ante, vel post confessionem, facilè ostenditur: quando duo delicta sunt æqualitèr enormia, rationabile est, quòd illis correspondeat eadem pœna; sed solicitare immediatè ante, vel post est eiusdem gravitatis, & malitiæ, ac solicitare in confessione: ergo rationabile est, quòd huiusmodi delictum puniatur, sicut solicitare in confessione. Minor probatur: sicut solicitare in confessione est sacrilegium, & abusus Sacramenti Pœnitentiæ, ita solicitare immediatè ante, vel post; nam in moralibus, quòd parùm distat, nihil distare videtur: ergo solicitare ad venerea immediatè ante, vel post, est eiusdem malitiæ, & gravitatis, ac solicitare in confessione: ergo ad tollendas controversias inter Auctores, cum maximo fundamento determinatur per Gregorium XV. quòd huiusmodi delictum sit punibile per DD. Inquisitores.

315 Deindè est advertendum pro decisione quæstionis, quòd ad hoc, vt solicitatio ante, vel post confessionem sit punibilis per DD. Inquisitores, debet fieri immediatè ante, vel post, vt dicitur in Bulla; nam si post elapsum multum tempus, Confessarius, & fœmina se restituant ad sua propria habitacula, & tunc Confessarius quærat fœminam, illamque solicitet, non est denunciandus Inquisitoribus, sed Ordinario Loci, vt tenent Rodriguez *in quæst. Regular. tom. 2. quæst. 27. art. 2.* Graff *de casibus reservatis, lib. 2. cap. 12 num. 36. vers. 6. Etsi affirmavimus*, Ludovicus à Paramo *de orig S. Inquisit. lib. 3. cap. 10. num. 91.* Santarellus *de hæresi cap. 44. num. 15 conclus. 10. & num. 13. conclus. 9.* & ratio est clara, quia etiam si solicitet post confessionem, non autem immediatè, quod est necessum, vt sit casus comprehensus in Bulla.

316 Nec valet si dicas, quòd eadem ratio militat in vtroque casu, quia parùm refert; quòd solicitatio sit immediata ad confessionem, vel non, dummodò sit post confessionem, quia sicut illa quæ fit post confessionem mediatè non est abusiva Sacramenti Pœnitentiæ, ita neque illa quæ immediatè fit, quia

tunc

tunc non est Sacramentum: ergo vel ambæ sunt punibiles per DD. Inquisitores, vel nulla. Non enim valet, quia quæ fit postea transacto magno intervallo temporis, non inhæret ipsi confessioni, ac per consequens per illam solicitationem nulla fit iniuria Sacramento; at verò quæ fit immediatè ante, vel post, inhæret ipsi confessioni Sacramentali, quia quæ immediatè sequuntur, aut præcedunt præcipuum actum, dicuntur ipsi actui inhærere, text. *in l. cum pater de negot. gest. l. penult.* cum autem solicitatio immediatè ante, vel post inhæreat ipsi confessioni Sacramentali, hinc fit, quòd ista est abusiva Sacramenti, non autem illa quæ fit transacto multo tempore.

317 Vt autem termini melius intelligantur, nullum est dubium quòd ille Confessarius dicitur immediatè solicitare, qui ante, vel post Sacramentum Pœnitentiæ incontinenti solicitat; id est, antequam divertatur ad alios actus. Pono exemplum: vocat fæmina Confessarium, vel per se, vel per alium, si est in Sacristia, vel in Camera, statim ac illum videt ambo salutantur; tunc enim, vel ante dicit fæmina, quòd vult confiteri, tunc Confessarius laudat ornatum, pulchritudinem, vel alia verba similia allicitiva profert; parùm enim refert si ista loquantur, antequam fæmina genuflectat, dummodò immediatè sequatur confessio; ista enim est solicitatio comprehensa in Bulla, quia immediatè ante confessionem Sacramentalem solicitat; nam post illam solicitationem fæmina non divertitur ad alios actus, neque Confessarius.

318 Pono alium casum de solicitatione comprehensa in Bulla, quæ fit immediatè post: fæmina confitetur sua peccata, & Confessarius eam absolvit absque eo, quòd in confessione proferat verbum redolens solicitationem, fæmina surgit, & etiam Confessarius, & in illo loco, vel in alio sedentes, vel stantes illam solicitat ad venerea; ista solicitatio est comprehensa in Bulla, quia fit incontinenti antequam divertantur ad alios actus, & etiam si aliquod temporis intervallum interveniat inter confessionem, & solicitationem, dummodò sit modicum.

Pono

Pono exemplum in eodem casu: surgit fæmina à pedibus Confessarij,& recitat pœnitentiam,& immediatè Cōfessarius illam quærit, & solicitat; etiam ista solicitatio est denuncianda vt comprehensa in Bulla, quia etiam si non sit immediatè post confessionem physicè, benè verò moralitèr; nam etsi sit aliquod tempus transactum est modicum; ideòque vnus censetur actus ipsa solicitatio,& confessio, text. *in l.1.§.1.de verb.* & melius *in l.duos reos 6.§.duo 3.vers. Modicum,de duob.reis,cum similib.*

319 Quòd autem dicatur modicum intervallum temporis, vt iudicetur, solicitationem esse factam immediatè ante, vel post confessionem, hic opus,& labor; hoc enim relinquitur iudicio prudentum ad denunciandum; nam non est facile ponere regulam generalem, vt Confessarij,vel consulentes cognoscant, an illa solicitatio fuerit incontinēti ante confessionem, vel post; ideòque iudicare ad denunciationem consulendam pertinet ad viros doctos,& versatos in hac materia, & ad DD. Inquisitores post denunciationem. Ita Thomas Sanchez *de Matrim. lib.*10. *disp.*12. *num.*23. Augustinus Barbosa *dict.*68. *num.*6. *& dict.*155. *num.*11.12. *&* 17. Posui casus antecedentes, & postea alios ponam,vt ex his alij contingentes discurrantur.

320 Quando enim actus confessionis iam iudicatur per aliquod tempus interruptus; tunc etiam si Confessarius solicitet, non est denunciandus Inquisitoribus. Vndè moralitèr duplex actus debet considerari interruptus, vt solicitatio non sit comprehensa in Bulla, primus ipsa confessio, & secundus actus immediatus antecedens confessionem,& subsequens eam; quando enim fuit transactum tantùm spatium temporis,ex quo prudentis iudicio censeatur actus interruptus; tunc enim si ita iudicatur de confessione,& de actu immediatè antecedente, & subsequente confessionem, Confessarius si solicitat non est denunciandus, ea parte qua præcipitur denunciatio in Bulla contra Confessarios solicitantes ad venerea immediatè ante, vel post confessionem Sacramentalem.

321 Si autem confessio, & actus immediatus ad confessionem

nem ante, vel post non sunt moralitèr interrupti; sive solicitatio confessionem præcedat, vel antequam pœnitens se signo Crucis signat dum genuflectit, vel ante genuflexionem, quando fæmina dicit Confessario, quòd audiat sua peccata, sive sequatur post elargitam absolutionem antequam fæmina surgat, sive postquam surrexit vocata fuerit à Confessario, & eam solicitet, sive antequam illam vocet cum alijs per breve intervallum temporis loquatur, est denunciandus Confessarius, vt solicitans. Ita Sousa *cap.*18. *num.*1. *&* 6. *& in Aphor. lib.*1. *cap.*34. *num.*31. Ioann. Sanchez *in select. disp.*11. *num.*49. & hæc resolutio est communis. Itaque ista principia sunt valdè commendanda memoriæ, vt casus practici cum fundamento resolvantur.

§. II.

CASVS PRACTICI PONVNTVR.

322 VT illa verba Bullæ Gregorianæ: *Immediatè ante, vel post*, penetrentur, oportet aliquos casus resolvere, vt ex dicendis circa illos, alij similes decidantur, & primò pono casum practicabilem: Accedit fæmina ad confessionem, & inter alia quæ confitetur se offert aliquod dubium, vel casus difficilis, & tunc Confessarius differt absolutionem ad illum consulendum; illo tempore intermedio huiusmodi Confessarius extra occasionem confessionis solicitat fæminam pœnitentem; ista solicitatio est comprehensa in Bulla Gregorij XV? Videtur secundùm dicta, huiusmodi Confessarium non esse denunciandum Tribunali Inquisitionis; quia inter solicitationem, & confessionem datur magna interruptio temporis, quia intervallum non est modicum; ac per consequens non potest inhærere confessioni secundùm iudicium prudentum: ergo hæc solicitatio non est immediatè ante, nec post, ideòque non est denuncianda.

323 His non obstantibus resolvo, quòd illa solicitatio est denuncianda, vtpotè facta immediatè ante absolutionem; nam

ista

ista solicitatio fuit vt supponitur in illo intermedio temporis necessario ad determinandum dubium ortum ex confessione: ergo censetur secundùm æstimationem prudentum, quòd illa solicitatio fuit facta, vel in confessione, vel immediatè antequam perficiatur confessio; quia etiam si detur sufficiens interruptio, vt moralitèr discontinuetur actus, cum huiusmodi interruptio sit necessaria ad perficiendam confessionem Sacramentalem, semper dicitur, quòd fit incontinenti, vel immediatè illa solicitatio, si fiat intermedio illo temporis necessario ad determinandum dubium. Argum. textus *in l. in tradendis* 7. §. 1. *comm. prædior.* Per quod patet ad rationem dubitandi, quia illa interruptio temporis non tollit immediationem, quando est necessaria ad perficiendam confessionem.

324 Secundus casus, in quo est maxima difficultas, sic proponitur: fœmina confitetur sua peccata, & Confessarius in Ecclesia nihil dicit, sed postea immediatè illam insequitur, & in itinere eam solicitat, vel statim, ac cum illa ingreditur domum suam; est ne iste Confessarius denunciandus Inquisitoribus? Diana 1. *par. tract.* 4. *de de denunc. resol.* 14. negativè cum aliquibus Auctoribus respondet; sed 4. *par. tract.* 5. *resol.* 7. postquam proponit duas sententias extremè oppositas cum suis fundamentis concludit: *Sed ego in hac quæstione de meo nihil asserere volo*, Trullench etiam defensat in hoc casu Confessarium non esse denunciandum, *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *num.* 63. & citat Sousam *in Aphor. Inquis. lib.* 1. *cap.* 34. *num* 33. *& in tract. de solicit. cap.* 18. *num* 8. *&* 9. Sed pace tantorum DD. existimo, talem Confessarium sic solicitantem esse denunciandum. Ita noster Peirinis *de privileg. Minim. tom.* 2. *constitut.* 4. *Gregorij XV. schol.* 2. *num.* 2. citat Graff. & etiam tenet Lezana *in summ. quæst. Regular. cap.* 19. *num* 34. licèt hæc secunda sententia procedat in alio casu, est cum proposito omninò similis. Dicunt enim isti Auctores, quòd si aliquis Confessarius audit confessionem fœminæ, & eam levem cognoscit, & paulò post lenonem mittit ad dictæ mulieris insequenda vestigia, vt illam ad turpia solicitet,

ista

ista solicitatio est comprehensa in Bulla, & ego addo, quòd ex duplici capite, & quia fuit facta immediatè post confessionem, & prætextu confessionis. Hoc posito discurro, quòd in casu proposito cum maiori ratione illa solicitatio est comprehensa in Bulla, quia ipse Confessarius immediatè, per se vestigia fæminæ pœnitentis insequitur, & in itinere, vel immediatè ingrediendo domum suam illam solicitat: ergo est denunciandus secundum tenorem Bullæ Gregorij XV.

325 Tota ergo difficultas consistit in illa particula immediatè; nam licèt sit verum, quòd fæminam Confessarius post confessionem solicitet, & vtatur notitia habita in confessione, iam fuit interrupta, & discontinuata confessio per alios actus; sed his non obstantibus existimo hanc solicitationem fuisse factam immediatè post confessionem, eo modo quo debet intelligi ly *immediatè* in Bulla Gregorij XV. nam omnes Auctores conveniunt in eo, quòd non requiritur vt solicitatio sit comprehensa in Bulla, quòd inter solicitationem, & confessionem nihil mediet physicè, sed quòd non detur medium morale; sed in hoc casu in iudicio prudentum nihil mediat moralitèr; nam quod præsumitur mediare in fraudem legis non censetur mediare, sed in his circunstantijs, quòd Confessarius spectat exitum Ecclesiæ, vt illam insequatur, & eam solicitat, vel in itinere, aut statim, ac ingreditur domum, prudentèr præsumitur, omnia ista fieri ad vitandam denunciationem: ergo secundum iudicium prudentum inter confessionem, & solicitationem nihil mediat, ac per consequens solicitatio censetur immediatè post confessionem.

326 Ex quo infertur resolutio alterius casus; nempè, quando Confessarius in ipsa Ecclesia spectat, & attendit quando fæmina concludit communionem, & quærit illam ex proposito, & solicitat; cum his circunstantijs existimo, sicut in casu antecedenti, hunc Confessarium esse denunciandum, quia omnia ista censentur facta immediatè post confessionem, & illa intermedia sunt cautelosa, & in fraudem legis ad vitandam denenciationem,

tionem; ideòque eodem modo se habent, ac si non mediarent.

327 Sed contra principalem resolutionem potest fieri hæc instantia: vt solicitatio ad venerea sit deferenda ad DD. Inquisitores, debet saltem incipere physicè, vel moralitèr in locis prohibitis in Bulla; sed talis solicitatio non incipit physicè, nec moralitèr in locis prohibitis in Bulla: ergo non est deferenda ad DD. Inquisitores. Minor probatur: nam nec fuit facta in confessione, nec in confessionali, nec simulando confessionem, nec prætextu confessionis, quia iste debet esse proximus, & prætextus in hoc casu est remotus; deindè nec immediatè post, quia inter confessionem, & solicitationem non solùm physicè, sed etiam moralitèr plura mediarũt: ergo huiusmodi solicitatio, nec physicè, nec moralitèr incipit in locis contentis in Bulla.

328 Respondeo iuxta dicta, hanc solicitationem, & esse immediatè post confessionem, & prætextu confessionis: Primò, immediatè post confessionem, quia licèt inter confessionem, & solicitationem plura medient physicè, non autem in ordine ad iudicium prudentum, quia omnia ista quæ mediant sunt in fraudem legis, quod est idem, ac si non mediarent; deindè est prætextu confessionis, quia quamvis physicè sit remotus hic prætextus, moralitèr est proximus; nam illa circunstantia cognita in confessione; scilicèt, facilitas fœminæ est præsens moralitèr in ipsa solicitatione.

329 Replicabis: si hæc doctrina esset sequenda in praxi, etiam esset denunciandus Confessarius, qui spirituales confessionis filias, missis litteris amatorijs, lenocinijs, & internuntijs solicitat, vel postea per se, quòd est contra ea quæ diximus, licèt vt dixi hoc delictum sit fugiendum, quia est periculosum habere cum filijs confessionum res venereas. Probatur sequela: in casu huius resolutionis parùm refert, quòd solicitatio distet multum à confessione, vt censeatur moralitèr præsens: ergo similitèr etiam transacto intervallo temporis, si Confessarius solicitat filiam confessionis per se, vel per alios, censetur ipsa confessio moralitèr præsens.

Res-

330 Respondetur negando sequelam, si non sint aliæ circunstantiæ adiunctæ, sicut in casu proposito; nam non ex eo quòd Confessarius fæminam solicitet in itinere, vel antequam egrediatur ex Ecclesia, præcisè censetur confessio moralitèr præsens, sed ex aggregato omnium circunstantiarum; scilicèt, quòd in confessione cognòscit facilitatem fæminæ, quòd attendit quando egreditur ex Ecclesia, illam insequitur, & solicitat, vel in itinere, vel quando ingreditur domum; cum omnes istæ circunstantiæ coadunatæ habeant ordinem ad solicitationem, & incipiant in confessione, & postea sint concatenatæ ad fæminam solicitandam; hinc est, quòd confessio est moralitèr præsens quando Confessarius solicitat, quòd non contingit quando postea, vel per se, vel per alios, vel per litteras solicitat filias confessionis.

331 Ex quo infero, quòd si huiusmodi Confessarius posteaquam illa fæmina esset aliquantulum in Ecclesia, vel audiendo Sacrum, vel recitando post Communionem, casu cum illa loqueretur, & ex practica, vel locutionibus diversis aliqua inhonesta diceret, vel clarè illam solicitaret, non esset denunciandus, quia huiusmodi solicitatio est non solùm physicè, sed moralitèr distans à confessione, & non potest considerari confessio præsens; nam illa intermedia temporis non sunt ordinata ad solicitationem, cum confessio sit interrupta physicè, & moralitèr, quòd non contingit in nostro casu, quia omnes circunstantiæ adiunctæ ordinantur à Confessario ad solicitationem in fraudem legis.

332 Adverto etiam, quòd licèt dicatur in Bulla immediatè ante confessionem, ex quo videtur dicendum esse, quòd si accedit fæmina ad pedes Confessoris animo confitendi, & non confitetur, quia Confessarius dissuadet à confessione, & illam solicitat, non ex denunciandus ex eo quòd solicitet ante confessionem, sed quia solicitat prætextu, & occasione confessionis, quia vt verificetur, quòd solicitat immediatè ante confessionem, oportet quod postea sequatur confessio; sicut vt censeatur solici-

tans immediatè post confessionem, necessarium est, quòd supponatur confessio Sacramẽtalis. Nihilominus resolvo cum Diana 4.*part.tract*.5.*resol*.11. qui citat Acuñam *quæst*.14. *num*.8. & Castrum à Palao *tract*.4. *disp*.9. *punct*.7. *num*.3. hunc Confessarium non solùm esse denunciandum, quia solicitat occasione, vel prætextu confessionis, sed etiam quia provocat, & allicit immediatè ante confessionem; quia ad hoc non requiritur, quòd sequatur confessio, sed sufficit si fœminam accedentem confiteri ad venerem persuadeat, & à confessione dissuadeat; quia cum ista femina accedat animo confitendi, perindè est impedire confessionem, & solicitare; ac si solicitaret, & postea sequeretur confessio.

333 Alius casus practicus proponitur: quædam fœmina timoratæ conscientiæ, vel Monialis in parlatorio habuit cum quodam Confessario (qui non erat Confessarius ordinarius illius fœminæ, vel Monialis) plura inhonesta; immediatè post commissum peccatum in eodem loco instavit, vt ille complex delicti audiret confessionem illorum peccatorum, quia cum Confessario ordinario, nec cum alio habebat animum illa confitendi, & statim sequuta fuit confessio; huiusmodi Confessarius erat denunciandus DD. Inquisitoribus, quia immediatè ante habuit inhonesta cum filia confessionis, & in loco electo ad audiendas confessiones? Resolutionem huius casus maximoperè desiderabam videre in aliquo Auctore clasico, quia semper intellexi hanc solicitationem non esse comprehensam in Bulla Gregoriana, & illam inveni in doctissimo Ægidio Trullench. *tom*.1 *lib*.1.*cap*.3. *dub*.18. *num*.65. Vbi dicit hanc solicitationem non esse denunciandam DD. Inquisitoribus, eandem sententiam tenet Ioann. Sanchez *in select*. *disp*.11. *num*.49.

334 Fundamentum enim ad excusandam hanc delationem est solidum, & firmum, quia tempore solicitationis, nec fœmina, nec Sacerdos de confessione facienda cogitarunt: ergo etiam si immediatè ad solicitationem ad venerea sequatur confessio, Confessarius virtute Bullæ non est denunciandus.

Pro-

Probatur consequentia; vt solicitatio facta immediatè ante confessionem comprehensa sit in Bulla, oportet vt fæmina ad Confessarium accedat animo confitendi, & Confessarius eam solicitet, vel postea sequatur, vel non sequatur confessio; sed in dicto casu fæmina non accedit ad parlatorium animo confitendi, sed post peccata venerea sequitur confessio, ex eo quòd de delicto dolorem concepit, vultque citò à peccato liberari: ergo etiam si immediatè post solicitationem ad venerea sequatur confessio, in dicto casu Confessarius non est denunciandus virtute Bullæ Gregorij XV.

335 Sed circa hunc casum plura occurrunt discutienda. Primò, an sit denunciandus huiusmodi Confessarius, quia solicitavit in eodem loco postea electo ad audiendam confessionem? Respondetur negativè, quia ille locus fuit electus ad illam confessionem audiendam post crimen commissum; at verò quando illud peccatum venereum fuit patratum, nullo modo erat confessionale, sed parlatorium, & si transacto aliquo tempore iterum in illo loco inhonesta committant, & postea eodem modo sequatur confessio, non est casus comprehensus in Bulla, quia vt dicam agendo de solicitatione in confessionali, parlatorium per accidens est confessionale; quare ea parte qua solicitat in loco, alio tempore voluntariè electo ad audiendam confessionem absque simulatione, non est casus Bullæ.

336 Secundò, quid esset resolvendum si non solùm in hoc casu dictæ circunstantiæ concurrerent, sed vlteriùs fæmina, vel Monialis resisteret solicitationi, dicendo, nullo modo committam tale peccatum, quia valdè timeo illud confiteri, & tunc ad facilitandum diceret Confessarius: ego audiam tuam confessionem, ne timeas, & cum hac spe consentit fæmina, & cooperatur ad inhonesta? Licèt enim huiusmodi Confessarius non sit denunciandus ex eo quòd solicitet immediatè ante confessionem, etiam si post solicitationem statim sequatur confessio, quia fæmina non venit ad parlatorium animo confitendi, sed in ipsa solicitatione cogitat, & loquitur de confessione futura, quam

post

post patratum crimen statim ponit in executione. Existimo esse denunciandũ huiusmodi Confessarium, quia administrationem Sacramenti Pœnitentiæ sumit vt medium ad facilitandum ad peccatum, quòd est medium ad eum vitandum. Hæc advertant Confessarij, quia multoties vtuntur hoc medio, vt fæminas honestas pervertant, quæ alio modo manerent in sua integritate, saltim ex timore, & verecundia confitendi peccata obscœna.

337 Duo enim adverto circa præsentem casum. Primò, quòd Confessarius cautè procedat in administratione Sacramenti Pœnitentiæ immediatè post patratum crimen, ne absque vero dolore fæmina confiteatur, & Sacramentum frustetur; quare administrandum non est, nisi signa satis aperta doloris fæminâ ostendat, & transacto illo tempore Confessarius non haberet occasionem audiendi confessionem illius fæminæ, quia si alio die potest audire eius confessionem, tutiùs est illam differre, nisi signa doloris sint extraordinaria. Secundò, quòd non administret tam purum Sacramentum in illo loco, in quo obscœna, & impura perpetravit, si absque inconvenienti per alium locum potest fieri; nam indecens est, quòd tam purum Sacramentum profanetur, eum administrando in loco polluto inmunditijs venereis.

338 Ex quibus infero primam resolutionem casus practici: Quidam Confessarius erat in sua domo, ad quem accessit fæmina domestica, vt confiteretur Sacramentalitèr sua peccata, cum qua iam antea Confessarius habuit aliqua inhonesta; in administratione Sacramenti Pœnitentiæ processit cum integritate, & puritate; exierunt ex illa Camera, & postquam fæmina in alia aliquid elaboravit in præsentia ipsius Confessarij, eam solicitavit ad venerea. Ex dictis est asserendum huiusmodi solicitationem non esse comprehensam in Bulla Gregorij XV. quia non fuit moralitèr immediatè post confessionem; nam sufficientèr fuit interrupta illa confessio, secundum iudicium prudentum per alios actus non conducentes ad confessionem; neque præsumitur, quod Confessarius in fraudem legis illa fecit,

cit, quia frequentèr ambo erant in eadem camera, & de alijs rebus loquebantur, & non ex confesſione, ſed ex converſatione ortum habuit illa ſolicitatio, & evenit vt in alijs occaſionibus.

339 Infero ſecundò, quòd ſi fæmina accedit ad Confeſſarium, non animo confitendi, ſed revelandi aliquod ſecretum, dicendo, quod illa profert in confeſsione ſub ſigno Crucis, & alia huiuſmodi, & tunc Confeſſarius illam ſolicitat, non eſt denunciandus, quia non venit animo confitendi, ſed vt ſecretum communicet. Contrarium enim reſolves: ſi fæmina accederet ad aliquid communicandum ſub ſigillo naturali, quod conduceret ad diſponendam ſuam confeſsionem generalem, vel particularem, quia licèt illa ſolicitatio non ſit in confeſsione, eſt in ordine ad Sacramentalem confeſsionem.

340 Vltimus caſus proponitur à Diana loco citato, & illum reſolvit doctiſsimè, vt aſſolet, præcipuè in materijs S. Officij; Confeſſarius adminiſtrat Sacramentum Pœnitentiæ puero, vel fæminæ, & poſt abſolutionem dicit: ſpecta in Eccleſia, vt mecum venias in domum, & poſtquam audivit alias confeſsiones ſurgit è confeſsionali, vocat maſculum, vel fæminam, dicendo; ſequere me in domum propriam, & ibi tibi dabo chirographum confeſsionis, vt facilè poſsis benè confiteri, ingreditur puer, & in cubiculo illum ſolicitat. Abſque dubio eſt huiuſmodi Confeſſarius denunciandus DD. Inquiſitoribus, non ſolùm propter dependentiam, quam iſta ſolicitatio habet cum confeſsione, ſed etiam quia moralitèr eſt poſt cōfeſsionem immediatè; cum omnia intervalla ſint ac ſi non eſſent, quia ex confeſsione adhùc illud intervallum temporis fuit ordinatum ad ſolicitationem.

§. III.

ALIQVA DVBIOLA DILVCIDANTVR.

341 EX pluribus propoſitis in hac quæſtione oriuntur aliqua dubiola vtilia ad praxim. Dixi, quòd ſi fæmina accedit ad Confeſſarium animo confitendi, etiam ſi confeſsio

poſtea

postea non sequatur, si Confessarius solicitat pœnitentem fæminam fore denunciandum, quia immediatè ante solicitat. Ex quo occurrit primum dubiolum: an sit denunciandus Confessarius, qui non erat paratus ad audiendas confessiones, sed solicitavit fæminam, & reiecta solicitatione ab ea, expostulat confessionem, quam non petierat, licèt confessio non sequatur? Respondetur, quòd etiam si sequatur confessio, huiusmodi Confessarius non est reus Bullæ, ac per consequens non est denunciandus, quia illa solicitatio non censetur proxima ad confessionem moralitèr, quia licèt physicè approximetur, accessus fæminæ non fuit ad confitendum; si verò postquam explicat animum confitendi, Confessarius prosequeretur solicitationem, iam esset denunciandus, quia fit immediatè ante confessionem.

342 Secundum dubiolum: accedit fæmina ad Confessarium, illa enim non venit animo confitendi, nec disponendi se ad confessionem; Confessarius verò suspicatur eo animo fæminam accedere, & antequam fæmina manifestet animum, illam Confessarius præoccupat verbis provocativis, & allicitivis ad venerea; iste Confessarius est denunciandus DD. Inquisitoribus, si interloquendum explicèt, quòd habuit in mente, quòd illa fæmia accedebat ad confessionem? Respondeo, esse denunciandum tanquam reum Bullæ Gregorij XV. Ita Trullench *tom.*1. *in Decalog. lib.*1. *cap.*3 *dub.*18. *num.*67. & D. Ioann. Escobar à Corro *part.*1. *quæst.*4. §.1. *ampliat.*2. *num.*11. Ratio est, quia huiusmodi Confessarius est suspectus in fide, quia quantum est ex sua parte iniuriat, & violat Sacramentum, & ex animo Confessarij res est metienda, non autem ex animo pœnitentis; sed ex eo quòd Confessarius habeat hanc suspicionem, & illam explicet ex sua parte solicitat immediatè ante confessionem moralitèr: ergo virtute Bullæ Gregorij XV. est denunciandus DD. Inquisitoribus.

343 Aliud tertium dubiolum ex hoc originatur: Confessarius transit per Ecclesiam, & accedit ad illum fæmina animo confitendi sua peccata, sed antequam se explicet illum salutat,

&

& aliqua indifferentia loquitur cum illo, & Confessarius illam ad venerea provocat; ista solicitatio est censenda moralitèr ante confessionem? Facilis est resolutio ex dictis in dubiolo antecedenti, quare cõsequentèr ad dicta in illo, est dicendum, huiusmodi Confessarium non esse denunciandum, quia moralitèr non solicitat immediatè ante confessionem, quia licèt intentio fœminæ sit facere confessionem; ante solicitationem eam non explicat, neque per verba, neque per signa; nam si Confessarius ita non intelligit, nulla iniuria fit Sacramento Pœnitentiæ: ergo non censetur huiusmodi solicitatio facta immediatè ante confessionem; nam iniuria Sacramenti ex mente facientis mentienda est, non autem ex mente fœminæ, *l. qui servum 3-. in princip. de obligat.*

344 Dubiolum quartum est: accedit fœmina ad confessionem, illam inchoando, sed ex aliquo impedimento, vel ex indispositione fœminæ non perficitur, & immediatè post confessionem Confessarius illam solicitat; est ne huiusmodi Confessarius denunciandus vt solicitans immediatè post confessionem? Respondetur affirmativè, ita noster Peirinis *in addit. ad 4. constitut. Gregorij XV. cap. 11. num 9 tom. 3* nam inchoatio confessionis sufficiens est, vt ipsa solicitatio sit immediatè post confessionem: ergo huiusmodi Confessarius est denunciandus vt solicitans immediatè post confessionem.

345 Sed contra hanc resolutionem potest fieri hæc instantia: si confessio Sacramentalis non sequitur nulla fit iniuria Sacramento Pœnitentiæ, sed si non fit iniuria, solicitatio non est deferenda virtute Bullæ ad DD. Inquisitores: ergo non comprehenditur in illis verbis Immediatè post confessionem. Respondetur negando maiorem: nam etiam si non perficiatur confessio Sacramentalis in hoc casu, Confessarius infert iniuriam Sacramento Pœnitentiæ, quia in hoc casu fuit Sacramentum inchoatum, quòd est sufficiens motivum, vt Sacramento Pœnitentiæ inferatur iniuria, vt tenet Sousa *tract. 1. cap. 11. num. 18.* Si enim qui solicitat ante confessionem inchoatam infert iniu-

riam Sacramento, multò meliùs qui solicitat postquam confessio Sacramentalis fuit incepta, etiam si non perficiatur propter aliquod impedimentum.

346 Dubiolum quintum est: accedit ad Confessarium filia spiritualis animo confitendi, sed Confessarius non in confessionali, sed in alio loco, vbi tunc erat, illam salutat, & postea solicitat; est ne iste Confessarius denunciandus? Ante resolutionem est advertendum, quòd in foro conscientiæ si huiusmodi Confessarius habet ignorantiam invincibilem, vel antecedentem, vel concommitantem de confessione illius fæminæ, non est reus Bullæ. Ita Sousa *in Aphoris. Inquisit. lib.1. cap.34. num.24. & in opusc. de solicit. tract.1. cap.15. num.2 & seqq.* Sed quid est dicendum de obligatione fæminæ solicitatæ? Ista tenetur denunciare, quia non est facile, quòd moralitèr sit certa, quòd Confessarius laborabat tali ignorantia, & præcipuè si non erat solita loquendi cum Confessario, nisi quando veniebat ad confessionem faciendam; tunc enim non est credendum Confessario, quia omnes circunstantiæ convincunt carentiam talis ignorantiæ.

347 Pro coronide adverto casum practicabilem in proprijs terminis, licèt ex dictis sit solutus: in quodam Loco parvo accedit fæmina ad confitendum, quæ cognoscit esse indispositam ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, quia habet occasionem proximam volũtariam, quam non vult vitare; sed etiam si intelligat illi denegandam esse absolutionem, ad vitandam notam cum alijs domesticis confitetur. Si tunc illam solicitat immediatè ante, vel post confessionem est denunciandus, quia quamvis ista fæmina non intendat facere veram confessionem, sed vitare infamiam, vt fiat iniuria Sacramento Pœnitentiæ, sufficit quòd accedat ad confitendum quomodolibet peccata, etiam si taceat occasionem ex proposito, & faciat confessionem sacrilegam.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XII.

QVÆ SOLICITATIONES FIANT OCCASIONE, & prætextu Confessionis.

§. I.

EXPLICANTVR TERMINI, ET CASVS SOLICITATIONVM denunciabilium prætextu, & occasione Confessionis.

348 IN Bulla dicit Gregorius XV. quòd est denunciandus non solùm Confessarius solicitans in confessione, sed etiam si provocet, solicitet, alliciat, &c. *prætextu, & occasione Confessionis pœnitentem*, quia ista verba, & omnia quæ sequuntur referuntur ad illa antecedentia, solicitare, provocare, &c. & ad alia subsequentia, *aut cum eis illicitos sermones, vel tractatus habuerint.* Vndè vt totalis æquivocatio tollatur, est primò commendandum memoriæ, quòd non solùm qui clarè solicitat ad venerea prætextu, & occasione confessionis est denunciandus, sed etiam qui allicit, tentat, provocat, &c. aut prætextu, & occasione confessionis cum pœnitentibus habet sermones, seu inhonestos tractatus, & omnia ista habent locum, sive solicitet ad inhonesta inter se, sive cum alijs, & omnia quæ diximus de solicitatione ad lenocinium, de Confessario qui arguit filiam pœnitentem de zelotypia, aut solicitat immediatè ante, vel post.

349 Secundò est advertendum, quòd adduntur illa verba in Bulla Gregoriana: *Etiam ipsa Confessione non sequuta*, vt intelligatur, quòd dummodò Confessarius solicitet prætextu, & occasione confessionis, etiam si postea fœmina non confiteatur, est denunciandus DD. Inquisitoribus. Idemque est dicendum, quamvis sequatur confessio, & absolutio non impendatur. Ratio huius est, quia maior iniuria fit Sacramento Pœnitentiæ si sequitur confessio: ergo si est denunciandus Confessarius qui soli-

citat prætextu, & occasione confessionis, etiam confessione non sequta, multò meliùs si sequitur confessio, etiam si non impendatur absolutio. Præterea, quia illa particula *etiam*, non est limitativa, sed extensiva, sicque facit hunc sensum; est denunciandus Confessarius qui solicitat prætextu, & occasione confessionis, quamvis confessio non sequatur.

350 Probatur secundò: Confessarius solicitans in confessione Sacramentali est denunciandus Inquisitoribus, sed qui solicitat in confessione non sequta absolutione, solicitat in confessione Sacramẽtali, quia omnis confessio quæ fit bona fide, etiam si non sequatur absolutio est Sacramentalis, vt tenet Medina *de pœnitent. tract. 3. quæst. 7 vers. Nec obstat*: ergo est denunciandus virtute Bullæ Gregorij XV. Itaque existimo, quòd istæ particulæ, *prætextu, & occasione confessionis*, solùm adduntur vt intelligatur, quòd non solùm est solicitatio comprehensa in Bulla, quæ fit in confessione, sive sequatur absolutio, sive non, sed quæ fit prætextu, & occasione confessionis, quamvis confessio non sequatur.

351 Iure optimo hæc adduntur à Gregorio XV. quia aliundè ferè omnes Confessarij vitarent denunciationem in S. Officio; quia quando accederent fæminæ ad loquendum de confessione facienda illas solicitarent, & si consentirent, explerent suam libidinem, & non sequeretur confessio, si non consentirent, etiam impedirent confessionem: ergo ne fiat solicitatio in fraudem legis, & perniciem inevitabilem animarum, benè additur in Bulla Gregoriana, quòd etiam sit denunciandus Confessarius qui solicitat prætextu, & occasione confessionis, etiam ipsa confessione non sequta.

352 Vt autem casus comprehensi in his terminis facilè à Confessarijs decidantur, operæpretium erit aliquos referre in particulari, & ex dicendis circa illos, facilè alij similes resolventur. Primus casus est: Confessarius accedit ad domum fæminæ pœnitentis transacto vno die post confessionem, & vt eam solicitet ad venerea dicit coram alijs domesticis, quòd vult loqui

cum

cum illa de rebus pertinentibus ad confessionem, quia ita convenit saluti spirituali illius, quia aliàs non accederet ad domum suam; hoc prætextu fœmina, & Confessarius secretò in cubiculum ingrediuntur, & Confessarius illam solicitat ad venerea; huiusmodi Confessarius est denunciandus virtute Bullæ Gregorij XV. nam qui solicitat prætextu, & occasione confessionis est denunciandus Inquisitoribus, etiam si confessio non sequatur; sed huiusmodi Confessarius solicitat occasione, & prætextu confessionis, nam confessio sumitur vt medium illius accessus, & solicitationis: ergo tenore horum verborum Confessarius est denunciandus DD. Inquisitoribus.

353 Nec valet si dicas, quòd iste prætextus est remotus; vt autem sit denunciandus Confessarius solicitans extra confessionem, prætextus, & occasio confessionis debet esse proximus, non autem sufficit remotus à loco, & statu confessionis. Ita refert Diana 4. *part. tract. 5. resol. 7.* & citat Sousam *opusc. de Confess. solicit. in addit. num.* 10. Fateor enim, quòd vt Confessarius qui solicitat prætextu, & occasione confessionis sit denunciandus, quòd prætextus debet esse proximus; sed in hoc prætextus proximus est, nam moralitèr nihil distat à confessione, cum accessus ad solicitandam fœminam fundetur in ipsa confessione præterita, quæ tunc sumitur vt medium ad solicitandum, & ideò confessio moralitèr est præsens; aliud enim esset si Confessarius sumeret hanc occasionem solicitandi ex confessione præterita, quia in illa cognovit fragilitatem fœminæ absque memoria talis confessionis, quia tunc licèt solicitatio esset ex occasione confessionis, talis occasio non sumitur de præsenti vt medium ad solicitandum, & aliundè est illa occasio remota à confessione, & loco confessionis.

354 Ex quibus resolvo secundum casum qui sequitur ex dictis in hac responsione: transacto intervallo temporis, sufficienti ad interruptionem moralem confessionis, accedit Confessarius ad fœminam pœnitentem, de qua, vt dixi, in confessione cognovit fragilitatem, & illam solicitat ad venerea quia

ante-

antecedentèr fingat occasionem, nec prætextum confessionis ad accedendum in domum suam, nec ad solicitationem; illa enim resistit, & Confessarius videndo resistentiam, & quòd vult persuadere ei, esse integram, vel honoratam, & bonæ famæ; tunc Confessarius instat dicendo, hoc alteri narra, ego enim scio tuam fragilitatem, & scis me eam scire; si enim per aliam viam non scit nisi per confessionem primò, frangit sigillum confessionis, quia nec cum pœnitente sine eius licentia, vel permissu potest loqui de peccatis confessis. Secundò est denunciandus, quia prætextus confessionis iam redditur proximus; siquidem illa solicitatio retrotrahitur ad confessionem, & ratione illius confessio est præsens solicitationi: ergo huiusmodi Confessarius est denunciandus DD. Inquisitoribus vt solicitans prætextu, & occasione confessionis.

355 Sed P. Sousa ponit hunc casum, inter alios *tract.* 1. *cap.* 18. *num.* 14. *& in Aphoris. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 36. & dicit huiusmodi Confessarium esse denunciandum, si talis solicitatio fiat statim post confessionem; sed contrarium tenet noster Peirinis *in privileg. Minim. tom.* 2. *constit* 4. *Gregorij XV. schol.* 2. *num.* 2. Lezana *in summ. quæst. Regular. cap.* 19. *num.* 34. sed P. Diana 4. *p. tract.* 5. *resol.* 7. citata, hoc dubium insolutum reliquit; & ego idem dixi §. antecedenti. Et iterum postquam vidi istos Auctores, affirmo, quòd etiam si transeat intervallum sufficiens temporis ad interruptionem moralem, huiusmodi Confessarius est denunciandus, quia prætextu, & occasione confessionis solicitat. Primò, hoc affirmo propter dicta; secundò, quia si hoc modo intelligerentur hæc verba, sicut explicantur à Sousa, vel essent inutilia hæc, vel illa immediatè ante, vel post, siquidem si solùm est solicitatio comprehensa in his terminis, quæ fit statim post confessionem prætextu, & occasione confessionis, & immediatè ante, iam ista solicitatio est comprehensa in illis verbis, immediatè ante, vel post; & si isti termini prætextu, & occasione confessionis solùm verificantur in hoc casu, superflui sunt primi immediatè ante, vel post: ergo vel primi, vel secundi termini

sunt

sunt superflui in Bulla, quia nullum præstant effectum.

356 Præterea, quia si solicitatio fiat transacto aliquo intervallo temporis cum illis verbis positis in casu, vel alijs similibus quæ afferuntur ab Auctoribus: sicut enim tui corporis copiam fecisti alijs, quare non vis commisceri mecum, eadem iniuria irrogatur Sacramento, ac si dicerentur immediatè post confessionem, quia in his, & similibus speciebus clarè apparet, quòd solicitatio capit ortum ab ipso Sacramento, & est medium patrandi delictum solicitationis; si enim iniuria fit Sacramento Pœnitentiæ, parùm refert quòd sit transactum aliquod temporis intervallum, vel quòd fiat solicitatio immediatè post confessionem: ergo in dicto casu Confessarius est denunciandus, quia solicitat prætextu, & occasione confessionis.

§. II.
ALII CASVS PRACTICI REFERVNTVR.

357 TERTIVS casus practicus est, quandò Confessarius dicit fœminæ, vel antequam cum illo confiteatur, vel postea, tu nescis confiteri veni in domum meam, & ego ostendam tibi, quomodò cum omnibus circunstantijs est facienda recta confessio, ista postea accedit, vt instruatur à Confessario, sed Confessarius illam ad venerea solicitat; in hoc casu resolvit Sousa loco citato, quòd huiusmodi Confessarius est denunciandus, quia prætextu, & occasione confessionis fœminam solicitat, etiam si confessio non sequatur; idemque cum illo resolvo, nam propriè ista solicitatio comprehenditur in illis terminis Bullæ: *Prætextu, & occasione confessionis, etiam ipsa confessione non sequuta.*

358 Cum his principijs à quodam doctissimo Magistro amicissimo meo, alius casus practicus fuit resolutus, iuxta praxim Inquisitionis Hispanicæ: Quidam Confessarius audivit confessionem cuiusdam fœminæ honestæ, & postquam transivit sufficiens temporis intervallum, extra Ecclesiam casu Confessarius

rius illam invenit, & dixit, nescis confiteri ingrediamur tuam domum, & ibi te instruam ad confessionem perfectam, & integram perficiendam, illa credidit Confessario, & cum maximè desideraret modum faciendi rectam confessionem, cum illo intravit domum suam, & statim existimando confessionem antecedentem validam non fuisse, genuflexit coram Confessario in forma pœnitentis, qui dixit, hæc non est confessio, sed instructio ad confessionem, surge, & sede mecum, quo facto aliquas actiones fecit impudicas, & inhonestas, fæminamque prætextu curiositatis provocavit ad mollitiem, ad quam nullo modo illa consensit; postea intentavit, vt nudus verberaretur à fæmina, & simul vt fæmina ab eo eodem modo verberaretur. Aliqui viri docti dixerunt, hanc non esse solicitationem comprehensam in Bulla, & ratio fundamentalis eorum erat, quia vt comprehenderetur in dicta Bulla, erat necessum, vt vel huiusmodi solicitatio esset in confessione, vel occasione, & prætextu confessionis, aut immediatè post confessionem; nullum ex his conveniebat huic solicitationi: ergo non erat comprehensa in Bulla Gregoriana.

359 Minorem probabant: quia hæc solicitatio fuit facta post longum temporis intervallum, quia plura mediarunt inter confessionem, & solicitationem; deindè non fuit prætextu, & occasione confessionis, sed prætextu instructionis, quod est distinctus casus: ergo ex nullo capite hæc solicitatio comprehenditur in Bulla. Nec fuit simulatio confessionis, quia licèt fæmina in forma pœnitentis genuflecteret, statim Confessarius explicavit suum animum, siquidem dixit, surge, & sede, quia hæc non est confessio. Præterea, Bulla non potest extendi ad hunc casum, etiam si sit favorabilis, quia constitutio favorabilis non est extendenda ad casus diversos: ergo videtur, quòd huiusmodi Confessarius non fuit comprehensus in Bulla Gregoriana.

360 His non obstantibus, Reverendissimus Magister, vt doctus, & versatus in materijs Inquisitionis, semper perseveravit in suo dictamine, & rectè, & ad suum assertum defensandum

nega-

negabat hanc ſolicitationem non eſſe factam prætextu,& occaſione confeſsionis. Primò, quia priùs præceſsit confeſsio,& poſtea ad oſtendendum, & docendum modum benè confitendi, Confeſſarius ſumpſit prætextum ex confeſsione præteritá, dicendo, neſcis confiteri, ego domi te inſtruam: ergo huiuſmodi ſolicitatio fuit prætextu,& occaſione confeſsionis, ex qua occaſionem arripuit ad fœminam ſolicitandam. Secundò,quia ſolus prætextus inſtructionis eſt ſufficiẽs,vt ſolicitatio ſit comprehenſa in Bulla, quia licèt inſtructio non ſit confeſsio, dicit ordinem ad confeſsionem.

361 Hoc poteſt parificari alio caſu: ſi enim, vt multoties contingit, accederet fœmina ad Confeſſarium doctum non animo confitendi,& abſque ſimulatione confeſsionis ad conſilium capiendum, vt confeſsionem generalem diſponeret,& Confeſſarius indè arriperet occaſionem ad illam ſolicitandam, ſecundum veriorem ſententiam, & praxim Tribunalis eſſet denunciandus Confeſſarius, vt ſolicitans prætextu, & occaſione confeſsionis;quia licèt illa non ſit confeſsio Sacramentalis, ordinatur ad confeſsionem faciendam. Ita Bonacina *tom.*1. *diſput.*6. *punct.*3.*num.*17.*verſ.Secundum dubium eſt*: ergo idem eſt diſcurrendum in noſtro caſu, quia illa inſtructio erat ordinata ad confeſsionem Sacramentalem, quòd ſufficit, vt Confeſſarius ſit ſolicitans prætextu,& occaſione confeſsionis; & fortasè illa verba Bullæ: etiam non ſequta confeſsione hoc denotant.

362 Hoc totum confirmatur doctrina D. Ioann. Eſcobar, quam ſumpſit ex doctiſsimo Magiſtro Souſa *tract.*1.*cap.*18.*num.*14.*per tot.& in Aphoriſ.lib.*1.*cap.*34.*num.*36.*& ſeqq.*Ponam verba Eſcobar, viri verſati,& practici in materijs S.Officij,vt cum illis reſolvantur multi caſus,ſic enim ait *part.*1.*quæſt.*4.§.1.*num.*53.*ampliat.*12. *Vt etiam comprehendantur in Summorum Pontificum decretis, omnes ſolicitationis caſus, qui etſi non intervenerint ante ſeu poſt confeſſionem immediatè, ex ipſo tamen Sacramento nacta eſt occaſio ad ſolicitandum, vel dum Sacramentum fuit ſumptum, velut medium ad provocandam fœminam, ſeu ipſa ſolicitatio*

ita coniungitur cum confessione, vt eam includat ratione alicuius dependentiæ.

363 Ex his verbis confirmo resolutionem doctissimi Magistri: in primis enim dicit Escobar à Corro ex Sousa, quòd solicitatio comprehenditur in Summorum Pontificum decretis, etiam si non intervenerit immediatè ante, vel post confessionem, si ex Sacramento nacta est occasio ad solicitandum; sed in dicto casu, ex Sacramento fuit orta occasio, siquidem dixit Confessarius, tu nescis confiteri ingrediamur, &c. ergo ex hac parte solicitatio fuit facta prætextu, & occasione confessionis. Secundò, quia dicit, quòd solicitatio est facta occasione, & prætextu confessionis, quando eam includit ratione alicuius dependentiæ; sed huiusmodi solicitatio habet dependentiam à confessione præterita, & futura: ergo Confessarius dictus est denunciandus vt solicitans prætextu, & occasione confessionis.

364 Quintus casus est. Suppono, quòd aliqua fœmina fingitur ægrotans, vel quia fuit pactum ad hanc fictionem inter ipsam, & Confessarium, vel quia illa desiderat loqui secretò cum Confessario de rebus venereis, & alio modo non habet opportunitatem; hoc prætextu vocat Confessarium ad confitendum, & Confessarius ingreditur cubiculum prætextu confessionis, & eam solicitat, vel quia eam occasionem præbet, vel intuitu pacti antecedentis. Iste Confessarius est ne denunciandus virtute Bullæ Gregorianæ? Ioan. Sanchez *in select. disput.* 11. *num.* 68. *in fine*, sentit, huiusmodi Confessarium esse denunciandum, quia Confessarius vocatur prætextu confessionis, sive antecedentèr sit pactum, sive non.

365 D. Ioann. Escobar distinguit, & dicit, quòd si fœmina ægrotans Confessarium evocet ad confitendum, & eam solicitet, venit denunciandus Inquisitoribus, non quia talis Confessarius solicitet prætextu confessionis, sed quia simulat confessionem ad illudendum inspicientibus. Idem tenet Diana 4 *part. tract.* 5. *resol.* 37 Sed pace horum Auctorum existimo, quòd huiusmodi Confessarius est denunciandus, quia solicitat prætextu confessionis,

ſionis, vt ab his Auctoribus proponitur caſus, quia iſta fœmina ægrotans vocat Confeſſarium animo confitendi. ergo ſi non eſſet ſimulatio, etiamſi Confeſſarius illam ſolicitet ingrediendo domum,& cubiculum prætextu confeſſionis, non eſſet denunciandus, quòd non eſt audiendum. Quòd enim hoc non ſit audiendum, conſtat, quia vt Sacerdos ſit virtute Bullæ denunciandus, dummodò detur prætextus, & occaſio confeſſionis, parùm refert quòd non ſit ſimulatio; quia aliàs hæc verba prætextu, & occaſione confeſſionis inutilia eſſent, & quando Confeſſarius accedit ad fœminam prætextu confeſſionis præteritæ, vel futuræ,& ſolicitat, non eſſet denunciandus.

366 Nunc probatur ſequela. Secundum hos Auctores, etiam ſi fœmina ſit ægrotans,& vocet Confeſſarium ad confitendum, ſi non ſimulant confeſſionem non eſt denunciandus; ſed tunc datur prætextus confeſſionis: ergo ſi hæc doctrina eſſet vera, ſi non eſt ſimulatio, etiam ſi detur prætextus,& occaſio confeſſionis, Confeſſarius non eſt denunciandus. Minor probatur: Confeſſarius ingreditur cubiculum ægrotæ prætextu proximo audiendi confeſſionem in illo loco: ergo tunc datur prætextus confeſſionis; ſed ſi tunc non eſſet ſimulatio ad circunſtantes decipiendos, ſed Confeſſarius ingrederetur cubiculum hoc prætextu,& ſtatim ſolicitaret, antequam ſimularet confeſſionem, nec poſtea ſequeretur confeſſio, ſecundum doctrinam horum Auctorum non eſſet denunciandus: ergo in quocumque loco ſine ſimulatione, ſi ſolicitaret prætextu, & occaſione confeſſionis, non eſſet denunciandus, quòd eſt contra tenorem Bullæ.

367 Quare meo videri, ſi caſus dicto modo accidit, Confeſſarius eſt denunciandus, quia prætextu, & occaſione confeſsionis ſolicitat, ideòque adhæreo ſententiæ Ioann. Sanchez; nam aliàs, ſi fœmina vocaret Confeſſarium ad confitendum, & antequam hic ſederet in loco electo ad audiendas cõfeſsiones, illam ſolicitaret, ſi poſtea non ſequeretur confeſsio, non eſſet denunciandus, quia eodem modo vocatur prætextu confeſsionis, & deeſt ſimulatio; hoc eſt falſum in omnium ſententia, ideòque

additur in Bulla, etiam ipsa confessione non sequta : ergo similitèr in dicto casu, si Confessarius vocatur ad confitendum, & solicitat, etiam si non simuletur confessio, est denunciandus.

368 Alio modo proponit casum Diana loco citato, ex sententiâ Freitas, *de Conf. ss. solicit. in noviss. edit. quæst.* 19. *num.* 44. & est: si fæmina vocet Confessarium ad confitendum, vt Confessarius Prælatum decipiat, cum tamen ex tractatu præcedenti, tam Confessor, quam fæmina habeant animum agendi de rebus venereis. In hoc enim casu fateor, quòd Confessarius solicitans non est denunciandus, quia prætextus est remotus ex parte vtriusque, nam locus ad quem accedunt, vt de rebus venereis tractent, est remotus à confessione.

369 Ex quibus duos resolves casus. Primus est, si Confessarius accederet ad domum fæminæ animo illam solicitandi, quia sic tractarunt ambo, & fæmina diceret circunstantibus, quòd iste Confessarius venit ad illam confitendam, vt relinquerent illos solitarios ad explendam libidinem, & Confessarius nullo modo ingrederetur hoc prætextu, certè nõ esset denunciandus, quia prætextus, vt constat ex Bulla, debet se tenere ex parte Confessarij, & licèt fæmina prætexeret confessionem, Confessarius autem non solicitat prætextu, & occasione confessionis. Secundus casus est, si Monialis ad facilitandam licentiam, & parlatorium privatum fingeret prætextum confessionis, vt Abbatissa licentiam, & parlatorium solitarium illi concederet, & Confessarius ingrederetur solùm ad vrbanè loquendum, & solicitaret, vel cum illa haberet sermones illicitos, aut aliud obscœnum, absque dubio denunciandus non esset Confessarius Inquisitoribus; quia prætextus confessionis non se tenet ex parte Confessarij, sed pœnitentis, & iste non ingreditur in Bullam.

370 Si autem vnus, & alter casus contrariò evenirent, talitèr, quòd Confessarius vocaret Abbatissam, & diceret, ingredior loco separato ad excipiendam confessionem Monialis, vel ingrederetur domum, & patri, vel matri fæminæ exposceret cubiculum separatum domus, quia venit ad illam fæminam

con-

confitendam, & postquam ingrederetur cubiculum, illam solicitaret; in vno, & altero casu Confessarius erit denunciandus, quia tunc solicitaret prętextu, & occasione confessionis, talitèr, quòd prætextus se haberet ex parte Confessarij.

371 Alio modo proponit casum fæminæ ægrotæ D. Ioann. Escobar à Corro *par.1. quæst.3. de mater. solicit. nu.46. ampliat.4.* & est quando fæmina capta amore Confessarij ad illũ attrahendum morbum fingit, aut verè ægrotat, vocatque illum ad audiendam confessionem, & clausso ostio cubiculi, illum provocat ad libidinem; & si Confessarius resistit, dicit fæmina se exclamaturam, vim sibi ab illo inferri, si crimen non adimpleat; in hoc enim casu resolvit D. Ioann. Escobar à Corro, quòd si Confessarius consentit, licèt læthalitèr peccet, non est solicitans; citat Acuñam *quæst.9. num.9.* Graff. *cons.7. nu.1. de pœnitent.* Ioann. Sanchez *disp.11. num.30.* & loquendo de hoc casu, dicit, quem iam de facto vidi; stat etiam pro hac sententia Trullench *tom.1. in Decalog. lib.1. cap.3. dub.8. num.47.* & noster Trimarchius *de Confess. abutent. disp.9. sect.1.* illam sententiam iudicat probabilem, sed contrariam esse sequendam ob favorem Sacramenti; ideòque *disp.14. sect.2.* illam consulit in praxi.

372 Pater Diana *tom.4. tract.5. resol.15.* proponit hunc casum, sed nihil resolvit, imò potiùs refert Freitam in fine, & concludit resolutionem referendo, quòd secundũ istum Auctorem, huiusmodi Confessarius non est denunciandus, neque potest puniri per DD. Inquisitores pœna arbitraria; sed miror, quòd non resolvat hanc difficultatem; siquidem *resol.4.* defensat, quòd est denunciandus Confessarius, qui consentit solicitationi, etiamsi absolutionem Sacramentalem non impendat; idem repetit *resol.42.* & ego addo, omnes Auctores, qui patrocinantur meam sententiam de Confessario consentiente solicitationi; nam parum referunt minæ fæminæ pœnitentis, vt Confessarius liberetur à denunciatione; quare secundum mea principia, & praxim Inquisitionis resolvo, quòd si huiusmodi Confessarius consentit solicitationi est denunciandus DD. Inquisi-

quisitoribus, quod breviter probo: ex tenore Bullæ non solùm est denunciandus Confessarius, qui in confessione habet sermones, & inhonestos tractatus, sed etiam, qui illos exercet prætextu, & occasione confessionis, ipsa confessione etiam non sequta; sed iste Confessarius consentit solicitationi prætextu confessionis, habet sermones, & inhonestos tractatus: ergo est denunciandus DD. Inquisitoribus.

373 Vt autem alios casus similes resolvas, oportet commendare memoriæ hanc doctrinam generalem; scilicèt, semper, & quando accedit Confessarius ad fæminam prætextu, vel confessionis futuræ, vel præteritæ, vel ad capiendum consilium de confessione futura, dummodò prætextus se teneat ex parte vtriusque, vel tantùm ex parte Confessarij, iste est denunciandus, si in his occasionibus illam solicitat, quamvis nullo modo sequatur absolutio, aut confessio aliquorum peccatorum; si autem prætextus, vel occasio confessionis tantùm se tenet ex parte feminæ, Confessarius solicitans, vel consentiens solicitationi minimè est denunciandus, quia solùm est reus Bullæ si solicitat prætextu, & occasione confessionis, etiam confessione non sequta: ergo prætextus, & occasio debet se tenere ex parte Confessarij.

QVÆSTIO XIII.

QVOMODO INTELLIGVNTVR ILLA VERBA BVLLÆ, *sive extra occasionem Confessionis in confessionario.*

§. I.

VERBA BVLLÆ, ET PRIMA SENTENTIA PONVNTVR.

374 QVOD sit solicitatio denuncianda Inquisitoribus, quæ fit in confessionali, simul simulando confessionem, non est dubium, quia ad minus hæc sonant verba Bullæ Gregorij XV. quòd enim (præcipuè his temporibus) inter recentiores vertitur indubium est: an solicitatio ad venerea solùm in

in confessionali, præcisa simulatione confessionis, sit denuncianda DD. Inquisitoribus? Vt autem hæc gravissima quæstio cum fundamento decidatur, ponam in hoc §. verba Bullæ, & pro sententia negativa referam intelligentias Auctorum.

375 Verba Bullæ Gregorianæ sunt hæc: *Sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo simulantes ibidem confessiones audire, solicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio S. Inquisitionis severissimè, vt infra puniantur.* Tota difficultas inter Auctores est circa constructionem horum verborum; nam aliqui dicunt, quòd illi termini, *simulantes audire confessiones*, non solùm referuntur ad immediatè antecedentia, sed ad omnes casus de confessionario proprio, vel electo. Ita Lezana *tom. 1. tit. de obligat. Confess. Regul. cap. 19. num. 34.* citat Rodriguez *tom. 2. quæst. 47. art. 1. & 2.* Quarantam *in summ. Bullar. vers Confessor*, explicando Bullam Pij IV. Leandrum *de Sacrament tom. 10. tract. 5. de Sacram. Pœnitent. disp. 30.* qui citat Freitam *in edit. noviss. quæst. 15. num 49.*

376 Etiam tenent hanc sententiam Sousa *in annot ad Bullam Gregorij XV. pag. 265. num. 13.* Fagundez *in Decalog. lib. 6. cap. 12. num 19* Sanchez *tom. 1. tract. 4. disp. 9 punct. 8. nu. 4.* Thomas del Bene *part. 2 de Offic. S. Inquisit dubit. 237. sect. 11. num. 6 pag. 574.* Thomas Hurtado *tract 4. de Confess solicit. cap. 5 resol. 8 num. 72 & seqq. & cap 8. resolut. 33 §. 1. 2. & 3.* Trimarchius *de Confess. abutente, disp 3. num. 2.* Bossius *in append. ad tract. de Iubil. dub. 13. num. 33.* Castrus à Palao *tom. 1. tract. 4. disp 9. punct. 8. num 4. vers. Advertendum tamen est*, P. Didacus de la Fuente Hurtado *in sua Theolog. reform.* qui scripsit anno 1689 *dissert. 19. de simulata administrat Sacramenti, num 94. & seqq.*

377 Ioan. Sanchez *in seiect disp. 12. num. 68. §. hinc fit*, loquitur cum distinctione, hæc enim habet: *Hinc fit pœnis huius constitutionis non comprehendi Confessarium, qui cum Moniali paciscitur in Confessionario turpitèr confabulari, quando talis locus indifferens*

est tam ad vrbanè loquendum, Hispanicè recibir visitas, quam ad excipiendas confessiones, vt moris est in pluribus huius Curiæ Matritensis Monasterijs. Quòd contingit ferè in omnibus confessionarijs Monialium, quod est maximus abusus loci Sacri, quia multoties onerantur conscientiæ, vbi per lavacrum Pœnitentiæ exonerantur.

378 Cum autem hæc sententia sit vallata tot rationibus, & Auctoribus doctissimis, licèt in alijs mecum sentiat D. Ioann. Escobar à Corro *part.1.quæst.4.§.1.num.35.circa fin.* non autem in censura huius sententiæ, cum illam improbabilem iudicet. Aliud enim est non esse iuxta praxim Inquisitionis Hispanicæ, quòd est verum, aliud esse improbabilem, quia vt dixi in quæstione procemiali, etiam si DD. Inquisitores iudicent secundum vnam sententiam, quia in illa fundatur stylus Tribunalis, non tollunt probabilitatem speculativam contrariæ sententiæ, nec practicam quoad forum conscientiæ; benè verò quoad iudicandum in foro exteriori. In confirmationem huius veritatis est recolendum, quod diximus de Decreto Sanctissimi Patris nostri Innocentij XI. in eadem quæstione procemiali; nempè, non posse censurari opiniones quæ controvertuntur inter Catholicos, & adhùc non sunt damnatæ à Summis Pontificibus; sed ista sententia nullo modo est damnata, & aliundè illam docent multi, & gravissimi Auctores: ergo de illa non est dicendum quòd sit improbabilis.

379 Sed licèt D. Ioan. Escobar hanc sententiam negativam vocet improbabilem, non ideò dictum istius Auctoris est contra Decretum Innocentij XI. Primò, quia iste Auctor scripsit ante Decretum, & hac ratione omnes propositiones damnatæ manent in Auctoribus illas defensantibus, qui scripserunt ante Decretum; sed si aliquæ propositiones ex his post dictum Decretum defenderentur, vel in manuscriptis, vel in libris impressis, statim prohiberentur à DD. Inquisitoribus, quia quæ sunt scriptæ post Decretum, sunt dignæ censura. Secundò, quia dicere quòd aliqua propositio est improbabilis probabilitèr, non

est

est terminus censuræ; sicut esset si de illa diceretur, quòd est temeraria, scandalosa, denigrativa, &c.

§. II.
SECVNDA SENTENTIA PONITVR, ET ELIGITVR.

380 ANTEQVAM ponam sententiam affirmativam cum suis Auctoribus, & rationibus, adverto primò, quòd in prima sententia proposita est duplex modus procedendi, & etiam in sententia quam amplectar. Primò, enim aliqui Auctores loquuntur in prima sententia absque distinctione, & sic processerunt omnes, excepto Ioann. Sanchez, & Thoma Hurtado, quia dixerunt, quòd si solicitatio fit in confessionali absque simulatione, non est denuncianda DD. Inquisitoribus; & primò Ioan. Sanchez, & Thomas Hurtado tenent, quòd si confessionarius est vnicè deputatus ad audiendas confessiones, si in eo solicitat Confessarius, denunciandus est DD. Inquisitoribus; si autem sit indifferens ad vrbanè loquendum, & confitendum, non est solicitatio comprehensa in Bulla, si in eo provocet Confessarius ad venerea.

381 Auctores autem contrariæ sententiæ etiam procedunt absque distinctione confessionalium, & defensant, quòd solicitatio in confessionario est denuncianda DD. Inquisitoribus; sed benè absque distinctione procedunt, quia Ioann. Sanchez loco citato, ideò illam distinctionem ponit, quia ex eo quòd confessionarius vnicè sit deputatus ad audiendas confessiones, invivit simulationem; quare existimat, quod illa verba: *Simulantes ibidem se audire confessiones*, referũtur ad omnia antecedentia; cum autem Auctores referendi hoc negent, secundum illorum sententiam illa verba non referuntur ad omnia antecedentia, sed ad immediatos terminos: *Aut in loco electo ad confessionem audiendam*.

382 Quare secunda sententia defensat absque distinctione, quòd si Confessarius fœminam solicitat in confessionario vigore

Bullæ Gregorij XV. est denunciandus Inquisitoribus. Hanc sententiam tenet Salelles *tom.1. de mater. Inquis. regul.* 134. *pag.* 256. *num.* 153. Coriliano *de casib. reservat. part.* 1. *sect.* 2. *art.* 22. *num.* 4. Carena *de Offic. S. Inquisit. part.* 2. *tit.* 6. *de Confess. solicit.* §. 5 *num.* 31. *& seqq.* Bonacina *tom.* 1. *quæst.* 4. *de Matrim. punct.* 16. *num.* 9. *in fine*, noster Peirinis *tom.* 2. *privileg. constit.* 4 *Gregorij XV.* §. 5. *num.* 15. Trullench *tom.* 1. *in Decalog lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 18. *num.* 77. *in fine*, Diana 1. *part. tract.* 4. *resol.* 18. *&* 25. *&* 4 *part. tract.* 5. *resol.* 38. D. Ioan. Escobar à Corro loco citato, *num.* 15 *& seqq.*

383 Iuxta istam sententiam, & praxim Inquisitionis, dico primò: Confessarium solicitantem in confessionario vnicè deputato ad confessionem audiendam, si in illo extra occasionem confessionis absque simulatione solicitat est denunciandus. Probatur primò ex verbis Bullæ Gregorij XV. *Sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones Sacramentales audiuntur, &c.* Ex quibus verbis sic arguo: Confessarius non solùm solicitans prætextu, & occasione confessionis, sed etiam extra occasionem confessionis in confessionario est denunciandus, sed qui solicitat prætextu, & occasione confessionis, etiamsi non simulet confessionem, est denunciandus: ergo etiam qui solicitat extra occasionem confessionis in confessionario, quamvis non simulet confessionem. Probatur consequentia: quia Bulla Gregorij XV. eodem modo loquitur de Cõfessario solicitante prætextu, & occasione confessionis, ac de solicitante extra occasionem confessionis in confessionario: ergo sicut est denunciandus Confessarius solicitans prætextu, & occasione confessionis, etiam si non simulet confessionem, ita solicitans in confessionario.

384 Ad hoc respondent communitèr contrarij, quod illa verba: *Simulantes ibidem confessionem audire*, referuntur ad tres casus antecedentes, & primus est, *sive extra occasionem confessionis in confessionario*; & est idem ac dicere esse denunciandum Confessarium ad venerea solicitantem extra occasionem confessionis in confesionali, simulantem ibidem confessionem audi-

audire. Hoc modo construunt prædicta verba ferè omnes Auctores contrariæ sententiæ.

385 Sed contra est: illa verba, *simulantes ibidem, &c.* solùm referũtur ad clausulam immediatam, *aut in loco electo ad confessionem audiendam*; quia aliàs talis locus non erat destinatus ad confessionem audiendam, & pro libito Confessarij, & pœnitentis ad confessionem audiendam eligitur, & talis locus esse potest, aut in Ecclesia, aut in agro, vel domi, quia si ita non essent intelligenda prædicta verba, ad quid deserviret distinctio locorum; vnica enim clausula possent omnia comprehendi, dicendo esse denunciandum Confessarium, qui solicitat in quocumque loco simulando confessionem: ergo ostendendo distinctionem inter confessionarium, locum in quo confessiones audiuntur, & in loco electo pro libito ad audiendam confessionem, ad vltimum debet referri simulatio, & non ad antecedentia.

386 Confirmatur: vt solicitatio facta in confessionario sit comprehensa in Bulla, non est necessum quod fiat occasione confessionis, vt constat ex illis verbis: *Sive extra occasionem confessionis in confessionario*: ergo neque est necessum quod fiat simulando confessionem. Probatur consequentia: solicitatio quæ fit simulando confessionem, fit occasione confessionis, quia occasio confessionis non solùm comprehendit confessionem veram, sed simulatam, imò magis propriè comprehendit fictam, quam veram. Ita Augustinus Barbosa *dict. 236. num. 6. & 7. pag. 287.* sed salicitatio quæ fit in confessionario, etiam si fiat extra occasionem confessionis, est comprehensa in Bulla: ergo etiam si fiat absque simulatione, dummodò fiat in confessionario.

387 Hoc ipsum ostendit communis vsus loquendi, quia causam fictam, & coloratam occasionem vocamus; dum enim quis vult discedere ab amico propter minimam, aut nullam causam dicitur occasionem quærere; ideòque constituendo Barbosa distinctionem inter occasionem, & causam, dicit, quòd causa semper additur facto vero; occasio autem ficto, & simulato: ergo simulatio confessionis est occasio confessionis, quia licèt

cèt omnis occasio non sit simulatio, benè verò omnis simulatio confessionis est occasio confessionis; sed ex verbis Bullæ dummodò solicitatio fiat in confessionario est denuncianda, quamvis nulla detur occasio confessionis, quia illa particula *extra*, significat omnimodam separationem,& remotionem ab occasione confessionis, *l.absentem* 199. ergo si esset necessaria simulatio confessionis, vt solicitatio facta in confessionario vnicè electo ad audiendas confessiones comprehenderetur in Bulla, esset contra tenorem illius, vt constat ex illis verbis: *Extra occasionem confessionis in confessionario.*

388 Probatur secundò cum eisdem verbis Bullæ:dum enim loquitur de confessionario, & de loco publicè destinato ad audiendas confessiones, diversimodè procedit, ac cum facit mentionem de loco pro libito electo ad confessionem audiendam; quia de primis loquitur indefinitè,& in plurali numero, vt constat ex illis verbis: *Extra occasionem confessionis in confessionario, aut in quocumque loco, vbi confessiones Sacramentales audiantur*; cum autem sit sermo de loco pro libito electo, ponitur in numero singulari,& cum particula disiunctiva: *Seu in loco electo ad audiendam confessionem*: ergo illa verba: *Simulantes ibidem audire confessiones*, sunt accessoria ad locum electum pro libito Confessarij, sive sit in eremo, vel in agro: ergo Confessarius solicitans in confessionario vnicè electo ad audiendas confessiones, est denunciandus,quamvis non simulet confessionem.

389 Probatur tertiò conclusio: Ante constitutionem Gregorij XV.erat denunciandus Confessarius,qui extra occasionem confessionis solicitabat in confessionario: ergo multò meliùs vigore Bullæ Gregorij XV. Consequentia constat: quia huiusmodi constitutio non fuit limitativa, sed ampliativa, vt tenent omnes DD.Antecedens probatur: ante constitutionem Gregorianam fuit Decretum Sacræ Congregationis factum coram Pontifice Paulo V.die 10. Iulij anni 1614. vbi facta relatione, quòd aliqui Confessarij in confessionali tractant cum fœminis de rebus inhonestis extra occasionem confessionis stando, vel seden-

sedendo, sanctissimè decrevit Congregatio; *Vt contra huiusmodi Confessarios procedatur in S. Officio*: ergo vt Confessarius solicitans in confessionario sit denunciandus Inquisitoribus, non est necessaria simulatio, nec prætextus confessionis.

390 Ad hæc respondet P. Didacus la Fuente Hurtado, loco citato, *in sua Theolog. reform. dissert.* 19. *num.* 97. quòd Decretum Pauli V. non fuit publicatum in Hispania, neque Inquisitio illud habet inter alia decreta, & Bullas Pontificias, & etiam si fuerit huiusmodi decretum admissum, & publicatum; cum Bulla Gregorij XV. sit posterior, ad terminos huius Bullæ debet reduci; cum autem in Bulla sint illa verba: *Simulantes ibidem audire confessiones*, si simulatio non adest, Confessarius solicitans in confessionario denunciandus non est.

391 Sed contra: in primis licèt admittatur, quòd asserit iste Auctor, non ideò DD. Inquisitores carent iurisdictione ad procedendum contra Confessarios solicitantes in confessionario, quia huiusmodi decretum est declaratio constitutionum Pontificum; vt autem obliget declaratio, & ampliet iurisdictionem, non requiritur quod publicetur, sicut leges, & constitutiones factæ de novo. Secundò, tale decretum non fuit limitatum, nec annullatum per constitutionem Gregorij XV. quia non reduxit solicitationem in confessionario ad terminos simulationis; imò potiùs ex hoc sumitur efficax argumentum pro nostra sententia, quia Gregorius XV. nihil limitavit in hac materia, imò potiùs ampliavit Bullas antiquas: ergo neque limitavit solicitationem in confessionario ad terminos simulationis.

392 Quando enim confessionarius vnicè est deputatus ad audiendas confessiones (de quo procedit hæc conclusio) etiam secundum sententiam Ioan. Sanchez, loco citato, quem sequitur la Fuente Hurtado, *num.* 106. si in illo solicitat extra occasionem confessionis est denunciandus; quia ex eo quod circunstantes videant Confessarium ingredientem confessionarium, & fœminam, præsumunt eorum ingressum esse ad confitendum; cum autem ex hac parte detur sufficiens simulatio, est denunciandus

Con-

Confessarius si solicitat; etiam si non ingrediatur prætextu, & occasione confessionis, quia solicitat in confessionali cum sufficienti simulatione, vt circunstantes decipiantur.

393 Vt autem omnia, circa hanc quæstionem distincta maneant; sit secunda conclusio: Confessarius solicitans in confessionali promiscuo, aut indifferenti ad audiendas confessiones, & ad vrbanè loquendum, etiam est denunciandus DD. Inquisitoribus virtute Bullæ Gregorij XV. quamvis non simulet confessionem. Antequam probetur conclusio; adverto me dixisse §. antecedenti referendo sententiam Ioan. Sanchez, quòd mihi placuit multo tempore, sed hodie illam non amplector, quia stylus, & praxis Inquisitionis Hispaniæ est pro contraria sententia, siquidem secundum praxim illius non solùm punitur Confessarius solicitans, in confessionariò vnicè electo ad audiendas confessiones, sed etiam si solicitet in confessionali promiscuo absque simulatione.

394 Probatur primò conclusio ex Decreto Pauli V. nam in illo dicitur, quòd puniatur in Inquisitione Confessarius solicitans in confessionario extra occasionem confessionis, sive fæmina sedeat, vel stet vt refert Pater Salelles loco citato; sed ex hoc sequitur, quòd sit denunciandus, etiam si solicitet in confessionario promiscuo absque simulatione: ergo Confessarius solicitans in confessionario promiscuo ad venerea est denunciandus, etiam si Confessarius non simulet confessionem. Probatur minor: illud decretum emanavit, quia plures Confessarij in confessionario extra occasionem confessionis cum feminis de inhonestis tractabant, & determinatur, quod puniantur in S. Officio, etiam si sint sedentes, vel stantes, per quas positiones tollitur totalitèr simulatio: ergo ex dicto decreto sequitur, quod Confessarius solicitans ad venerea in confessionario promiscuo est denunciandus, quamvis non interveniat aliqua simulatio.

395 Probatur secundò conclusio: Confessionarius est locus destinatus ad audiendas confessiones, & ad curanda vulnera lethalia; sed si in illo Confessarius solicitaret ad turpia, & inhone-

sta

fia deserviret ad ingentiora vulnera ingerenda, quod est iniuria saltem mediatè Sacramenti Pœnitẽtiæ: ergo etiam si non simuletur confessio, si Confessarius solicitat in confessionali, etiam promiscuo est denunciandus; quòd enim polluere obscœnitatibus confessionarium sit iniuria saltem mediatè Sacramenti probatur, ex eo qui solicitat simulando confessionem, iniuriat ex mente Pontificis Sacramentum, quia iste intendit, quod sine sorde administretur, & occasione, & simulatione illius etiam iniuriatur, quia deservit prætextus Sacramenti ad obscœna, & inhonesta; sed si confessionarius polluatur, cùm sit locus ad Sacramentum administrandum, etiam iniuriatur Sacramentum; sicut non solùm iniuriat Principem, qui eius personam inhonorat, aut iniuriat, sed etiam qui conculcat, & contemnit sedem propriam illius: ergo solicitare ad venerea in confessionario, qui propriè est sedes Christi, & Sacramenti, est saltem mediatè iniuriare Sacramentum, quamvis confessionarius sit indifferens.

396 Nec valet si dicas, quòd nulla fit iniuria, nec mediatè Sacramento Pœnitentiæ si solicitatio absque simulatione fiat in Confessionario promiscuo ad audiendas confessiones, & ad vrbanè loquendum, quia saltèm verba Bullæ debent intelligi de confessionario formali; id est, de confessionario vnicè deputato ad audiendas confessiones. Sed contra; vel confessionale est formale, quando audiuntur confessiones veræ, vel simulatæ tantùm, vel ex eo quòd sit confessionale; si solùm est tale formalitèr, quando audiuntur confessiones, vel simulantur, frustrà additur in Bulla, *sive extra occasionem confessionis in confessionario*; cum dicta solicitatio comprehendatur hoc modo in Bulla, vel quia solicitat in confessione vera, vel simulata: ergo absque eo quòd detur simulatio, si solicitatio fit in confessionario est comprehensa in Bulla, quamvis confessionarius promiscuus sit.

397 Si autem dicas, quòd confessionarius formalis solùm est ille, qui vnicè est diputatus ad audiendas confessiones, ac per consequens solicitare in dicto confessionario absque confessione vera, vel simulata esse casum comprehensum in Bulla.

quòd

quòd non contingit in confessionario promiscuo. Contra primò, omne quod propriè dicitur confessionale est deputatum per se ad audiendas confessiones, quòd autem etiam deserviat ad vrbanè loquendum est abusus loci, quòd non tollit esse formalem confessionarium, ac per consequens est confessionale per se, & per accidens parlatorium, sed confessionale per se formalitèr est tale: ergo confessionarius promiscuus formalitèr est confessionarius.

398 Contra secundò: vt enim dicit P. la Fuente Hurtado, *num.* 106. ex eo in sententia Ioan. Sanchez, loco citato, solicitare in confessionario vnicè deputato ad audiendas confessiones, est casùs comprehensus in Bulla, quia in illo, vt advertit la Fuente Hurtado, simulatio confessionis intervenit, quia ex vi illius deputationis, vel sola postulatio clavium, apertio loci, ingressusque ad eum determinatè, significat id fieri ad confessionem audiendam, ac per consequens in omnibus his actionibus invivitur simulatio; sed si ad hoc, vt sit confessionale formale, requiritur quòd detur simulatio, frustra ponerentur, vt dixi, illa verba in Bulla; sed etiam si nihil diceretur in illa de confessionali, solicitatio cum illis circunstantijs esset denuncianda, quia in illa invenitur simulatio: ergo solicitatio quæ fit in confessionali promiscuo est denūcianda, quia fit in confessionali formali.

399 Ex quibus infero, malè dixisse D Ioan. Escobar à Corro, loco citato, *num.* 27. *& seqq.* quòd solicitare in confessionario est casus comprehensus in Bulla, etiam si non interveniat simulatio, quia dum videmus ingredi Confessarium, & filiam pœnitentiæ confessionarium, semper præsumimus ingressos esse ad confessionem, quia hoc postulat loci destinatio, & officium Confessoris; & ita ratione officij, & loci satis præsumitur simulatio. Hoc enim contrariatur cum dictis *num.* 19. siquidem in hoc numero constituit regulam, quòd illa clausula, *simulantes ibidem confessiones audire*, tantùm refertur ad locum electum per Confessarium ad audiendam confessionem; sed *num.* 27. *& seqq.* dicit, quòd ex eo Confessarius solicitans in confessionario est denun-

denunciandus, quia ingressus Confessarij ad illum locum, & filię pœnitentiæ afferunt secum simulationem: ergo secundum hunc modum discurrendi est sibi contrarius; quia *num.* 27. statuit, quòd Confessarius solicitans in confessionario sufficientèr simulat confessionem: ergo contra dictum *num.* 19. illa clausula, *simulantes ibidem confessiones audire*, non solùm refertur ad locum pro libito electo à Confessario ad audiendam confessionem, sed etiam ad confessionarium.

400 Vltimò probatur conclusio ex Decreto allato Pauli V. quia ibi est sermo de omnibus confessionarijs, & vt refert Salelles, illi Confessionarij promiscui erant, siquidem in illis, vt supponitur, non solùm audiebantur confessiones, sed alia diversa Confessarij cum fæminis tractabant; ideòque ad excludendam omnem simulationem confessionis dicit P. Salelles, quòd fuit determinatum coram Sanctissimo per Cardinales, quòd Confessarij tractantes in confessionali de rebus obscœnis, & inhonestis, per Inquisitores puniantur, sive in confessionario sint sedentes, vel stantes: ergo non solùm Confessarij solicitantes in confessionario vnicè deputato ad audiendas confessiones sunt denunciandi, sed etiam qui solicitant in confessionario promiscuo.

401 Ideòque duo adverto. Primum, quòd Prælati qui habent Moniales, nullo modo permittant, vt confessionarij fiant parlatoria, quia est periculum maximum, vt locus destinatus ad vulnera spiritualia curanda, polluatur obscœnitatibus cum iniuria, non solùm loci, sed etiam Sacramenti Pœnitentiæ, quia saltem talis locus ordinatur ad administrandum tantum Sacramentum. Quare Tribunal S. Inquisitionis hoc anno mense Maij publicavit, & intimavit mandatum, quod est tenoris sequentis: *El Tribunal del Santo Oficio tiene mandado y manda, y por inconvenientes de confessar en las celdas y Capillas secretas, que los Confessores no confiessen hombres, ni mugeres, niñas, ni muchachos, sino es en el cuerpo de la Iglesia, y en Confessonarios publicos. Y que ningun Cura, ni otro Confessor confiesse en las casas, salvo estando enfermos*

fermos en la cama, ò con algun impedimento considerable, ò estandolo los penitentes; advirtiendo, que se puede confessar en las Sacristias, Claustros, y Capillas que en ellos huviere, publicamente estando de par en par las puertas abiertas: Y por aora no se probibe confessar en los Oratorios. Et vox *manda*, sonat præceptum, vt dicam in 3. *part*. Secundum, ne Confessarij fidant in probabilitate contrariæ sententiæ, quia nostra est absque dubio secundum praxim S. Officij; ideòque in illo non solùm punitur Confessarius solicitans in confessionario vnicè deputato ad audiendas confessiones, sed etiam in promiscuo ad administrandum Sacramentum Pœnitentiæ, & vrbanè loquendum.

§. III.
ALIQVA ARGVMENTA SOLVVNTVR.

402 FVNDAMENTVM primum contrariæ sententiæ potest sic proponi: Illa verba, *simulantes ibidem confessiones audire*, non solùm referuntur ad locum pro libito electum ad confessionem audiendam, sed etiam ad confessionarium, & ad locum vbi confessiones Sacramentales audiuntur: ergo solicitatio facta in confessionario non est denuncianda, si non simulatur confessio. Probatur antecedens ex regula iuris: determinatio respiciens plura determinabilia, debet pariformitèr ea determinare, *l. iam hoc iure 4. in princip. de vulg l. fin C de sentent. & interlocut.* Sed illa verba, *simulantes ibidem confessiones audire*, est determinatio constitutionis Gregorij XV. ergo pariformitèr debet determinare omnia antecedentia; scilicèt, non solùm solicitationem factam in loco electo pro libito Confessarij, & pœnitentis, sed etiam factam in confessionario, & in loco quocumque vbi confessiones Sacramentales audiuntur: ergo simulatio debet intervenire, vt solicitatio in confessionali sit comprehensa in Bulla.

403 Respondetur negando antecedens, & ad probationem illius est distinguenda illa propositio: determinatio respiciens

plura

plura determinabilia, debet pariformitèr ea determinare; si in omnibus ratio determinandi eadem est, concedo maiorem; si sit diversa, nego maiorem; quòd autem dicta regula solùm locum habeat, quando in vtraque specie ratio determinandi est eadem, non autem si sit diversa; constat ex textu, qui est *in l. si servus liber 19. de statu liber. l. si ita strictum 16. de manumiss. testament.* nam singula determinantur provt cuiuscumque natura, & qualitates patiuntur, *cap. olim 25 de rescriptis, cap. cum dilectus 32.* Qualitas enim confessionarij, & natura diversa est à qualitate, & natura loci pro libito electi ad audiendam confessionem, quia confessionarius est destinatus per se ad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, non autem locus pro libito electus; quia vt rectè observat Fagundez, iste locus non solùm est in Ecclesia, sed potest esse in agro, vel monte; sicque stat benè, quòd illa verba, *simulantes ibidem audire confessiones*, sint ratio determinandi locum pro libito electum, non autem confessionarium.

404 Quòd autem in his casibus ratio determinandi sit diversa, constat ex dictis § antecedenti, quia confessionarius, & locus deputatus ad audiendas confessiones, ordinantur ad Sacramentum Pœnitentiæ, non autem locus electus pro libito, quia iste non habet aliam ordinationem, nisi simulationem confessionis. Quare ratio determinandi nõ potest esse alia nisi simulatio confessionis, sed ratio determinandi confessionarium est ipsa ordinatio, quam ex sua natura habet ad Sacramentum Pœnitentiæ; quare solicitatio in confessionario absque simulatione est casus Bullæ, non autem solicitatio in loco pro libito electo, si non adest simulatio confessionis. Præterea, quia vt iam dixi, per illas particulas extra occasionem confessionis, excluditur simulatio, quia fingere confessionem ad solicitandum, est solicitare occasione confessionis.

405 Fundamentum secundum contrariæ sententiæ est simile antecedenti, sed in hac materia nihil omittam, ideòque illud sic propono: in verbis relatis, *extra occasionem confessionis*, vsque

ad *simulantes ibidem, &c.* Bulla Gregorij XV. constituit novum ius, quod non erat in Diplomatibus aliorum Pontificum contra solicitantes; scilicèt, quòd pœna contra solicitantes in confessione, extenderetur ad solicitantes extra occasionē confessionis in confessionario; aut in loco quocumque vbi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessiones audiendas electo: ergo participium *simulantes ibidem confessiones audire*, ad omnia illa de quibus novum ius introducitur est referendum. Consequentia probatur: clausula posita in fine legis constituentis, novum ius ad omnia antecedentia refertur, *l. talis scriptura, ff. de legat. 1. l. si peperit, §. filiæ. ff. de liber. & posthum.* ergo participium simulantes ibidem confessiones audire, ad omnia illa de quibus novum ius introducitur est referendum.

406 Hoc argumentum patitur manifestam instantiam, quia si hoc esset verum, etiam extenderetur illud participium *simulantes* ad Confessarios solicitantes extra confessionem prætextu, & occasione confessionis, quod nullus dixit; quia etiam per illa verba, *prætextu, & occasione confessionis*, introducitur novum ius, quia pœnæ contra solicitantes in confessione, extenduntur per Bullam Gregorianam ad Confessarios solicitantes prætextu, & occasione confessionis, quia hi non erant in alijs Diplomatibus Pontificijs comprehensi.

407 Dupliciter respondetur ad argumentum. Primò, quòd contra solicitantes in confessionario non introducitur novum ius, quia iam per Decretum Pauli V. contra illos poterant procedere DD. Inquisitores, ex quo sumitur validissimum argumentum ad probandum, quòd illud participium simulantes, non extenditur ad solicitantes in confessionario, sed tantùm refertur ad solicitantes in loco electo ad confessionem audiendam. Secundò respondetur, quòd clausula posita in fine legis constituentis novum ius ad omnia antecedentia refertur, quando in omnibus est eadem ratio, non autem quando ratio determinandi est diversa, vt contingit in confessionario, & in loco pro libito electo ad confessionem audiendam. Hæc solutio procedit,

admit-

admittendo, quòd Gregorius XV. in omnibus contentis in clausula prædicta introducit novum ius, quia vt dixi, in ordine ad solicitationem in confessionario nihil novum statuit, sed confirmat decretum Pauli V.

408 Fundamentum tertium sumitur ex intento, & fine Bullæ, quod sic proponitur: Ad intentum, & finem legis, vel constitutionis est attendendum, vt verus sensus percipiatur; sed finis constitutionis Gregorij XV. non verificatur in confessionario, si non adest simulatio: ergo solicitatio in confessionario sine simulatione confessionis, non est deferenda ad DD. Inquisitores. Probatur minor: finis Pij IV. in sua constitutione est, ne Confessarius Sacramentis Ecclesiæ abutatur, quam Bullam confirmat Gregorius XV. verba sunt hæc: *Nos in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide Catholica rectè sentiunt Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur & illis iniuriam faciant*; sed etiam si Confessarius sit in loco confessionarij, & solicitet, vt rem veneream exerceat cum fœmina, non facit iniuriam Sacramento, neque illo abutitur si non simulat: ergo finis constitutionis non verificatur, si participium *simulantes* non coniungitur cum confessionario.

409 Hoc argumentum etiam patitur manifestam instantiam, nam qui solicitat solùm prætextu, & occasione confessionis, non abutitur Sacramento Pœnitentiæ, quia ibi nec intervenit verum Sacramentum, nec simulatum; hoc non obstanti est denunciandus Confessarius solicitans prætextu, & occasione confessionis, quia vt iniuria fiat Sacramento, sufficit prætextus confessionis ad venerea exercenda: ergo similitèr vt fiat iniuria saltem mediatè Sacramento, sufficit solicitatio in confessionario.

410 Respondetur ad argumentum negando, quòd solicitando in confessionario ad venerea, non fiat iniuria saltem mediatè Sacramento Pœnitentiæ; sicut fieret iniuria iustitiæ, vel iudicaturæ, si dilaceraretur sedes destinata ad iudicandum; cum autem confessionarius sit sedes destinata per se ad administran-

nistrandum Sacramentum Pœnitentiæ, si polluitur obscœnitatibus, datur abusus Sacramenti Pœnitentiæ mediatè, quia qui abutitur loco destinato ad illud administrandum, etiam abutitur mediatè Sacramento.

411 Replicabis: qui solicitat in confessionali absque simulatione, nullam iniuriam facit Sacramento: ergo non est denunciandus Inquisitoribus. Probatur antecedens: nec levitèr est suspectus in fide, vt tenet Sousa *post opusc. de Confess. solicit. in annotat. ad Bullam Gregorij XV. num.* 16. & 17. ergo non facit iniuriam Sacramento Pœnitentiæ. Probatur antecedens: quia vt dicit iste Auctor, tunc ex aliquo facto colligitur suspicio in fide, quando, vel illud factum est coniunctum cum hæresi, vel quando qui illum facit invenitur Hæreticus; sed solicitare in confessionario, neque est factum coniunctum cum hæresi, quia neque ibi invenitur confessio auricularis, neque inchoatio illius, neque qui sic solicitat invenitur Hæreticus; nam frequentèr huiusmodi Confessarius in confessione nullo modo solicitat: ergo solicitans in confessione non est suspectus in fide.

412 Propter hoc argumentum aliqui existimant, quòd non in omnibus casibus comprehensis in Bulla Gregorij XV. debent Confessarij abiurare de levi, ita Sousa *in Aphor. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 68. qui dicit, quòd Confessarij abiurant, si sint solicitantes in Sacramentali confessione, aut in actu proximo antecedente, vel consequente, aut quandò prætextu, & occasione confessionis solicitant; non autem abiurant quandò solicitatio fit tantùm in confessionario. Contrarium autem tenent Escobar à Corro *part.* 1. *quæst.* 1. *num.* 15. & 16. Diana 4 *part. tract.* 5. *resol.* 50. & *tract.* 7. *resolut.* 7. *vers. Verum*, & ita practicatur in Inquisitione Hispanica, quæ fundatur in ipsis verbis Bullæ; quia postquam refert Summus Pontifex de verbo ad verbum omnes casus solicitationis, & inter illos solicitationem in confessionario, subiungit; *vt Inquisitores, & Ordinarij super his provt in causis fidei inquirant, & procedant*: ergo cum in dictis causis ad minus procedant iniungendo abiurationem de levi, tales Confessa-

fessarij saltèm de levi debent adiurare, etiam si tantùm in confessionario solicitent.

413 Nunc ad argumentum respondeo distinguendo antecedens: solicitando in confessionario nulla iniuria fit Sacramento immediatè, concedo, mediatè nego, ad illius probationem nego, quòd ad hoc, vt sit suspicio in fide tantùm de levi necessum sit, quòd illud factum sit coniunctum cum hæresi, sed sufficit quòd dicat ordinem ad factum coniunctum cum hæresi, quòd contingit in illo, qui solicitat in confessionario. Hoc parificatur: qui solicitat immediatè ante, vel post confessionem, aut prætextu, & occasione confessionis, etiam ipsa confessione non sequta, absque controversia est suspectus in fide, vt fatetur ipse Pater Sousa loco citato, & non committit factum coniunctum cum hæresi, sed quia omnia ista dicunt ordinem ad tale factum: ergo cum idem contingat in solicitante in confessionali, meritò DD. Inquisitores procedunt contra illum, vt suspectum de levi, & iniungunt abiurationem de levi.

§. IV.

ARGVMENTA MILITANTIA CONTRA SECVNDAM conclusionem, & aliquod dubium proponuntur.

414 DIXI in secunda conclusione, quòd Confessarius solicitans in confessionario indifferenti est denunciandus, quamvis nulla simulatio interveniat, contra quod sic proponitur primum argumentum: quando verba constitutionis sunt ambigua ad significandum actum præceptum ex ratione expressa in illa debent accipere determinationem; sed est valdè ambiguum inter Doctores, an illud participium *simulantes* referatur ad solicitationem in confessionario, vel tantùm ad locum pro libito electum ad audiendas confessiones: ergo ex ratione expressa in Bulla debent illa verba accipere determinationem; sed ratio expressa est abusus Sacramenti, & est valdè dubium, an talis abusus committatur in confessionario pro-

mis-

miscuo : ergo solicitatio in confessionario promiscuo non est casus comprehensus in Bulla.

415 Quòd enim sit valdè ambiguum, an illud participium *simulantes* ad confessionarium referatur, probatur: nam aliqui gravissimi Auctores, quos citavi pro contraria sententia, absque distinctione asserunt, quòd solicitatio in confessionario, si simulatio abest, non est casus comprehensus in Bulla, & vix invenitur aliquis Auctor, qui expressè dicat, quòd solicitatio in confessionario promiscuo sine simulatione sit casus comprehensus in Bulla: ergo valdè ambiguum est, an sit solicitatio comprehensa in Bulla, quæ fit in confessionario promiscuo, si simulatio abest. Præterea, quia qui loquuntur cum distinctione, vt Ioann. Sanchez, & novissimè Pater la Fuente Hurtado expreßè asserunt, solicitationem in confessionario vnicè destinato ad audiendas confessiones casum esse Bullæ, non autem quæ fit in confessionario promiscuo ad audiendas confessiones, & vrbanè loquendum.

416 Fateor, quòd si attendatur ad multitudinem Auctorum negantium esse abusum Sacramenti solicitare in confessionario promiscuo, quòd est valdè ambiguum, an dicta solicitatio comprehendatur in Bulla, sed si benè penetrentur verba ipsius Bullæ, est clarum hanc solicitationem comprehendi in illa; quia si confessionarius est vnicè deputatus ad audiendas confessiones, & in illo Confessarius solicitat, aliquomodò invenitur occasio confessionis, quia ipsa deputatio, vt dicit Hurtado, est simulatio, ac per consequens prætextus, & occasio confessionis; cum enim ponantur illa verba: *Etiam extra occasionem confessionis in confessionario*; & illa particula *extra*, excludat omnem occasionem, etiam excludit simulationem, quia simulatio invivit occasionem.

417 Hoc corroboratur decreto Pauli V citato, in quo fuit facta relatio, quòd multi Confessores tractabant cum mulieribus in confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis; ex eo quòd ponatur illa particula *extra*, illa confessionalia

nalia

nalia promiscua erant; quia in determinatis solùm ad confessionem invivitur occasio ex ipsa vnica deputatione. Præterea, quia omnia confessionalia ex sua natura, & per se dicunt ordinem ad confessionem, & quòd dicantur promiscua provenit ex abusu illorum: ergo si in prædicto casu Paulus V. loquitur de confessionarijs promiscuis ad confitendum, & ad alia negotia tractanda, signum est, quòd solicitare in his confessionarijs est casus solicitationis denunciabilis.

418 Ad illud quod dicitur, quòd vix est Auctor, qui expressè dicat, solicitationem factam in confessionario promiscuo esse comprehensam in Bulla, fateor non esse cum his terminis; benè verò cum alijs æquivalentibus: & P. Diana excludendo omnem simulationem, hanc sententiam defensat, 4. *par. tract.* 5. *resol* 38. *vers. His tamen non obstantibus*, vbi concludit his verbis: *Sed cum contra Doctores istos habeamus apertam declarationem S.E.R. & vniversalis Inquisitionis, ab ea non est recedendum.* Et addo, quòd hodie in proprijs terminis habemus plures graves Auctores, quia stat praxis Inquisitionis Hispanicæ, quæ ita observat de consilio, & dictamine suorum Theologorum: ergo non debemus recedere ab hac sententia.

419 Argumentum secundum sic procedit: si solicitatio facta in confessionario promiscuo esset denuncianda, etiam facta in Ecclesijs à Confessarijs in subsellis, & scamnis; sed hec nullo modo est dicendum: ergo nec est denuncianda solicitatio quæ fit in confessionario promiscuo, si non est aliqua simulatio. Probatur sequela: sicut scamni, & sellæ sunt promiscua loca ad audiendas confessiones, & vrbanè loquendum, ità confessionarij v.g. plurium Monasteriorum, & frequentèr contingit in confessionarijs Monialium; sed etiam si confessionarij sint promiscui, quia in illis audiuntur confessiones, si Confessarius solicitat in illis absque simulatione est denunciandus: ergo etiam est denunciandus Confessarius qui solicitat in scamnis, & sellis promiscuis ad audiendas confessiones, & vrbanè loquendum.

420 Ductus hac ratione Freitas *in noviss. edit. de Confess.*

 solicit.

solicit. quæst. 15. *num.* 52. *& quæst.* 13. *num.* 30. firmat contrariam sententiam, & resolvit Gregorium XV. restrinxisse decretum Pauli V. ad terminos simulationis. Sed ego semper iudico contrarium, quia si Gregorius XV. ampliavit in omnibus decreta suorum prædecessorum, quomodò erit credendum, quòd in hoc casu restrinxit decretum Pauli V? Sicque ad argumentum respondetur negando sequelam, & ad probationem illius nego, quòd sicut se habet confessionarius promiscuus, ita se habeant scamni, & sellæ Ecclesiæ, vbi aliquando audiuntur confessiones, & aliquando sedent sæculares, & etiam Confessarij ad loquendum. Ratio disparitatis est clara, nam confessionarij sunt per se tales, & ex abusu parlatoria, ac per consequens semper dicunt ordinem ad Pœnitentiæ Sacramentum; at è contra, scamni, & sellæ Ecclesiæ, vbi frequentèr sedent sæculares, & sunt destinati ad vrbanè loquendum, per accidens sunt confessionarij, sicque scamnus, & sella sunt loca pro libito electa ad audiendas confessiones; ideòque absque simulatione huiusmodi solicitatio non est casus comprehensus in Bulla.

421. Argumentum tertium sic procedit, estque confirmatio antecedentis: si illud participium *simulantes* non refertur ad confessionarium, neque ad locum vbi confessiones Sacramentales audiuntur est referendum; sed hoc est falsum: ergo participium *simulantes* refertur ad confessionarium, ac per consequens non est denuncianda solicitatio in confessionali facta sine simulatione. Probatur minor, nam de maiori postea dicam quæstione sequenti: vbi non est copia confessionalium, & est multitudo pœnitentium, confessiones Sacramentales audiuntur in scamnis, & sellis; sed diximus, quòd solicitatio in his locis non est comprehensa in Bulla absque simulatione, etiam si in illis confessiones Sacramentales audiantur: ergo falsum est dicere, quòd participium *simulantes* non refertur ad locum vbi confessiones Sacramentales audiuntur, quia ex hoc sequeretur, quòd Confessarius solicitãs in scamnis, & sellis Ecclesiæ absque simulatione, sit denunciandus: ergo cum hoc sit falsum, etiam debemus

bemus assere re, quòd Confessarius solicitans in confessionario promiscuo non est denunciandus.

422 Ad hoc argumentum plenè satisfaciam quæstione sequenti, interim dico, quòd scamni, & sellæ Ecclesiæ non sunt loca vbi confessiones Sacramentales audiuntur, quia per se ad hoc non sunt destinata, sed ad audiendas Missas, Conciones, Officia Divina cum aliqua commoditate, & vrbanè loquendum; & si aliquando in illis propter inopiam confessionalium audiuntur confessiones, sunt loca electa pro libito Confessarij; vt autem in illis sit solicitatio cōprehensa in Bulla debet coniungi cum simulatione, quòd non est necessum, vt postea dicam, in loco vbi confessiones Sacramentales audiuntur, quia de eo fit consideratio, sicut de confessionario.

423 Nunc venio ad dubium, & infertur ex hucvsque dictis, quod potest proponi hac forma: Si Confessarius Monialium solicitaret Monialem in parlatorio communi, in quo solet excipere confessiones Monialium, & etiam alij loquuntur indifferentèr cum eisdem Monialibus, & hoc faceret absque simulatione, esset denunciandus? Respondeo cum distinctione: vel illa solicitatio, est die, vel horis, in quibus illud parlatorium est destinatum ad audiendas confessiones, vel alio die; si enim est horis, v.g. mane quando destinatur ad audiendas confessiones Monialium, si tunc solicitaret esset denunciandus, si autem est die, vel serò, quando parlatorium non est destinatum ad confessiones audiendas, tunc si solicitaret non esset denunciandus. Ita Ioan. Sanchez *in select. disp.* 11. *num.* 68. *in fine.*

424 Ratio horum potest esse, quia illud parlatorium per ccidens est confessionarium, & per se est ad vrbanè loquendum: ergo vt solicitatio in illo facta sit denuncianda, oportet, quòd interveniat aliqua simulatio, quia est locus pro libito electus ad audiendas confessiones. Ex hoc enim quòd die, vel mane in quo audiuntur confessiones, in illo parlatorio ingressus Confessarij videatur, & munus illius, & ipsa deputatio loci generat prudentem suspicionem, quòd ingreditur ad confitendum,

dum, ac per consequens est sufficiens simulatio confessionis, quod non contingit si alio die, vel hora, in qua non audiuntur confessiones, ingrediatur, & soliciter.

425 Argues contra hanc resolutionem: si hæc doctrina esset sustinenda, etiam erit denunciandus Confessarius solicitans in scamnis, & sellis diebus, in quibus ibi audiuntur confessiones; sed hoc non est dicendum si non adest alia simulatio, nullá alia ratione nisi quia sunt loca electa pro libito ad audiendas confessiones; ergo neque est dicendum, quòd Confessarius solicitans in parlatorio die in quo audiuntur confessiones Monialium sit denunciandus. Probatur sequela: quia sicut parlatorium est locus pro libito electus ad audiendas confessiones, ita scamni, & sellæ: ergo si Confessarius Monialium solicitans in parlatorio est denunciandus, si hoc faciat die in quo audiuntur confessiones, etiam solicitans in scamnis, & sellis Ecclesiæ, die in quo audiuntur confessiones in illis locis.

426 Respondeo negando sequelam, ad probationem illius nego, quòd eodem modo se habeant scamni, & sellæ Ecclesiæ, adhùc die in quo in illis audiuntur confessiones, sicut se habet in eodem eventu parlatorium, quia sunt diversi scamni, & sellæ in Ecclesia, & ille scamnus, vel illa sella sunt pars scamni quæ deputatur ad audiendas confessiones ex forma Confessarij, & pœnitentis manifestatur; quare adhùc illo die non est destinata sella, vel pars scamni, si in illa Confessarius non sedet, & fæmina genuflectit, vel alio modo simulat confessionem, & sic cum præcisè ex circunstantijs loci, & temporis non detur simulatio, si aliud non est, quamvis in illis locis soliciter Confessarius, non est denunciandus; at verò in parlatorio deputato illo die ad audiendas confessiones, ingressus Confessarij, Monialis, & tempus est sufficiens indicium, vt omnes illius ingressum esse ad confitendum Monialem prudentèr iudicent.

427 Solùm adverto, quòd potest contingere, quòd in eodem parlatorio sint diversæ crateres, vt contingit in pluribus Monasterijs Monialium, & tunc si in vna confiteatur Monialis, &

Con-

Confessarius absque aliqua simulatione ingreditur aliam ad loquendum, tunc non est denunciandus si solicitet; quia in illo parlatorio solùm vna crater est destinata illo die, vel tempore ad audiendas confessiones, non autem alia. Idemque potest contingere in eodem scamno, quia vna pars est destinata ad audiendas confessiones, non autem alia. De alijs connexis cum hac quæstione dicam in sequenti.

QVÆSTIO XIV.

QVOMODO INTELLIGANTVR ILLA VERBA BVLLÆ *Gregorij XV. aut in loco quocumque vbi Confessiones Sacramentales audiuntur, siue ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire.*

§. I.

EXPLICATVR QVID SIT SIMVLATIO, ET PRIMA *pars quæstionis.*

428 VT autem intelligatur, quandò Confessarius simulat confessionem. Primò notandum venit, quòd independentèr à solicitatione ad venerea, illicita est simulatio in administratione Sacramentorum, vt constat ex damnatione vigesimæ nonæ propositionis; siquidem Innocentius XI. hanc propositionem damnavit: *Vrgens metus gravis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi*, quæ propositio ad minus damnatur vt scandalosa, & periculosa in praxi.

429 Duplex enim est simulatio, alia formalis, alia materialis; simulatio formalis, vt dicit Angelicus Præceptor 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 1. in corpore est mendacium, ita enim ait Magister Angelicus: *Sicut ad mendacium pertinet, quòd aliquis per verba exteriora aliud significet, quàm habet apud se, ita etiam veritati opponitur, quòd per aliqua signa factorum, vel rerum aliquid significetur contrarium eius, quod in eo est, quod propriè simu-*

mulatio dicitur: ergo simulatio propria, de qua in præsenti est sermo, includit mendacium, vel est mendacium.

430 Contra hoc brevitèr potest obijci, simulatio fit rebus, vel factis; vt constat in illo qui simulat esse Hæreticum, vel quia concurrit cum illis, vel quia observat exterioritèr suas cōstitutiones, & leges, sed mendacium fit vocibus, aut verbis: ergo simulatio non est mendacium. Respondetur negando, quòd mendacium solùm fiat vocibus, aut verbis; nam etiam motibus, lachrymis, & suspiris potest mendacium committi, nam omnia ista habent significationem, & per omne signum committitur mendacium, quia istius malitia in eo sita est, quòd aliquis signis externis abutatur ad fallendum; quòd autem fiat mendacium signis vocalibus, aut alio modo merè materialitèr se habet.

431 Simulatio ergo materialis est duplex, alia est quæ respicit circunstantiam, & obiectum vitiosum, quæ non potest excusari à culpa: v.g. Catholicus, qui simulat se Iudæum, licèt non simulatione formali, quia non est animo decipiendi, sed ex alia diversa intentione, non excusatur à culpa; alia est simulatio materialis, vel vt melius dicam materialissima, quæ respicit rem, vel circunstantiam omninò indifferentem, quæ nihil continet vitij, ac culpæ. Talis fuit illa simulatio Christi quando finxit se longiùs ire, Lucæ *cap.* 24. quia licèt Discipuli putarent aliud, Dominus significabat suum iter ad Cœlum; quare Discipuli decipiebantur præter intentionem Christi, non enim intendebat deceptionem eorum, sed permittebat.

432 Simulatio verò formalis, de qua principalitèr in præsenti est sermo, nihil aliud est, quàm *mendacium consistens in signis, non verbi, sed rei, aut facti*; sicut enim ad verbale mendacium requiritur falsa significatio vocis cum intentione fallendi, ita ad simulationem formalem debet concurrere falsa significatio rei, vel facti cum intentione fallendi; sed ista intentio fallendi non oportet quòd semper sit formalis, sufficit enim virtualis, quæ includitur in voluntate proferendi falsum.

Noto

433 Noto secundò, quòd vt simulatio sit comprehensa in Bulla, vel se debet tenere ex parte Confessarij, vel ex parte vtriusque; quare si fœmina accederet ad Confessarium simulando confessionem, vt illum ad venerea solicitaret, & Confessarius resisteret simulationi positivè verbis, vel factis, taliter, quòd si erat in confessionario surgeret, quia illa ante genuflexionem dixit, nolo confiteri, sed simulando confessionem ad tollendam notam circunstantium explicare meum amorem, aut alia huiusmodi, si Confessarius tunc resisteret, & non consentiret simulationi, quamvis postea consentiat, non est reus Bullæ, quia simulatio non se tenet ex parte Confessoris, quod erat necessum, vt esset reus Bullæ, vt constat ex illis verbis: *Simulantes ibidem se audire confessiones.* Si autem consentiret simulationi, & vel solicitaret, vel consentiret solicitationi fœminæ, absque dubio esset denunciandus, quia si consentiret, & solicitaret propriè esset provocans; si autem consentiret, & continuaret simulationem, habet inhonestos sermones, vel tractatus: ergo quolibet ex his duobus modis vt solicitans est denunciandus.

434 Noto tertiò, vt clariùs intelligamus, quandò datur simulatio confessionis, quòd tunc præsumitur simulatio comprehensa in Bulla, quandò Confessarius factis significat excipere confessionem fœminæ pœnitentis, & solicitat ad venerea, vel consentit solicitationi fœminæ, quia simulatio, prout in præsenti nihil aliud est, quam vnum rebus, sive factò ostendere, & aliud conficere, *l. Si ex pretio 6. C. Si certum petatur, & l. 2. & l. Pœn. cap. Plus valere*; sed in hoc casu Confessarius solicitans in confessione non Sacramentali, sedendo in confessionario, aut alio loco, & fœmina genuflexa loquendo ad aures, ostendit illis factis, quòd administrat Sacramentum Pœnitentiæ, & quòd conficit est solicitare, vel consentire ad turpia: ergo comprehenditur in illis verbis Bullæ, simulantes ibidem audire confessiones.

435 Licèt hæc verba: *Simulantes ibidem se audire confessiones* sint in vltimo loco quæstionis. Primò illa explicui, quia valdè

dè conducit explicatio ad intelligentiā dicendorum in hoc §. Nunç autem venit explanandum, qui locus censeatur deputatus ad audiendas confessiones, quia ex tenore Bullæ, si Confessarius in illo solicitat est denunciandus. Quare difficultas est in præsenti, an participium *simulantes*, referatur ad illa verba, *aut in quocumque loco vbi confessiones Sacramentales audiuntur*, vel solùm ad locum pro libito electum ad audiendam confessionem? Omnes Auctores defensantes solicitationem factam in confessionario non esse comprehensam in Bullis, si non adest simulatio, consequentèr tenent, quòd si fiat solicitatio in loco vbi confessiones Sacramentales audiuntur, si simulatio abest, non est casus Bullæ.

436 Auctores autem contrariæ sententiæ defensant, quòd solicitatio ad venerea facta in loco vbi confessiones Sacramentales audiuntur, est comprehensa in Bulla, quamvis non sit simulatio, & in terminis illam tenet D. Ioann. Escobar, loco citato, *num. 27. & seqq.* cum his Auctoribus intelligo illa verba, & resolvo, quòd si Confessarius solicitat ad venerea in loco deputato ad audiendas confessiones, est denunciandus Inquisitoribus, quamvis non simulet confessionem. Probatur hoc brevitèr à paritate: solicitatio facta in confessionario est denuncianda Tribunali, præcisa omni simulatione: ergo idem iudicium debet fieri de solicitatione facta in loco destinato ad confessiones audiendas. Consequentia probatur: sicut confessionarius est sedes ad Sacramentum administrandum, ita locus deputatus ad audiendas confessiones: ergo sicut solicitatio facta in confessionali absque simulatione comprehenditur in Bulla, ita quæ fit in loco deputato ad confessiones audiendas.

437 Dices: non valere paritatem, quia etiam si Bulla contra solicitantes sit favorabilis, non debet extendi ad diversos casus, & cum solicitatio in confessionali sit casus diversus, stat benè quòd solicitatio in eo sit comprehensa in Bulla, non autem si fiat in loco deputato ad confessiones audiendas. Sed contra est: casus iste non est diversus: ergo si solicitatio facta in

con-

confessionario absque simulatione est comprehensa in Bulla, etiam quæ fit in loco deputato ad confessiones audiendas. Probatur antecedens: ex eo solicitatio facta in confessionario comprehenditur in Bulla, quia confessionarius est locus destinatus ad confessiones audiendas; sed idem invenies in loco vbi confessiones Sacramentales audiuntur: ergo si in eo solicitat Confessarius est denunciandus.

438 Difficultas autem est, quæ loca sint deputata ad audiendas confessiones, quia ista vox *in quocumque loco*, est indefinita, & est idem ac dicere, quòd Confessarius solicitans in omni loco, in quo confessiones Sacramentales audiuntur, est denunciandus, etiam si non simulet. Pro intelligentia clariori horum verborum est sciendum, quòd in aliquibus Ecclesijs non sunt confessionalia, & in illis loco istorum sunt aliquæ sellulæ, vel sellæ, aut sedes in certis locis, vel in capellis, vel in corpore Ecclesiæ, quæ solùm inserviunt ad confessiones audiendas, & in alijs Ecclesijs præter confessionarios sunt huiusmodi sellulæ, vel scamnus parvulus in locis distinctis, vbi solùm vnus potest sedere, & sunt destinata hæc loca ad audiendas confessiones; sicque de his locis intelliguntur prædicta verba Bullæ, & si in eis Confessarius solicitet est denunciandus, quamvis non simulet confessionem, quia solicitat in loco vbi confessiones Sacramentales audiuntur.

439 Argues primò contra dicta: inter istas sellulas, scamnullos, & confessionarium est assignanda aliqua differentia, quia eam agnovit Gregorius XV. siquidem in suo Diplomate Pontificio dicit: *Seu extra occasionem confessionis in confessionario, seu in quocumque loco vbi confessiones Sacramentales audiantur*; sed diximus, quòd solicitans in confessionario est denunciandus, quamvis non simulet confessionem: ergo solicitans in loco vbi confessiones Sacramentales audiuntur, si non simulat, non est denunciandus, quia aliàs nulla esset differentia de solicitatione facta in his locis. Respondetur negando antecedens, nam non ponuntur illa verba in Bulla Gregoriana ad stabiliendam ali-

quam differentiam formalem inter confessionarium, & locum destinatum ad audiendas confessiones, sed tantùm materialem, & illud additur à Gregorio XV. ne aliquis existimet, quòd si solicitatio non fit in confessionali materiali, non est comprehensa in Bulla; ideòque additur, *seu in quocumque loco, &c.* vt intelligatur esse formalitèr confessionalia omnia loca destinata ad confessiones audiendas in Parochia, aut Monasterio.

440 Argues secundò: si solicitatio ad venerea in sellulis, & scamnullis esset comprehensa in Bullis, etiam solicitatio in scamnis Ecclesiæ absque simulatione, quia in scamnis Ecclesiæ audiuntur confessiones Sacramentales quotidie, & tam frequentèr sicut in confessionarijs, & sellulis; sed hoc negamus absque simulatione: ergo illud ex quo hoc sequitur. Respondetur distinguendo illam causalem, quia in scamnis audiuntur confessiones Sacramentales tam frequentèr, & cum eadem deputatione, nego; absque hac deputatione, & vt in loco pro libito electo ad audiendas confessiones, concedo causalem; & ratio disparitatis constat ex dictis de confessionario, quia ambo loca eodem modo se habent.

441 Solùm adverto, quòd in Ecclesijs vbi iam sunt loca destinata ad confessiones audiendas, quia sunt sellulæ, & confessionarij sufficientes, quòd solùm in illis locis administretur Sacramentum Pœnitentiæ, nisi sit dies magni concursus, in quo est magna copia Confessorum, & pœnitentium; quia Summi Pontifices non solùm per sua Diplomata intendunt, quòd Sacramentum Pœnitentiæ purè, & sanctè tractetur, sed etiam omnia quæ aliqualem ordinem dicunt ad administrationem tanti Sacramenti.

442 Ex quibus infero, quòd si aliquis scamnus Ecclesiæ finiret in aliquo loco destinato ad audiendas confessiones, talitèr, quòd ille locus esset vt confessionarius, si Confessarius solicitaret in illo, absque dubio esset denunciandus, vt reus Bullæ, quia licèt scamnus ponatur ad alios vsus, illa pars terminata ad locum commodum ad audiendas confessiones, iam est destina-
ta

ta ad illud ministerium, sicut confessionale, vel sellulæ, quia quotidie, quamvis sint alia loca destinata ad confessiones audiendas, ibi tanquam in loco destinato cum eadem æqualitate administratur Sacramentum Pœnitentiæ: ergo si Confessarius in tali loco solicitaret, esset denunciandus Tribunali, quamvis non simularet confessionem.

§. II.

SECVNDA PARS QVÆSITI DILVCIDATVR.

443 GREGORIVS XV. in suo Diplomate non solùm dat facultatem Inquisitoribus, & Ordinarijs, vt procedant contra Confessarios solicitantes ad venerea extra occasionem confessionis in confessionali, aut in quocumque loco vbi confessiones Sacramentales audiantur, sed etiam contra solicitantes in loco electo ad audiendam confessionem simulantes ibidem confessiones Sacramentales audire. Quare non est dubium, quòd illud participium *simulantes* refertur ad minus ad locum electum ad confessionem audiendam; iste enim locus, vt rectè Fagundez *in Eccles. præcept. lib. 4. cap. 3. num. 73.* non solùm est in Ecclesia, sed potest esse in agro, vel in platea, aut in quocumque loco.

444 Ex quibus constat explicatio horum verborum, quia cùm ille locus non sit destinatus ad audiendas confessiones, sed eligatur pro libito ab ipsomet Confessario, solùm ex illa simulatione destinatur ad fictè administrandam confessionem, & ex hac parte fit iniuria Sacramento Pœnitentiæ, quia talis locus independentèr ab hac simulatione, nullo modò ordinatur ad Sacramentum Pœnitentiæ, sicut confessionarius, & locus destinatus, qui absque simulatione hunc ordinem dicunt.

445 Maior difficultas stat in illis verbis *Simulantes ibidem confessionem audire*, supposito quòd ista verba intelligantur de simulatione propria quæ consistit in eo, quòd ostendatur vnum facto, vel rebus, & aliud fiat. Solùm stat difficultas in signis suffi-

cientibus ad simulationem confessionis; scilicèt, an sint sufficientia signa, si Confessarius sedeat, & mulier genuflectat loquendo ad aures, sicut facit qui verè confitetur, vel an vltra hoc requiratur, quòd se signet signo Crucis, & percutiat pectus, & Confessarius simulet absolutionem.

446 Prima sententia tenet, quòd ad simulationem confessionis, de qua loquitur Bulla, non sufficit, quòd Confessarius sedeat, & fæmina se signet signo Crucis, & loquatur cum Confessario ad aures, sed vlteriùs est necessum; quòd Confessarius in fine simulet exteriùs verba absolutionis. Ita Trimarchius *in suo tract. de Confess. abut. disp. 3. num. 8.* Hieronymus Rodriguez *in suis resolut. regular. resol. 131. num. 1.* Trullench *tom. 1. in Decal. cap. 18. num. 74.* sed licèt hoc dicat dicto numero, postea *num. 75. in fine,* solùm dicit, quòd Confessarius solicitans simulando confessionem, est denunciandus tenore Ædicti, & Bullæ Gregorij XV. & in lingua vulgari se explicat per hæc verba: *Fingiendo, ò dando a entender que están confessando.* Idem tenent Fr. Ioannes à Trinitate *in exposit. Bullæ Gregorij XV. sect. 4. dubit. 1. num. 3.* Thomas Hurtado *tract. 4. cap. 4. num. 21. & seqq. & cap. 5. resol. 8. num. 76.* idem repetit.

447 Vt autem ne fidant Confessarij in illis, quæ tradunt Auctores in hac materia, quia multoties sunt contra saniorem intelligentiam S. Officij, referam verba quæ tradit idem Thomas Hurtado, quia fortè dicta à viro docto cum tanta securitate, à pluribus fuerunt practicata, & nescio si postea hæc fuerunt in S. Officio. Verba Thomæ Hurtado *num. 76. & 77.* sunt hæc: *Dico secundò non est simulatio confessionis propria, & rigorosa, quòd Sacerdos sedeat in confessionario, & mulier flexis genibus sit cum eo alloquens, sed requiritur quòd adsint alia signa externa, qualia diximus cap. 4. vel Sacerdos dicat adstantibus, se audire confessionem illius, quam solicitat, sicque impertiatur absolutionem fictam: si hæc non adsint, absque dubio talis Confessor non est reus Bullæ Gregorianæ, neque est denunciandus.* Et postea hæc scribit *num. 77. in fine: Sic enim ea interpretatus sum Romæ, vbi eram dum*

publi-

publicata fuit, placuitque summè explicatio viris doctis, & D. D. Desiderio, S.R.E. Cardinali Scagliæ, cuius eram Theologus. Si aliquis Confessarius parùm versatus in his materijs videt hæc scripta cum his circunstantijs per virum doctissimum, si ex timore Dei non continetur, absque dubio fissus in tanto Auctore facilè cadet.

448. Relicta hac sententia, dico, quòd si Confessarius sedet in Ecclesia, vel in alio loco, & fæmina ad modum pœnitentis se ostendit coram illo flexis genibus loquendo ad aures, etiam si alia non præcedant, vt tunsio pectoris, & confessio generalis, neque sequatur ex parte Confessarij simulatio absolutionis, si illam hoc modo solicitat, est denunciandus DD. Inquisitoribus. Ita observatur inviolabilitèr in praxi Inquisitionis Hispanicæ; hanc sententiam in proprijs terminis sequitur D. Ioan. Escobar *part.1. quæst.4.§.1. num.36. & seqq.* & ex Auctoribus citatis pro contraria sententia, solus Thomas Hurtado expreßè ampliavit terminum simulationis; nam licèt alij, vt noster Trimarch, dicant esse simulationem, quando Confessarius sedet, accedit fæmina flexis genibus, & ille simulat absolutionem; non negant, quòd etiam si non simuletur absolutio, non sit casus comprehensus in Bulla.

449. Probatur secundò conclusio: simulatio confessionis, prout in Bulla, nihil aliud est, quam ostendere facto, quòd Confessarius audit confessionem, & committere crimen solicitationis, sed quandò Confessarius sedet, & fæmina est coram illo flexis genibus, & loquitur ad aures, vel secretò, Confessarius ostendit, quòd audit confessionem, & solicitat ad venerem; ergo committit crimen solicitationis comprehensum in Bulla. Probatur minor: Tunc enim ostenditur confessio, quandò circunstantes præsumunt, & iudicant prudentialitèr, quòd Confessarius audit confessionem Sacramentalem; sed si more solito sedet Confessarius, & fæmina coram illo genuflectit, & auricularitèr loquitur, putant circunstantes confessionem esse; ergo præciso omni alio, ex eo quòd Confessarius more solito sedeat,

&

& fæmina auriculariter loquitur flexis genibus, facto ostendit, quòd audit confessionem, & si tunc solicitat ad venerem est denunciandus.

450 Probatur secundò: Vt solicitatio simulando confessionem sit casus comprehensus in Bulla, tantùm requiritur, quòd concurrat cum solicitatione simulatio formalis confessionis; sed ex eo quòd Confessarius more solito sedeat, & fæmina genuflectat, & auriculariter loquatur cum Confessario, datur simulatio formalis confessionis: ergo si hoc modo Confessarius solicitat, est denunciandus. Probatur minor: Simulatio formalis nihil aliud est, quàm significatio alicuius rei, vel facti cum intentione fallendi; sed ex tali dispositione Confessarij, & pœnitentis datur significatio confessionis cum intentione fallendi, ergo præciso omni alio, si Confessarius sedeat, fæmina sit coram eo flexis genibus, & auriculariter loquatur, datur simulatio formalis confessionis.

451 Respondent contrarij, quòd ad hoc, vt detur simulatio formalis, non solùm debet dari significatio confessionis, sed intentio fallendi, quia aliud est permissio deceptionis, & aliud est deceptio; quandò Confessarius sedet, & fæmina flexis genibus loquitur ad aures, non significant confessionem formaliter, nec intendunt fallere, quia ad hoc efficerent, quæ principaliter concurrunt in vera confessione, scilicèt ex parte feminæ, tunsionem pectoris cum confessione generali, & signo Crucis, & ex parte Confessarij apparientiam absolutionis; cum autem hæc deficiant, non datur simulatio formalis confessionis.

452 Sed contra: quamvis enumerata; scilicèt, tunsio pectoris, &c. & absolutio aggravent, vel compleant simulationem formalem, tamen vt detur tota essentia simulationis formalis confessionis, sufficiunt sessio Confessarij, situs fæminæ, & locutio auricularis, quia qui hoc modo vident Confessarium, & pœnitentem, semper præsumunt ibi confessionem, quia ita suadent locus, forma, & locutio, *l. aut facta* 16. §. 1. *de pœnis, cap. in omnibus* 26. quia ita sunt qui administrant Sacramentum Pœnitentiæ,

tiæ, & confitentes peccata sacramentalitèr, & à solitis præsumptio sumitur, *l. quædam 9. §. nummularios 2. de edendo, l. eum, qui probabilem 19. C. de Episcop. & Cleric. cap. 1. de Cleric. non resident.* ergo cum de more, qui administrat Sacramentum Pœnitentiæ sedeat, & pœnitens flexis genibus sit coram illo, & loquatur ad aures Confessarij, qui tali modo sunt situati simulant confessionem. Nec requiritur quòd habeant formalem intentionem fallendi, sufficit enim virtualis, quæ includitur in voluntate efficiendi falsam, & apparentem confessionem.

453 Ex quibus infero primò, malè dixisse Castrum à Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 8. num. 2.* quòd si simulatio interveniat ex parte Confessarij, & pœnitentis, talitèr, quòd ambo, quia in alio loco non possunt loqui de suo amore lascivo conveniant, vt loquantur in Ecclesia simulando confessionem, & ibi habeant verba, vel tractatus inhonestos, fæminam ex vi Bullæ non teneri denunciare Confessarium, quia aliàs se proderet. Malè enim dixit, quia semper, & quando Confessarius, vel in vera, vel simulata confessione habet sermones, vel tractatus inhonestos, non solùm verus pœnitens, sed etiam simulatus tenetur denunciare. Neque ad hoc est necessum vt se prodat, quia vt dixi, potest referre verba, vel tractatus inhonestos Confessarij, & tacere proprium consensum. Cum quibus habes sufficientem doctrinam, vt intelligas, quòd etiam si in hoc casu non detur vera confessio, est discurrendum secundum ea, quæ diximus de solicitatione in confessione vera, & similitèr quando existimat Confessarius, quòd fæmina venit animo confitendi verè sua peccata, & illum solicitat, & consentit.

454 Sed contra hoc vltimum proponam efficacius argumentum contrariorum, quod reducitur ad hanc formam: vt Confessarius sit denunciandus debet esse solicitans, provocans, tentans, vel alliciens; sed qui in confessione simulata solùm consentit solicitationi, & de novo solicitat, nec provocat, &c. non est solicitans, sed solicitatus à fæmina pœnitente: ergo non est denunciandus vigore Bullæ Gregorianæ. Probatur consequen-

quentia: quia omnia quæ sequuntur postea, referuntur ad hæc verba antecedentia: *Solicitare, provocare, &c.* sed etiam si habeat sermones, vel tractatus inhonestos, nec solicitat, nec tentat: ergo non est denunciandus vt reus Bullæ. Vt satisfaciam huic argumento, quod est vnicum asylum contrariæ sententiæ, oportet ostendere connexionem verborum Bullæ Gregorij XV. quia alio modo ratio adducta pluribus placet, & fateor me aliquando fuisse convictum hac ratione; sed attendendo ad contexturam Bullæ, facilè solvitur argumentum, quia postquam Summus Pontifex proponit varios casus; nempè, de Confessario solicitante in confessione Sacramentali immediatè ante, vel post, &c. ita concludit orationem, *solicitare, vel provocare tentaverint*; & postea asserit: *Aut cum eis illicitos sermones, sive tractatus habuerint*: ergo apparet, quòd intentum Summi Pontificis est, vt non solùm sint denunciandi Confessarij solicitantes, & provocantes in locis, & occasionibus enumeratis in Bulla, sed etiam qui quamvis non provocent, nec tentent, habent in dictis locis, & occasionibus sermones inhonestos, &c.

455 Nec valet si dicas, quòd Bulla non est contra Confessarios consentientes solicitationi, sed contra solicitantes, & ita non debet extendi ad consentientes, quia vt multoties dixi, etiam constitutiones favorabiles non extenduntur ad diversas personas præter expressas in Bulla. Non valet hoc, nam res sumunt nomen, & denominationem à principaliori, & frequentiori parte, vt patet in privilegijs, etiam si in illis contineatur aliquod gravamen, cum autē principalius, quòd intendit Summus Pontifex sit procedere contra Confessarios solicitantes, quia frequentiùs isti solicitant, & provocant ad venerea, ideò licèt comprehendantur in Bulla consentientes solicitationi, titulus huius Bullæ est contra Confessarios solicitantes.

456 Ex quibus infero secundò, quòd ad hoc, vt sit solicitatio comprehensa in Bulla, quæ fit simulando confessionem, non requiritur, quòd simulatio sit ex parte vtriusque, sed sufficit quòd se teneat ex parte Confessarij; si autem sola fæmina simulat,

lat,& non Confessarius, etiam si iste solicitet ad venerea, non est denunciandus; neque est dicendum fœminam esse denunciandam, quia sicut ista nec comprehenditur in Bullis, nec in Ædictis, quamvis solicitet in vera confessione, idem est dicendum si solicitet simulando confessionem; quòd autem quando simulatio non se tenet ex parte Confessàrij, non sit denunciandus, etiam si solicitet ad venerea, constat, quia tunc nullam infert iniuriam Sacramento Pœnitentiæ, ac per consequens neque est suspectus in fide. Ita D. Ioan. Escobar 1. *part. quæst*. 4. §. 1. *num*. 40.

457 Infero tertiò, quòd si Confessarius sit sedens in scamnis Ecclesiæ, & accedit ad loquendum cum eo fœmina flexis genibus, sed non loquendo ad aures, sed aliqualitèr separata, sicut solent esse in Ecclesia masculi, & fœminæ audiendo Sermonem, vel Officia Divina, quia masculi sedent in scamnis,& fœminæ, vel sunt circa illos flexis genibus, vel sedentes, si stando hoc modo Confessarius fœminam solicitat, vel loquitur cum illa aliqua inhonesta; sentio non esse denunciandum; quia in hoc casu non est simulatio formalis ex parte vtriusque, nec ex parte Confessarij, quia si frequentèr est separata, & aliquando sicut accidit in similibus casibus, loquitur ad aures, & postea separatur, & Confessarius similia facit, non est præsumptio, quòd simulant confessionem, quia qui confitetur semper loquitur ad aures Confessarij, & postea Confessarius dum admonet, & reprehendit idem facit: ergo cum in hoc casu non detur simulatio ex parte Confessàrij, non est denunciandus.

§. III.

ARGVMENTA CONTRARIÆ SENTENTIÆ SOLVVNTVR.

458 ARGVMENTVM primum Thomę Hurtado sic proponitur: simulatio confessionis comprehensa in Bulla debet esse propria,& rigorosa; sed si fœmina solùm est genuflexa coram Confessario, loquitur ad aures illius, & Confessarius sedet

det more solito absque alijs signis, non datur simulatio propria, & rigorosa: ergo si in his circunstantijs solicitat, non est denunciandus. Minor probatur: simulatio propria datur quando aliquis significat, quod in se non habet per signa externa, vt quando aliquis facit opera in favorem inimici, quæ solùm solent fieri pro amicis; tunc enim dicitur, quòd simulat amicitiam, quam in se non habet; sed quando Confessarius solùm sedet in confessionali more solito, & fæmina genuflexa loquitur ad aures, non significat confessionem, quam non facit: ergo in hoc casu, omni alio præciso non datur simulatio propria. Probatur minor: vt enim significet confessionem, quam non facit, debet esse per signum immediatum significans Confessarium audire confessionem; sicut aliquis vt inter fideles simulet falsam religionem, debet hoc facere per signa determinata significantia falsam religionem, quia si solùm vteretur illis signis indifferentibus; nempè, vestibus secundum vsum patriæ, etiam si aliqui deciperentur, cum non sint signa determinata ad significandam falsam religionem, hoc non esset simulare propriè falsam religionem, sed illa locutio, situs, & sessio non est signum determinatè significans confessionem, quia multoties vrbanè ad alia negotia pertractanda sic loquuntur fæminæ cum Confessarijs: ergo quòd fæmina sit genuflexa, loquatur ad aures Confessarij, & iste sedeat more solito, non significat determinatè confessionem, quam non facit, sed hoc requiritur ad simulationem propriam: ergo quamvis Confessarius tunc soliciter, non est denunciandus, quia non solicitat simulando confessionem.

459 Respondetur, quod simulatio comprehensa in Bulla, intelligitur de simulatione formali; nego enim, quòd quando fæmina est genuflexa coram Confessario, loquitur ad aures, & Confessarius est sedens, modo quo solet sedere quando administrat Sacramentum Pœnitentiæ, quòd non detur simulatio formalis confessionis, & signum immediatè significans confessionem, quam non facit Confessarius, quia ad hoc sufficit, quòd circunstantes ex genuflexione, locutione, & sessione præsumant

illam

illam fœminam confiteri; sicut vt detur simulatio amicitiæ, sufficit, quòd aliquis faciat pro alio aliqua opera, quæ solùm ab amicis solent fieri, & vt simulet aliam religionem, quòd aliqua ostendat, quæ solùm fiunt à sectarijs illius religionis, quia sicut ista immediatè significant illam religionem, ita illa locutio, genuflexio, & sessio immediatè significat confessionem.

460 Hoc totum explicatur cum eisdem exemplis, quæ adducit Thomas Hurtado; licèt enim sint alia signa expressiùs, & abundantiùs significantia confessionem, vt tunsio pectoris, simulatio absolutionis, non tollit hoc, quòd alia enumerata, etiam per se, secluso omni alio, sufficientèr significent confessionem; sicut licèt facere pro aliquo magna beneficia, abundantiùs, & expressiùs significent amicitiam, non tollit, quòd si aliqua beneficia non tam magna fiant, quòd etiam sufficientèr immediatè non significent eandem amicitiam. Et licèt facere cæremonias Iudæorum, significet expressiùs, & abundantiùs professionem eorum religionis, non tollit, quòd si tantùm aliquis vtatur vestibus illorum, vbi non est vsus Patriæ, sed distinctivum religionis, vt contingit Romæ, quòd non sit signum sufficiens significans professionem illius religionis, & nulla alia ratione nisi quia omnes qui vident illas vestes, præsumunt esse Iudæum, & omnes qui aspiciunt illa beneficia, iudicant esse amicum, quia solùm ab ipso similia fiunt. Pariformitèr si aliquis videt fœminam modo dicto, iudicat ibi fieri Sacramentum Pœnitentiæ, vel confessionem: ergo talis sessio, locutio ad aures, & genuflexio, sunt signum significans immediatè confessionem.

461 Argues secundò, & est instantia contra solutionem: vt detur simulatio formalis, debet dari aliquid significans non solum determinatè, quod non fit, sed etiam immediatè; sed illa genuflexio, locutio ad aures Confessoris, & sessio immediatè non significant confessionem, quæ non fit: ergo non datur hoc modo simulatio formalis confessionis. Minor probatur: illud est signum immediatè significans inter quod, & significatum, nihil

mediat (relinquo exempla) sed inter illam genuflexionem, locutionem, & sessionem, & confessionem mediat absolutio: ergo non significant immediatè confessionem, quæ non fit.

462 Dupliciter potest responderi ad hoc argumentum. Primò, negando quod supponunt; nempè, absolutionem significare confessionem, quam iam supponit factam, cum se habeat ex parte materiæ, sicut non potest significare hominem, quod supponit iam hominem significatum, imò potiùs, quod expressiùs significat immediatè confessionem est illa genuflexio, locutio ad aures, & attentio Confessoris, quia hoc modo omnes confitentur. Secundò respondetur, quòd licèt inter genuflexionem, locutionem ad aures, & sessionem, & confessionem perfectam, & consummatam mediet absolutio, non autem inter ista, & confessionem inchoatam; & sufficit immediatè significare confessionem inchoatam, vt sit simulatio comprehensa in *Bulla*, quia in illa non solùm prohibetur vt denunciabilis solicitatio facta in confessione perfecta, sed etiam inchoata, cumque inter istam, & genuflexionem, locutionem ad aures, & sessionem nihil mediet, hæc immediatè significant confessionem; & si Confessor hoc modo solicitet, denunciandus est.

463 Ex his occurrit aliquod dubiolum, quia vt diximus, ad simulationem formalem requiritur intentio fallendi, vel formalis, vel virtualis; si enim accederet ad Confessarium aliqua fœmina non animo confitendi, sed ad exequendam libidinem, & hoc modo, Confessarius sedendo more solito ad confitendum, & fœmina genuflexa, & loquendo ad aures, mutuò haberent inhonesta absque aliqua intentione fallendi, imò solùm attenderent ad inhonesta perpetranda; iste Confessarius esset denunciandus, quia solicitat simulando confessionem? Respondetur fore denunciandum, quia vt comprehendatur in Bulla, non requiritur, quòd in Confessario sit intentio fallendi, sed sufficit, quòd facta eliciat, ex quibus præsumatur talis intentio; siquidem in illis factis est invivita moralitèr intentio fallendi, sicut vt aliquis sit propriè sortilegus hæreticalis, non requiritur

quòd

quòd habeat malam credulitatem, ſed ſufficit, quòd præſumatur ex factis hæreticalibus. Sic ſimilitèr cum Confeſſarius talia faciens, oſtendat ſigna, ex quibus præſumitur intentio fallendi; hoc ſufficit vt ſit reus Bullæ, etiam ſi in illo excludatur illa intentio, quia facta contrarium oſtendunt.

464 Adverto contra Thomam Hurtado, quòd ſi ſolùm genuflexio, locutio ad aures, & ſeſſio Confeſſarij in loco pro libito electo, ſunt ſigna ſufficientia ad confeſſionem denotandam, multò meliùs ſi hæc exerceantur in confeſſionario. Et neſcio quomodò hoc vltimum tam pertinacitèr negetur à Thoma Hurtado, citando Ioann. Sanchez *in ſelect. diſp* 11. *num.* 68. §. *hinc fit, & ſeqq.* qui de hoc nihil dicit, ſolùm enim in dicto loco ſtatuit, quòd ſolicitatio in confeſſionario promiſcuo ad confeſſiones audiendas, & ad loquendum vrbanè, non eſt comprehenſa in Bulla, quia indifferentia loci aufert ſimulationem; ſed non dicit, quòd ſi vltra locum eſſent talia ſigna; nempè, quòd mulier genuflecteret, loqueretur ad aures Confeſſarij, & Confeſſarius ſederet modo quo ſolet quando adminiſtrat Sacramentum, tunc non eſſet ſimulatio ſufficiens confeſſionis, quia vltra dicta locus in illis circunſtantijs etiam ſuadet confeſſionem, quæ ibi non eſt; & ſi hoc modo ſolicitat, abſque dubio eſt denunciandus.

465 Probatur aſſumptum: quia ex eo in ſententia omnium qui referunt illud participium *ſimulantes* ad confeſſionarium, qui ſolicitat in hoc loco non eſt denunciandus, quia ſi non ſunt alia ſigna, non ſimulatur confeſſio; ſed qui vltra locum dat, vel ponit alia ſigna, iam ſimulat confeſſionem, quia quòd in tali loco ſit fæmina genuflexa, loquatur ad aures Confeſſarij, & iſte ſedeat in dicto loco, nihil aliud apud omnes ſuadent, niſi ibi fieri confeſſionem: ergo adhùc ſi admittatur ſententia contraria; nempè, quòd ſolicitatio in confeſſionario non eſt comprehenſa in Bulla, ſi non adeſt ſimulatio, eſt dicendum, quòd ſi dictæ actiones concurrunt ex parte pœnitentis, & Confeſſarij, iſte eſſet denunciandus DD. Inquiſitoribus.

Ad

466 Ad hæc respondet Hurtado, loco citato, *num.* 80. & 81. quòd etiam si confessionarius sit clausus, talitèr, quòd non possint videri, si Sacerdos impertitur absolutionem, si illam non simulat, non est denunciandus, quamvis hoc modo solicitet, quia in illo casu fœmina, quæ est genuflexa, non venit animo confitendi, vnde Confessarius non simulat, quia per illam genuflexionem, loquutionem, & sessionem in tali loco, non intendit significare verè, vel falsò confessionem, & si alij existimant se confiteri per accidens est.

467 Hæc doctrina multas patitur impugnationes; sed solùm vnicam ponam, quæ meo videri convincit istum Auctorem; ex eo huiusmodi Confessarius non est denunciandus, quia etiamsi omnes circunstantes in dicto casu existiment ibi fieri confessionem, Confessarius non intendit significare verè, vel falsò confessionem; sed idem potest dici, si absolutionem falsam, vel signum absolutionis ostendat, quod est contra prædictum Auctorem: ergo etiamsi solùm in confessionario dentur alia signa enumerata; si Confessarius solicitat, est denunciandus. Probatur minor: Tota ratio istius Auctoris ad excusandum Confessarium à denunciatione est, quia non intendit significare verè, vel falsò confessionem; sed etiam si det signa absolutionis potest esse, vt occultet suam libidinem, & non ex intentione significandi absolutionem verè, aut falsò: ergo secundùm doctrinam allatam à Thoma Hurtado, etiamsi absolutionem imperciatur, non esset denunciandus; hoc nullus admittit, nullâ alia ratione, nisi quia etiamsi in hoc casu Confessarius non intendat significare absolutionem, sed occultare suam libidinem; omnes existimant ibi esse confessionem: ergo cum idem iudicent, si in confessionario vident fœminam genuflexam loquentem ad aures Confessarij, & Confessarius quòd sedet modo quo administrat Sacramentum Pœnitentiæ, etiamsi Confessarius non intendat simulare veram, aut falsam confessionem per absolutionem, est denunciandus.

QVÆSTIO XV.

QVOMODO INTELLIGANTVR ILLA VERBA BVLLÆ, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, seu tractatus habuerint.

§. I.

EXPLICANTVR VERBA BVLLÆ, ET ALIQVI CASVS referantur.

468 OMNIA obſcœna, & periculoſa contra puritatem Sacramenti Pœnitentiæ, Gregorius XV. à tanto Sacramento voluit excludere; ideòque poſtquam determinavit, quòd Confeſſarij, qui ſolicitant ad venerea in confeſſione immediatè ante, vel poſt, &c. puniantur in Sancto Officio, vt non fugiant à pœnis taxatis in dicta Bulla, prætextu, quòd non ſolicitarunt, ſed fuerunt provocati ad venerea per pœnitentes, ſtatìm ſubiungit: *Aut cum eis illicitos ſermones, ſeu tractatus habuerint*. De hoc enim puncto brevitèr eſt tractandum, quia ferè omnes caſus, qui poſſunt contingere, in alijs quæſtionibus huius 2. partis ſunt deciſi.

469 Pro explicatione notandum eſt primò, quòd Confeſſarij, qui in confeſſione vera, vel ſimulata, ſeu immediatè ante, vel poſt, &c. dicunt, vel faciunt aliqua inhoneſta, etiam ſi priùs provocentur, vel ſolicitentur à pœnitente, ſunt denunciandi DD. Inquiſitoribus thenore horum verborum. Noto ſecundò, quòd etiam virtute horum verborum eſt denunciandus Confeſſarius, qui quamvis ſit provocatus à fæmina, alloquitur cum illa verbis blandis, quæ communitèr vocant allicientia ad venerea, vt ſi illam laudaret de pulchritudine, venuſtate, &c. non autem eſt denunciandus, quandò pronuntiat aliqua verba obſcœna neceſſaria ad confeſſionem, ſive ſit circunſtantia aggravans, vel mutans ſpeciem, vt ſi fœminæ exaratæ dicerent, ha-

buiſti

buisti cum sponso accessum , taliter quòd seminaret intra vas; vel expositione vtriusque fuit periculum effussionis seminis , & alia huiusmodi? Sic Peirinis *tom. 2. de privileg. constit. 4. Gregorij XV. §. 6. num. 21. in fin.* & est commune.

470 Ex quibus liquidò constat intelligentia genuina horum verborum, quæ est, quòd quamvis Confessarius nullo modo priùs alliciat, aut provocet fæminam pœnitentem ad venerea , sed priùs provocetur ab ea , si postea Confessarius habet cum illa , vel sermones , vel tractatus inhonestos , aut consentiendo provocationi, vel verbis, nutibus , vel signis manifestando ex parte sua animum libidinosum, absque dubio est denunciandus DD. Inquisitoribus thenore horum verborum ; si hæc facit, loquitur, vel significat in illis locis,& circunstantijs comprehensis in Bulla , & sicut in casibus solicitationis non datur parvitas materiæ , neque in his rebus , factis , vel signis inhonestis, quia ratio est eadem.

471 Sed contra hæc potest fieri hæc instantia : Quòd Confessarius non consentiens solicitationi fæminæ factæ in confessione sit denunciandus, est maximè controversum inter Auctores , etiamsi cum fæmina habeat sermones , aut tractatus inhonestos post quam est provocatus : ergo si fæmina non accedit animo confitendi , sed manifestandi suum amorem lascivum, & hoc cognoscitur à Confessario , quamvis consentiat solicitationi, & postea habeat cum illa inhonesta , non est reus Bullæ, quia gravius peccatum est consentire solicitationi in vera confessione, & habere inhonesta, quam solùm prætextu confessionis.Respondetur negando consequentiam, quia licèt sit gravius peccatum consentire solicitationi in vera confessione , quam in simulata, ista maior,vel minor gravitas est intra eandem speciem , & in duplici hoc casu Confessarius talia exercens est sacrilegus; sicut gravius peccatum est solicitare in vera confessione, quam in simulata,& hoc non obstanti, hæc maior,vel minor gravitas intra eandem speciem, non tollit, quòd de his duobus delictis cognoscant DD.Inquisitores,& illis denũcientur. Quòd

enim

enim convincit argumentum est mitiùs, debere puniri Confessarium, qui solùm consentit solicitationi prætextu confessionis, quam qui consentit in confessione vera, sicut mitiùs punitur in Tribunali, qui solùm solicitat in confessionario, quam qui solicitat in vera confessione, etiam si ambo Confessarij vigore Bullæ per DD. Inquisitores puniantur tanquam suspecti in fide.

472 Casus practicus primus est: accedit fæmina ad Confessarium in confessionali, & genuflexa coram illo dicit, quòd non habet animum confitendi, & postea provocat, & tentat Confessarium ad inhonesta cum illa perpetranda, sed Confessarius nullo modo consentit, & ad fugiendum illam occasionem, dicit, nullo modo committam tam enorme peccatum, sed crede me erga te habere magnum affectum, & propono adire domum tuam ad te invisendum. Est ne iste Confessarius denunciandus, quia in confessionario habet sermones illicitos, & inhonestos cum fæmina? In simili casu tenet D. Ioan. Escobar *part.* 1. *quæst.* 3. §. 2. *num.* 19. hoc ex se non significare pravum affectum, nisi habeat adiunctam circunstantiam, qua appareat illa esse venerea; ideòque huiusmodi Confessarium non esse denunciandum.

473 Iste casus cum distinctione est resolvendus. Si enim huiusmodi Confessarius, etiam si transeant dies, postea quærat illam fæminam, & ad venerea soliciter, est denunciandus; quia ex post factis declaratur animus præcedens habitus in confessionali, prætextu confessionis; ac per consequens illa verba, aliundè non inhonesta, talia censentur, *l. Si qui adulterij* 34. vbi bonus textus *C. ad l. Iuliam de adult.* ergo si postea quærit illam fæminam, & eam solicitat, est denunciandus, quia non apparet aliqua circunstantia, ex qua illa verba sint inhonesta, imò potiùs est præsumendum, talia dixisse ad evadendas tentationes importunas illius fæminæ.

474 Casus secundus est: Quædam femina confitetur, & in progressu confessionis ponitur ante illam alius Confessarius, cum quo amicitiam turpem habet, huiusmodi Confessarius contristatur, vel quia existimat illam aliqua inhonesta habere

cum illo Sacerdote, cum quo confitetur, vel quia iudicat illa confessione habuisse finem suum amorem lascivum; tunc fæmina, vel in ipsa confessione, vel immediatè post, signis demonstrat prosequutionem sui amoris lascivi; Confessarius aspiciens correspondet signis, vel verbis; est nè huiusmodi Confessarius denunciandus, vel quia solicitat in confessione facta cum alio Confessario, vel immediatè post? Respondetur, quòd vi decreti huiusmodi Confessarius non est denunciandus, quia constitutio Gregorij XV. tantùm loquitur de Confessario confitente fæminam. Præterea, quia licèt per talia verba, vel signa fiat iniuria Sacramento Pœnitentiæ, hæc iniuria non infertur à Confessario confitente fæminam, & quòd ille aspiciens sit Confessarius per accidens se habet ad consensum, vel solicitationem: ergo tenore Bullæ Gregorij XV. huiusmodi Confessarius non est denunciandus.

475 Tertius casus practicus: accedit fæmina ad Confessarium, & ambo sedendo in scamnis, illa dicit, quòd vult aliqua cum eo communicare, & signat se Crucis signo, & addit, hæc dico in confessione; sed nec habet animum confitendi, nec simulat confessionem; sed dixit illa, vt Confessarius melius observet secretum circa ea, quæ fæmina alloqutura est causa petendi consilium; tunc enim Confessarius habet cum illa sermones, aut tractatus inhonestos; est ne iste Confessarius denunciandus DD. Inquisitoribus? Respondetur negativè: quia vt supponitur in casu, fæmina non accedit animo confitendi, neque simulat confessionem, & licèt se muniat signo Crucis, illud secretum solùm est naturale, quia cum illa fæmina non accedat animo confitendi, quæ dicit, non cadunt sub sigillo confessionis. Ita Eximius Doctor *de pœnitent. disp. 33 sect. 2. num. 6.* Coninch *de Sacrament. quæst. 9. dub. 3. num. 38. & seqq.* & communitèr DD.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVI.

QVÆ PROPOSITIONES EXPRESSE SINT DAMNATÆ in hac materia.

§. VNICVS.

PONVNTVR PROPOSITIONES DAMNATÆ.

476 VT certa ab incertis separentur, suppono propositiones damnatas à Summis Pontificibus nullo modo posse reduci ad praxim, vel secundum illas dirigere operationes, vel consilium, quia sicut Summus Pontifex non potest errare in materia circa fidem, secundum illud Pauli: *Columna veritatis*, ita nec in rebus pertinentibus ad morem; nam sicut Ecclesia est vera, ita est Sancta, secundum Symbolum: *Vnam Sanctam Ecclesiam Catholicam*: ergo secundum propositiones damnatas, nullo modo possumus licitè operari; ac per consequens si aliquas propositiones defensabant Auctores vt probabiles, posita condemnatione Pontificia, improbabiles manent, & ab omnibus Catholicis vt tales reijci debent.

477 Summus Pontifex Alexander VII. *die* 14. *Septembris anni* 1665. inter alias propositiones hanc damnavit, quæ in ordine est sexta: *Confessarius qui in Sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitare in confessione, ac proindè non est denunciandus.* Hanc propositionem docebat Castrus à Palao 1. *par. tract.* 4. *disput.* 9. *punct.* 4 *à num.* 2. Thomas Hurtado idem defensabat *tract.* 4 *de Confess. solicit. cap.* 5. *à num.* 62. meritò hæc propositio damnata est, quia ex eo quòd huiusmodi charta tradatur in confessione, in qua continetur formalis solicitatio, ista fuit moraliter incepta in confessione: ergo vt solicitans est huiusmodi Confessarius denunciandus.

478 Hæc enim solicitatio apertè est comprehensa in Bulla Gregoriana, nam vnum ex præcipuis motivis Summi Pontificis ad stabiliendam denunciationem est, quia huiusmodi Confessarij solicitantes loco panis porrigunt venenum; sed Confessarius qui tribuit chartam in confessione, in qua continetur formalis solicitatio, loco panis porrigit venenum; nam omnes dicunt, quòd qui tribuit poculum veneni, venenum tribuit: ergo si iste Confessarius in confessione tribuit chartam, in qua continetur solicitatio, quæ est venenum, loco pannis porrigit venenum, ac per consequens verè est solicitatio comprehensa in Bulla.

479 Sed licèt hæc propositio sit damnata, apponam principale fundamentum sectatorum illius, quod est huiusmodi: solùm est denunciandum pro crimine solicitationis, sed traditio chartæ non est solicitatio: ergo pro ista traditione Confessarius denunciandus non est. Probatur minor: solicitatio est inductio, & motio voluntatis alienæ; sed in confessione quando datur charta, non inducitur, nec movetur voluntas pœnitentis: ergo traditio chartæ non est solicitatio. Minor, in qua est difficultas, probatur: tunc inducitur ad venerem volũntas pœnitentis quando legitur charta, sed supponitur in casu, quòd tunc non legitur in confessione, sed extra domi: ergo in confessione non inducitur, nec movetur voluntas pœnitentis.

480 Confirmatur: vt Sacerdos subijciatur pœnis contentis in Bullis adversus solicitantes, requiritur quòd crimen solicitationis sit completum in ratione solicitationis, sicut requiritur homicidium completum, vt incurratur irregularitas homicidij, & percusio Clerici completa, vt excommunicatio liget, & non sufficit dedisse causam horum delictorum: ergo cum traditio chartæ non sit solicitatio completa, imò neque solicitatio, sed causa solicitationis, Sacerdos tribuens huiusmodi chartam pœnitenti, non subijcitur pœnis taxatis in Bullis contra Confessarios solicitantes.

481 Ad argumentum respondetur distinguendo minorem: tra-

traditio chartæ non eſt ſolicitatio in eſſendo, concedo minorem; in ſupponendo, nego minorem; nam ſicut eſt certum, quòd litteræ, & voces ſupponunt pro conceptibus, ita illa charta, vel characteres pro ſolicitatione Sacerdotis, & eſt ſignum formale ſolicitationis, quare in ſupponẽdo eſt ſolicitatio; cũ autem hæc charta tradatur in confeſſione, in ipſa confeſſione eſt in ſupponendo motio pœnitentis, & provocatio; ſicut qui dat poculum veneni, etiam ſi det illud, non vt tunc ſumatur, ſed poſtea quando dat poculum, dicitur dare venenum, per quòd patet ad probationem; nam ſecundum dicta, licèt in actu ſecundo, & quoad exercitium, quando legitur charta domi provocet, & moveat, quando datur in confeſſione, iam in actu primo proximo movet, & provocat cum ordine ad exercitium provocandi.

482 Ad confirmationem reſpondetur, quòd in traditione chartæ, in qua continetur ſolicitatio, iam eſt ſolicitatio completa in ratione ſolicitationis; cum detur inſtrumentum in confeſſione, in quo continetur, & eſt completa, & formalis ſolicitatio; nam ad hoc vt detur completa ſolicitatio, ſufficit, quòd reperiatur in illa, quod petunt Bullæ Pontificiæ, & Bulla Gregoriana dicit: *Inhoneſtos ſermones, vel tractatus habuerint*. Quare ſufficit vnum ex duobus. Quis enim dicet, quòd tradere fœminæ chartam, in qua continetur ſolicitatio ad venerem, quòd non eſt habere cum illa inhoneſtos tractatus? Per quod patet diſparitas ad exempla de irregularitate, & excommunicatione.

483 Ex hoc oritur aliud dubiolum: an ſi Confeſſarius det chartam in confeſſionali formali, vel vnicè deputato ad audiendas confeſſiones extra occaſionem confeſſionis ſit denunciandus? Videtur quòd non, quia tunc nulla iniuria fit Sacramento. Sed ego intelligo, quòd hæc propoſitio eſt virtualitèr damnata pro parte negativa. Probatur, quia tunc aliqua propoſitio eſt virtualitèr damnata quando eſt antecedens, ex quo infertur propoſitio damnata; ſed hæc propoſitio ſcilicèt non eſt denunciandus Confeſſarius, qui dat chartam pœnitenti in confeſsionali vnicè deputato ad audiendas confeſsiones, in qua continetur

478 Hæc enim solicitatio apertè est comprehensa in Bulla Gregoriana, nam vnum ex præcipuis motivis Summi Pontificis ad stabiliendam denunciationem est, quia huiusmodi Confessarij solicitantes loco panis porrigunt venenum; sed Confessarius qui tribuit chartam in confessione, in qua continetur formalis solicitatio, loco panis porrigit venenum; nam omnes dicunt, quòd qui tribuit poculum veneni, venenum tribuit: ergo si iste Confessarius in confessione tribuit chartam, in qua continetur solicitatio, quæ est venenum, loco pannis porrigit venenum, ac per consequens verè est solicitatio comprehensa in Bulla.

479 Sed licèt hæc propositio sit damnata, apponam principale fundamentum sectatorum illius, quod est huiusmodi: solùm est denunciandum pro crimine solicitationis, sed traditio chartæ non est solicitatio: ergo pro ista traditione Confessarius denunciandus non est. Probatur minor: solicitatio est inductio, & motio voluntatis alienæ; sed in confessione quando datur charta, non inducitur, nec movetur voluntas pœnitentis: ergo traditio chartæ non est solicitatio. Minor, in qua est difficultas, probatur: tunc inducitur ad venerem voluntas pœnitentis quando legitur charta, sed supponitur in casu, quòd tunc non legitur in confessione, sed extra domi: ergo in confessione non inducitur, nec movetur voluntas pœnitentis.

480 Confirmatur: vt Sacerdos subijciatur pœnis contentis in Bullis adversus solicitantes, requiritur quòd crimen solicitationis sit completum in ratione solicitationis, sicut requiritur homicidium completum, vt incurratur irregularitas homicidij, & percusio Clerici completa, vt excommunicatio liget, & non sufficit dedisse causam horum delictorum: ergo cum traditio chartæ non sit solicitatio completa, imò neque solicitatio, sed causa solicitationis, Sacerdos tribuens huiusmodi chartam pœnitenti, non subijcitur pœnis taxatis in Bullis contra Confessarios solicitantes.

481 Ad argumentum respondetur distinguendo minorem: tra-

traditio chartæ non est solicitatio in essendo, concedo minorem; in supponendo, nego minorem; nam sicut est certum, quòd litteræ, & voces supponunt pro conceptibus, ita illa charta, vel characteres pro solicitatione Sacerdotis, & est signum formale solicitationis, quare in supponẽdo est solicitatio; cũ autem hæc charta tradatur in confessione, in ipsa confessione est in supponendo motio pœnitentis, & provocatio; sicut qui dat poculum veneni, etiam si det illud, non vt tunc sumatur, sed postea quando dat poculum, dicitur dare venenum, per quòd patet ad probationem; nam secundum dicta, licèt in actu secundo, & quoad exercitium, quando legitur charta domi provocet, & moveat, quando datur in confessione, iam in actu primo proximo movet, & provocat cum ordine ad exercitium provocandi.

482 Ad confirmationem respondetur, quòd in traditione chartæ, in qua continetur solicitatio, iam est solicitatio completa in ratione solicitationis; cum detur instrumentum in confessione, in quo continetur, & est completa, & formalis solicitatio; nam ad hoc vt detur completa solicitatio, sufficit, quòd reperiatur in illa, quod petunt Bullæ Pontificiæ, & Bulla Gregoriana dicit: *Inhonestos sermones, vel tractatus habuerint.* Quare sufficit vnum ex duobus. Quis enim dicet, quòd tradere fœminæ chartam, in qua continetur solicitatio ad venerem, quòd non est habere cum illa inhonestos tractatus? Per quod patet disparitas ad exempla de irregularitate, & excommunicatione.

483 Ex hoc oritur aliud dubiolum: an si Confessarius det chartam in confessionali formali, vel vnicè deputato ad audiendas confessiones extra occasionem confessionis sit denunciandus? Videtur quòd non, quia tunc nulla iniuria fit Sacramento. Sed ego intelligo, quòd hæc propositio est virtualitèr damnata pro parte negativa. Probatur, quia tunc aliqua propositio est virtualitèr damnata quando est antecedens, ex quo infertur propositio damnata; sed hæc propositio scilicèt non est denunciandus Confessarius, qui dat chartam pœnitenti in confessionali vnicè deputato ad audiendas confessiones, in qua contine-

tur

tur solicitatio est antecedens, ex quo infertur propositio damnata: ergo hæc propositio virtualitèr est damnata. Probatur minor: quia sicut ex Bulla Gregoriana est solicitatio provocare in confessione ad venerea, ita extra occasionem confessionis in confessionali vnicè deputato ad audiendas confessiones: ergo si traditio chartæ, in qua continetur solicitatio in confessionali, non est solicitatio, neque traditio chartæ huiusmodi in confessione: ergo prædicta propositio est antecedens, ex quo infertur propositio damnata. Ex quo est resolvendum traditionem chartæ in confessionali vnicè electo ad audiendas confessiones, in qua continetur solicitatio ad venerem, est solicitatio subiecta pœnis contentis in Bulla. Ad rationem dubitandi, iam constat in quæstione de solicitatione in confessionali.

484 • In eodem decreto idem Alexander VII. damnavit in hac materia aliam propositionem, quæ in ordine est septima, & sic se habet: *Modus evadendi obligationem denunciandi est si solicitatus confiteatur cum solicitante; hic potest illum absolvere ab obligatione denunciandi*, hæc propositio insinuatur à Thoma Hurtado *cap. 6. de Confessar solicitant. resol.* 10. *num.* 87. *& seqq.* sed illam non resolvit absolutè, cum dicat in fronte resolutionis, secundus modus evadendi denunciationem, qui alicui forsam non videbitur improbabilis (& si ego de ipso iudicium vltimum non feram, ipsum tamen subijcio, vt sapientiores iudicent, quorum iudicio meum submitto) est, &c. & ponit propositionem damnatam.

485 Motivum damnandi hanc propositionem iam apparet clarè; nam ex eo quòd mulier solicitata confiteatur cum confessario solicitante, quamvis omissio denunciationis non sit casus reservatus, non liberatur hæc mulier ab obligatione denunciandi, & cum proposito non denunciandi non potest absolvi, quia & est indispofita ratione peccati, quod habet, non obediendo præceptis Pontificijs, & Inquisitionis, & etiam quia incurrit in excommunicationem, à qua non potest absolvi si non denunciat, vel saltèm habeat firmum propositum denunciandi;

cum

cùm autem secundum hanc propositionem sit absolvenda à Confessario absque proposito denunciandi, & aliundè Confessarius non habeat auctoritatem liberandi pœnitentem ab onere denunciandi; quia tale onus est impositum à Pontificibus, & ab Inquisitoribus, absolveret pœnitentem indispositum, quod ad minus est erroneum in fide. Ex quo liquidò constat nullum Confessarium, nec virtute Bullæ, nec alicuius magni Iubilei posse absolvere mulierem solicitatam nisi denunciet Inquisitoribus fidei, nisi in aliquibus casibus particularibus vt dixi suo in loco ad quem lectorem remitto.

QVÆSTIO XVII.

AN CONFESSARII QVI ASSISTVNT SENTENTIÆ quando promulgatur in Tribunali contra Confessarium solicitantem teneantur sub peccato mortali non revelare reum.

§. VNICVS.

QVÆSTIONI RESPONDETVR, ET ALIQVA inferuntur.

486 PRO coronide huius secundæ partis antequam transeam ad tertiam, in qua de pœnis correspondentibus Confessarijs solicitantibus principaliùs agam, decrevi præsentem quæstionem apponere, quam iudico vtilissimam his temporibus; vt non destruant assistentes in Sancto Officio, quando legitur sententia contra Confessarium solicitantem; quod vigilantia DD. Inquisitorum edificat.

487 De hac quæstione plures tractarunt, & præcipuè Acuña *quæst. 24. num. 14. & seqq.* & Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 34. num. 72.* vt autem cum fundamento resolvatur, primò est habendum ante oculos; Sanctum Officium semper secretò intima-

tur solicitatio est antecedens, ex quo infertur propositio damnata: ergo hæc propositio virtualitèr est damnata. Probatur minor: quia sicut ex Bulla Gregoriana est solicitatio provocare in confessione ad venerea, ita extra occasionem confessionis in confessionali vnicè deputato ad audiendas confessiones: ergo si traditio chartæ, in qua continetur solicitatio in confessionali, non est solicitatio, neque traditio chartæ huiusmodi in confessione: ergo prædicta propositio est antecedens, ex quo infertur propositio damnata. Ex quo est resolvendum traditionem chartæ in confessionali vnicè electo ad audiendas confessiones, in qua continetur solicitatio ad venerem, est solicitatio subiecta pœnis contentis in Bulla. Ad rationem dubitandi, iam constat in quæstione de solicitatione in confessionali.

484 • In eodem decreto idem Alexander VII. damnavit in hac materia aliam propositionem, quæ in ordine est septima, & sic se habet: *Modus evadendi obligationem denunciandi est si solicitatus confiteatur cum solicitante; hic potest illum absolvere ab obligatione denunciandi*, hæc propositio insinuatur à Thoma Hurtado *cap. 6. de Confessar solicitant. resol.* 10. *num.* 87. *& seqq.* sed illam non resolvit absolutè, cum dicat in fronte resolutionis, secundus modus evadendi denunciationem, qui alicui forsam non videbitur improbabilis (& si ego de ipso iudicium vltimum non feram, ipsum tamen subijcio, vt sapientiores iudicent, quorum iudicio meum submitto) est, &c. & ponit propositionem damnatam.

485 Motivum damnandi hanc propositionem iam apparet clarè; nam ex eo quòd mulier solicitata confiteatur cum confessario solicitante, quamvis omissio denunciationis non sit casus reservatus, non liberatur hæc mulier ab obligatione denunciandi, & cum proposito non denunciandi non potest absolvi, quia & est indisposita ratione peccati, quod habet, non obediendo præceptis Pontificijs, & Inquisitionis, & etiam quia incurrit in excommunicationem, à qua non potest absolvi si non denunciat, vel saltèm habeat firmum propositum denunciandi;

cum

cùm autem secundum hanc propositionem sit absolvenda à Confessario absque proposito denunciandi, & aliundè Confessarius non habeat auctoritatem liberandi pœnitentem ab onere denunciandi; quia tale onus est impositum à Pontificibus, & ab Inquisitoribus, absolveret pœnitentem indispositum, quod ad minus est erroneum in fide. Ex quo liquidò constat nullum Confessarium, nec virtute Bullæ, nec alicuius magni Iubilei posse absolvere mulierem solicitatam nisi denunciet Inquisitoribus fidei, nisi in aliquibus casibus particularibus vt dixi suo in loco ad quem lectorem remitto.

QVÆSTIO XVII.

AN CONFESSARII QVI ASSISTVNT SENTENTIÆ quando promulgatur in Tribunali contra Confessarium solicitantem teneantur sub peccato mortali non revelare reum.

§. VNICVS.

QVÆSTIONI RESPONDETVR, ET ALIQVA inferuntur.

486 PRO coronide huius secundæ partis antequam transeam ad tertiam, in qua de pœnis correspondentibus Confessarijs solicitantibus principaliùs agam, decrevi præsentem quæstionem apponere, quam iudico vtilissimam his temporibus; vt non destruant assistentes in Sancto Officio, quando legitur sententia contra Confessarium solicitantem; quod vigilantia DD. Inquisitorum edificat.

487 De hac quæstione plures tractarunt, & præcipuè Acuña *quæst. 24. num. 14. & seqq.* & Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 34. num. 72.* vt autem cum fundamento resolvatur, primò est habendum ante oculos; Sanctum Officium semper secretò intima-

timare hanc sententiam, eam legendo cum meritis coram Secretarijs secreti, & Confessarijs Sæcularibus, & Regularibus, taliter, quòd ibi, nec Commissarij, nec Nuntij permittuntur, vt hoc negotium maneat sub sigillo Sancti Officij.

488 Secundò: est advertendum, motivum vnicum puniendi secretò Confessarium solicitantem esse, ne Sacramentum Pœnitentiæ, quod institutum est in remedium animarum, parvipendatur, & cum noticia delictorum Confessorum retrahantur fœminæ à receptione, & vsu tanti Sacramenti, præcipuè si sint honestæ, aut parentes earum cum conceptu huius delicti in Confessarijs illas custodiant cum tanto rigore, quòd solùm permittant vt accedant ad aliquos Confessarios, de quibus habeant magnam satisfactionem, quia parentes cum illis confitentur, & fortasse huiusmodi fæminæ obverecundiam non audeant cum illis confiteri sua peccata, & præcipuè si sunt venerea.

489 Cum enim sit tam conveniens, quòd maneat sub secretò hoc delictum, vt habeatur inter Confessarios varia dixerunt Auctores; nam Acuña loco citato *num*.15. vtilius iudicat, quòd præcedente sententia DD. Inquisitores vocent Prælatum Confessarij solicitantis, & illi eum tradant, vt maxima circunspectione, & cautela ab illo puniatur reclusione, disciplinis, ieiunijs, & alijs salutaribus pœnitentijs, & Sousa loco citato advertit, quòd abiuratio Confessarij solicitantis non fiat coram multis, quia si sunt multi difficultèr potest secretum servari, quod est contra intentum punitionis secretæ.

490 Sententia Sousæ *in suo tract. de Confess. solicit. tract.*1. *cap*.16. *num*.8. absolutè defensat, quòd Confessarij, & Ministri Sancti Officij assistentes sententiæ contra Confessarium solicitantem non possunt propalare secretum sub peccato mortali, & probat hoc discursu; quando Sanctum Officium clausis ianuis manifestat Ministris, & alijs aliquod crimen, vel per sententiam, vel ad consilium capiendum, vel alio modo, infamia talis criminis non excedit limites Sancti Officij; sed crimen, quod non excedit limites Sancti Officij non potest manifestari sine pecca-

peccato mortali: ergo omnes aſsiſtentes debent ſub peccato mortali ſervare ſecretum. Freitas *in addit. ad tract. de Confeſſ. ſolicitant. quæſt.* 24. *num.* 49. exiſtimat, DD. Inquiſitores debere imponere aſsiſtentibus Confeſſarijs præceptum, & excommunicationem, ne alijs propalent hoc crimen.

491 Secundùm ſententiam Dianæ 4. *par. tract.* 5. *reſol.* 44. & D. Ioann. Eſcobar *par.* 3. *de Confeſſ. ſolicit. quæſt.* 5. §. 5. *num.* 11. reſolvo quæſtionem cum diſtinctione, & dico: Confeſſarios, & Miniſtros Sancti Officij aſsiſtentes, quando legitur ſententia contra Confeſſarios ſolicitantes, non peccare, ſi crimina manifeſtant inter alios Eccleſiaſticos Sacerdotes Sæculares, & Regulares; benè verò tenentur ſub peccato mortali non propalare hæc crimina enormia ſæcularibus. Hæc reſolutio habet duas partes, & prima facilè probatur; quia ex propalatione huius criminis, & pœnarum contra Confeſſarium ſolicitantem coram alijs Confeſſarijs, boni fructus ſperari poſſunt, quia referendo, quòd Confeſſarij ſolicitantes puniuntur ſeverè in Sancto Officio, alijs incutitur timor, & avertuntur à tam gravi crimine patrando: ergo abſque ſcrupulo peccati Confeſſarij aſsiſtentes ſententiæ poſſunt crimina, & pœnas propalare alijs Confeſſarijs, ſive Sæcularibus, ſive Regularibus.

492 Secundò probatur eadem pars, quia vt dixi, ex eo clauſis ianuis huiuſmodi Confeſſarij puniuntur ſolùm coram alijs Confeſſarijs, ne ex notitia horum delictorũ ſequatur ſcandalum, in Sæcularibus, & ne pœnitentes, & præcipuè fœminæ honeſtæ à labacro tanti Sacramenti retrahantur; ſed omnia iſta inducunt ſub peccato mortali obligationem ſervandi ſecretum, ne perveniant talia delicta ad aures Secularium: ergo Confeſſarij, & omnes aſsiſtentes ſententiæ ſub peccato mortali tenentur non propalare Sæcularibus delicta, nec pœnas inflictas contra Confeſſarium ſolicitantem.

493 Hoc enim eſt certum, quia vt rectè dixit Souſa loco citato, hoc delictum non excedit limites Tribunalis; ideòque ex natura ſua affert ſecum ſecretum Inquiſitionis, & aliundè

vt quotidiè videmus, ex propalatione horum delictorum oriuntur scandala, risus,& denigrationes in Sæcularibus contra Confessarios, & Ecclesiasticos; & vt assistentes advertant ad hanc obligationem,existimo convenientissimum fore,quòd DD. Inquisitores intimarent hoc sigillum; nam vix est in Tribunali punitus Confessarius solicitans, quando suum delictum est publicum in tota Civitate,& multotiès in Regno.

494 Secunda pars etiam est certa; nam non est occultandum hoc crimen, nec pœnæ ab illis, quibus proficiet illorum notitia; sed Sacerdotibus, & præcipuè Confessarijs potest proficere notitia criminis,& punitionis Cõfessarij solicitantis, nam ex hac possunt capere exemplum, vt faciliùs se arceant à simili facinore: ergo his non est occultandum crimen, nec punitio. Præterea, quia frequenter postquam sententia legitur cum meritis in Tribunali, alio die sequenti idem fit coràm Communitate Religiosorum,exceptis Novitijs, inter quos plures non sunt Confessarij: ergo signum est, quòd intentum Tribunalis non est, quòd hoc delictum non perveniat ad aures Ecclesiasticorum, & præcipuè Confessorum; ideòque vocantur Parochi, & ex quolibet Conventu Civitatis (si non est magnus numerus Conventuum) vnus Confessarius, vt Parochus dicat casum, vel casus Confessarijs suæ Parochiæ, & Regulares idem faciant cum Confessarijs eorum Conventus, ponderando quanta miseria, & infelicitas est pervenire ad statum tam miserabilem, vt coràm tanto Tribunali, & Ecclesiasticis manifestentur crimina tam obscœna,& iustè denigretur Confessarius.

495 Ex quibus infero, quòd alij Ecclesiastici, qui non assistunt sententiæ, sed habent notitiam criminis, & pœnarum per Confessarios, qui fuerunt in Tribunali, habent eandem obligationem servandi sigillum sub peccato mortali, quia cum hoc onere transit ad omnes Ecclesiasticos hoc negotium respectivè ad Sæculares; nam sic postulat qualitas huius delicti ratione sui, & scandali,quia aliàs vt multotiès videmus,huiusmodi punitiones non essent in ædificationem,sed in destructionem

anima-

animarum contra intentum Constitutionum Pontificum, & institutum Tribunalis rectissimi Sanctæ Inquisitionis.

496 Constat ex hucusque dictis in toto hoc tractatu, & ex thenore Bullæ Clementis VIII. facultatem cognoscendi de crimine solicitationis residere in Tribunali Sanctæ Inquisitionis privativè quoad Prælatos Regulares respectu Religiosorum. Sed quia potest contingere, quòd aliqui intelligant, fundati in Diplomatibus Pontificijs antiquis, dictos Prælatos Regulares habere facultatem cognoscendi de alijs criminibus generantibus suspicionem in fide, si ab eis præveniantur, aut in visitationibus, aut alio tempore, placet vltimo loco apponere in hac secunda parte Bullam Pauli V. in qua hæc facultas, quæ fuit concessa per Pium IV. totalitèr è manu Superiorum Regularium tolitur, & conceditur privativè DD. Inquisitoribus, quæ Bulla est tenoris sequentis.

***

PAVLVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

ROMANVS Pontifex ea interdum, quæ Prædecessoribus suis temporum, & rerum qualitate id tunc exposcente, proinde pro hæresum extirpatione sancita sunt, nobis, emergentibus rationibus revocat, & immutat, aliaque desuper disponit, & ordinat, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

§. 1. Dum siquidem fœl. rec. Pius Papa IV. Prædecessor noster sua perpetuò valitura constitutione statuit, ordinavit, & declaravit, quòd ex tunc deinceps in omnibus Christiani Orbis partibus Inquisitores hæreticæ parvitatis tam Generales, quam in quibusvis Provincijs, Civitatibus, Oppidis, terris, & Locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcumque ordinum, etiam exemptorum, etiam mendicantium professores, & Religiosos, ac etiam alios quoscumque quovis modo privilegiatos, & exemptos, de hæresis crimine quomodolibet suspectos, aut culpabiles, dummodò ab eorum professorum, & Religiosorum Superioribus, vel Prȩlatis in causis huiusmodi præventi non fuissent, iuxta facultates Officij Inquisitionis ipsius pravitatis inquirere, & procedere, ac culpabiles, & delinquentes repertos, secundum Canonicas Sanctiones castigare, atque punire possent, & valerent, ac aliàs prout in litteris ipsius Pij Prædecessoris latiùs continetur.

§ 2. Cum autem rerum vsu compertum sit, occasione præventionũ huiusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominus causæ huiusmodi ea, qua decet diligentia, cognoscatur. Nos de consilio Venerabilium fratrum nostrorum

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum illa de medio tollere volentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione, hac nostra etiam perpetuò valitura Constitutione omnia, & quæcumque privilegia, indulta, facultates, & concessiones Generalibus, Superioribus, & Prælatis quorumcumque Ordinum, siue Mendicantium, siue Clericorum Regularium, cuiusvis Ordinis, & Instituti, etiam in dicta Constitutione non expressorum, & quamtumvis exemptorum, & quocumque nomine nuncupentur per dictum Pium, ac quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam concessa, approbata, & innovata, & quamtumvis etiam longissimo tempore observata, causas ad dictum Officium quovis modo spectantes, cognoscendi, & terminandi, seu in illis quoquo modo se intromittendi; quorum omnium; & singulorum thenores, etiam si de illis specialis, & expressa mentio habenda esset, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Apostolica auctoritate thenore præsentium perpetuò cassamus, revocamus, & abolemus, ipsisque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, vt de cætero quovis quæsito colore, vel prætextu prætensionis, vel consuetudinis, & præscriptionis immemorabilis, seu cognoscendi, an delationes huiusmodi calumniosæ sint, necne in eisdem causis tam motis, quam movendis, quoquo modo se intromittere, se immiscere, denunciationes recipere, testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere, definire, vel terminare minimè audeant, seu præsumant, simili auctoritate districtius inhibemus.

§. 3. Volentes, & expressè mandantes, vt ipsi Religiosi possint, & debeant omnes, etiam ordinum huiusmodi professores de hæresi suspectos, Inquisitoribus, vel Ordinarijs locorum viciniotibus liberè denunciare, absque eo, quod Superiores prædicti personas denunciandas, & causas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardare audeant, seu præsumant.

§. 4. Insuper omnes, & quascumque causas ad dictum officium

ficium quomodolibet spectantes,& pertinentes coram Generalibus,Superioribus,& Prælatis huiusmodi, in quibuscumque locis existentibus, ac contra quoscumque Religiosos, vt præfertur exemptos, motas, & pendentes, ad nos harum seriè avocamus,easque omnes in statu, & terminis, in quibus de præsenti reperiuntur,ipsius pravitatis Inquisitoribus,vel Ordinarijs locorum vicinioribus terminandas committimus.

§. 5. Præterea ipsis Generalibus, Superioribus, & Prælatis pari auctoritate præcipimus, atque mandamus, vt omnes processus, & acta, causarum huiusmodi Inquisitoribus, seu Ordinarijs prædictis respectivè remittant, & consignent, necnon Professores, Fratres, & Religiosos supradictos, quos hæresis labe infectos, vel suspectos, etiam in visitatione esse noverint absque alia consultatione cum proprijs Superioribus facienda eisdem Inquisitoribus, vel Ordinarijs locorum vicinioribus respectivè denuncient.

§. 6. Quod si Generales,alijque prædicti præsentibus litteris non paruerint eos omnes privationis quarumcumque Dignitatum, seu Prælaturarum, vel Officiorum suorum Ordinum,ac vocis activæ, & passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad easdem, necnon contra fautores Hæreticorum, & impeditores Officij statutas, & inflictas pœnas, aliasque censuras Ecclesiasticas, etiam excommunicationis maioris latæ sententiæ, à quo non nisi à Nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo, absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incurrisse.

§. 7. Necnon præsentes litteras, licèt Generales, Superiores, & Prælati prædicti, aut quicumque alij quavis auctoritate, dignitate, vel officio,seu honore fulgentes in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati non fuerint, semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac de omnibus inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes,

tes, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eius, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

§. 8. Non obstantibus prædicta, ac quibusvis alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinum, & Institutorum quorumcumque iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliqua roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam Mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, eorumque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, ac personis etiam per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Sedem prædictam, & per Nos quovis modo concessis, confirmatis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus, ac alijs omnibus, quæ præsentibus quomodolibet obstare possent, etiamsi de illis, eorumque totis thenoribus specialis, specifica, & expressa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum thenores, pro plenè, & sufficientèr præsentibus expressis, & totaliter insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxàt, & specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque.

§. 9. Vt autem præsentes litteræ ad omnium notitiam deducantur, nevè aliquis ignorantiam earum prætendere, aut contra eas se excusare valeat, illas in valuas Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, Basilicarum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac Acie Campi Floræ de more affigi, & publicari, earumque exempta inhibi affixa dimitti, ac post publicationem huiusmodi omnes, & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac si eorum cuilibet personalitèr intimatæ fuissent.

Quod-

§. 10. Quodque earum transumptis, etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra vbique gentium, & locorum adhiberi volumus, & mandamus, quæ eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ, & nihilominus, vt ad maiorem notitiam singulorum, & quorumcumque Religiosorum prædictorum præsentes deveniant, etiam volumus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus, & mandamus Generalibus, Superioribus, & Prælatis prædictis, vt in primis proximis futuris Capitulis, seu Congregationibus Provincialibus, vel Generalibus cuiuscumque Provinciæ, tam in Italia, quàm extra præsentes nostras litteras legi, & publicari faciant, & procurent.

§. 11. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1606. Kal. Septembris Pontificatus nostri anno 2.



PARS



PARS III.

DE CONFESSARIIS SOLICITANTIBVS:

Prooemium.



1 ROMISSI in hac tertia parte tractare de obligatione, quæ residet in Confessarijs monendi pœnitentes ab alijs solicitatos, vt denuncient Confessarios solicitantes, quia alio modo vix esset punibile hoc enorme crimen, cum secretò committatur; hoc enim præcipit Gregorius XV. vt constat ex illis verbis Bullæ: *Mandantibus omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab alijs, vt supra solicitatos moneāt de obligatione denunciandi solicitantes, seu vt præfertur tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinarijs prædictis, quòd si hoc officium prætermisserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios solicitantes, seu tractantes vt supra, ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores, illos pro modo culpæ punire non negligant.* Et etiam de pœnis, quibus Confessarij solicitantes puniuntur in Sancto Officio, & possunt puniri stando in rigore Bullæ. Vt autem claritate procedam, non solùm

de dictis agam, ſed etiam de omnibus connexis, & acceſſorijs cum ſupradictis pœnis, & ante omnia erit ſermo de punitione Confeſſarij non monentis, aut conſulentis fęminæ ſolicitatæ non teneri ad denunciandum. Pro quo ſit.

QVÆSTIO I.

An Tribunal Sancti Officij poſsit punire Confeſſarios non monentes de obligatione denunciandi.

§. I.

An obligetur Confeſſarius ſub mortali ad conſulendam denunciationem.

2 ANtequam ſit ſermo de punitione Confeſſarij non monentis denunciationem pœnitenti ſolicitato ab alio Confeſſario, oportet ſcire an hæc omiſsio monendi, vel conſilium ad omittendam denunciationem ſit peccatum læthale in Confeſſario, quia videtur hoc non eſſe clarum in Bulla Gregorij XV. nam ſolùm dicit: *Mandantes omnibus Confeſſarijs, vt ſuos pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab alijs ſolicitatos moneant de obligatione denunciandi ſolicitantes.*

3 Pro quo eſt ſupponendum 1. quòd in qualibet materia inducente obligationem denunciandi tenetur Confeſſarius monere pœnitentem de tali obligatione ex iure naturæ. Ita Eximius Doctor *tom. 4. in 3. p. diſp. 32. ſect. 6. ad fin.* Medina *de reſtit. quaſt 4. in fin.* Enriquez *lib. 6. cap. 14. num. 4.* Probatur: quilibet tenetur ex iure naturæ monere ignaros de ſua obligatione; ſed maior obligatio eſt in Confeſſario, ac in quolibet alio reſpectu pœnitentis: ergo ex iure naturæ tenetur illum monere de obligatione denunciandi, quæ obligatio non ſolùm habet locum reſpectu Confeſſarij, ſed etiam reſpectu cuiuſcumque, ſi audit aliquem pœnitentem ſolicitatum fuiſſe à Confeſſario.

4 Suppono 2. quòd taliter Confeſſarij ex verbis Bullæ Gre-

Gregorij XV. tenentur monere pœnitentes de obligatione denunciandi, quòd si pœnitentes denunciare renuant debent eis absolutionem denegare donec denuncient. Ita Enrriquez *lib 5. de Pœnitentia, cap. 10. §. 1 1 titter T.* Souza *de Confes. solicitant tract. 2 cap. 20 num. 5. &* *in Aphor lib. 1. cap. 34. num. 61.* Solùm enim est difficultas, an ex verbis Bullæ Gregorianæ teneantur Confessarij sub peccato mortali monere suos pœnitentes de obligatione denunciandi Confessarios solicitantes? Post dictam Bullam omnes tractantes de hac materia resolvunt pro parte affirmativa; cum quibus dico Confessarium virtute Bullæ Gregorianæ teneri sub gravi culpa monere pœnitentes solicitatos, vt denuncient Confessarios solicitantes. Ita Bonacina *tom. 1. disp. 6. de onere, & obligat denunt. punct. 3 num. 10* Peyrinis *tom 1. privileg. §. 8. num. 24* & citat Rodriguez *tom. 2. qq. regul. quæst. 27. art. 1.* & in summ *p 1. cap. 207. conclu. 1.* Acuñam *quæst. 21. num. 6.* Sancar. *cap 46. dub. vnic. num 10.*

5 Hæc conclusio varijs modis probatur ab Auctoribus, & 1. apponam rationem Bonacinæ satis efficacem, qui ex obligatione admonendi pœnitentem in Confessario, infert obligationem in pœnitente denunciandi Confessarium solicitantem; sed vt dixi in 1. *p.* ex vi Bullæ pœnitens solicitatus tenetur sub mortali denunciare Confessarium solicitantem: ergo etiam Confessarius sub mortali tenetur monere pœnitentem de obligatione denunciandi. Probatur consequentia: illud, quòd infert aliud, debet illud præcontinere; sed ex obligatione admonendi infertur obligatio denunciãdi sub mortali: ergo obligatio monendi in Confessario etiam erit sub mortali.

6 Probatur 2. conclusio: in Bulla Gregoriana in ordine ad Confessarios ponitur illud participium *Mandantes*, quòd sonat præceptum, vt constat *ex cap. ex his, de verb. significat. in 6.* & Clement. *Exivit de paradiso, de verb. signis.* Idem tenet Suarez *lib. 6 in Decal. cap. 4 num. 33.* Vazquez *1. 2. disp. 154. cap. 3. num. 22.* contra Emanuel Sà, *verb. lex, nu. 6.* & Azorium *tom.*

 1.

1.*instit.moral.lib.5.cap.6.quæst.5.* quia isti Auctores defensant, quòd verbum iubeo, vel mando non important præceptum sub peccato gravi; benè verò præcipio, & impero, & vt benè probat Thomas Sanchez ex sententia Vazquez, & Suarez; hoc verbum mando idem significat ac præcipio, & impero; sed hoc præceptum est in materia gravissima, vt constat ex ipsa Bulla, quia solicitatio est enorme sacrilegium, & generat suspicionem in fide: ergo tenentur Confessarij sub peccato mortali monere pœnitentes de obligatione denunciandi.

7 Probatur 3 ex eodem Thoma Sanchez loco citato *num.* 39. vbi dicit; standum esse in hac materia consuetudini regionis, & si de hac consuetudine non constat est attendendũ ad materiæ gravitatem; sed gravitas materiæ solicitationis est magna, siquidem multum ponderatur à Summis Pontificibus, & aliunde frequenter imponunt præceptum sub mortali hoc participio *Mandantes*: ergo vigore Bullæ Confessarius, qui non monet pœnitentem solicitatum de obligatione denunciandi peccat læthaliter. Præterea; quia independenter à Bulla tenetur Confessarius monere, nam ex suo officio est obligatus ad dirigendam conscientiam pœnitentis, vt benè dispositus recipiat pœnitentiam Sacramentalem.

8 Firmatur 4. assertum: certum est apud omnes, quòd tunc lex, vel præceptum obligat sub mortali, quando verba sufficienter exprimunt intentionem legislatoris esse inducere gravem obligationem; sed ex verbis Bullæ sufficienter colligitur, intentionem Summi Pontificis esse obligare Confessarios ad monendam denunciationem sub culpa gravi: ergo sub hac tenentur monere pœnitentes de obligatione denunciandi. Probatur minor; tunc colligitur, intentionem præcipientis esse obligare sub mortali, quando contra frangentes præceptum graves pœnæ fulminantur; constat enim ex præceptis Divinis statutis in sacris litteris, siquidem omnes Auctores dicunt esse peccatum mortale contra illa operare, quando contra sic operantes fulminantur graves pœnæ in sa-

cra Scriptura; sed Summus Pontifex declarat (vt constat ex illis verbis: *ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant*) quòd huiusmodi Confessarij puniantur per Ordinarios, & Inquisitores, quòd indicat magnam pœnam siquidem per illos puniuntur hæretici, & suspecti in fide: ergo ex verbis Bullę sufficienter colligitur intentionem Summi Pontificis fuisse obligare Confessarios ad monendam denunciationem sub peccato mortali.

9 Contra istam conclusionem non potest fieri instantia, quæ non sit soluta in 1. *p.* vbi egimus de obligatione denunciandi; nam sicut ibi discurritur de pœnitente solicitato, similiter in præsenti de confessario ad consulendam denunciationem discurrendum est. Solùm iterùm adverto, quòd Confessarius nullo modo potest absolvere fęminam ab alio solicitatam, dummodo prudenter non formet iudicium, quòd est parata ad denunciandum, & tunc propter aliquod impedimentum suspendit denunciationem, quia præter peccatum, quòd committeret contra præceptum Summi Pontificis, aliud gravius crimen perpetraret absolvendo pœnitentem indispositum.

10 Solùm enim hic se ofert aliquod dubium, scilicèt an regulares Confessarij possint absolvere mulieres, quæ in termino præfixo in Edicto non denunciarunt Confessarios solicitantes; ideoque sunt ligatæ excommunicatione posita à Tribunali? Homobonus *de exam. Eccles. tract. 7 cap. 7. quæst.* 35. respondet negativè, sed Portel. *in dub. regul. verb. solicitare, num.* 24. & Hieronimus Rodriguez *resol.* 131. *num.* 16. defensant sententiam affirmativam, dummodo fęmina parata sit denunciare Confessarium. Hoc enim vt dixi in 1. *p.* est adhibendum cum grano salis. Itaq; summopere mihi placet, quòd tenet noster Peyrinis *tom. 2. privileg. constit. 4 Gregorij XV. §. 8. num.* 24. *in fin.* vbi statuit, quòd si pœnitentes solicitati firmiter promittant denunciare, si adsit causa iudicio prudentis Confessarij ad differendam denunciationem possunt absolvi, vel casu, quo cæssaret causa denunciandi, quia Confessarius, qui

solicitavit obijt, quia si non est iusta causa, etiam si sit parata non debet absolvi, nisi prius denunciet.

11 Neque contra hoc valet si obijcias: nullum posse absolvi virtute alicuius privilegij à censura, nisi prius pars sit satisfacta: ergo etiam si femina solicitata sit parata ad denunciandum, si prius non denunciat, neque à Confessario regulari, neque ab alio privilegiato potest absolvi. Non valet, quia iam dixi in 1. p. quòd si adest iusta causa ad differendam denunciationem potest absolvi, si præstat captionem iuratoriam denunciandi, & hoc repeto, vt Confessarij non credant facilè feminis quæ omiserunt voluntariè denunciationem, & precipuè si in alijs occasionibus promiserunt denunciare ad obtinendam absolutionem; neque semper denegent absolutionem; quia si est iusta causa, vel quia est magnus Iubileus; vel tempus satisfaciendi annuæ communioni, & aliunde tam brevi tempore non potest commodè fieri denunciatio, vel quia distat Tribunal, aut Commissarius; dummodo sit parata potest illam absolvere, admodum quo est procedendum cum illo, qui voluntariè omisit restituere, & est paratus ad restituendum.

§ II.

Quæstioni satisfit.

12 VT ad quæstionem respondeam, cum distinctione est procedendum; duplex enim est solicitatio comprehensa in Bullis Pontificum, alia apperta, & clara, alia probabilis, illa dicitur clara, quæ apud omnes est casus Bullæ, illa probabilis, quæ secundùm graves Auctores comprehenditur in Bulla, quæstio enim de vtraque solicitatione procedit; quare duo inquiro, 1. an Confessarius non monens pœnitentem feminam de obligatione denunciandi Confessarium solicitantem clarè & appertè, vt v. g. solicitantem ad copulam in actu Sacramentalis confessionis possit puniri per DD. Inquisitores 2. an qui consulit non esse denunciandum, quia est oppinio probabilis, quòd illa solicitatio non est cō-

pre-

prehensa in Bulla, v. g. solicitatio facta extra occasionem confessionis in confessionali promiscuo, possit puniri per DD. Inquisitores, de 1. agam in hoc §. de 2. in sequenti.

13 Ante resolutionem noto 1. quòd præceptum Summi Pontificis solùm est contra Confessarios non monentes de obligatione denunciandi, quia præcipit vt moneant suos pœnitentes de hac obligatione, si autem Confessarius non solùm omitteret huiusmodi monitionem, sed doceret pœnitentes doctrinam oppositam dicendo, non esse obligationem denunciandi Confessarios solicitantes, contra illos absque dubio independenter à Bulla Gregoriana possent procedere DD. Inquisitores, tanquam contra docentes doctrinam erroneam, siquidem huiusmodi doctrina est contra Decreta Pontificia in materia morum.

14 Noto 2 iuxta dicta in quæstione de correctione fraterna, quòd si aliquis Confessarius pretextu correctionis fraternæ consuleret, quòd non fieret denunciatio solicitationis claræ, & appertę, etiam esset puniendus per DD. Inquisitores, quia ita disponitur in Decreto Alexandri VII. expedito die 8. Iulij anno 1660. de quo in quæstione de correctione fraterna; nam ibi loquitur Summus Po tifex de omnibus consulentibus non esse denunciandos, antę correctionem fraternam, suspectos in fide, contra quos procedit Decretum, & determinat Sacra Congregatio esse denunciandos, etiam non præmissa correctione fraterna omnes quomodolibet de fide, etiam leviter suspectos, & contra consulentes contrarium pœnas asignat præter contentas in Bulla Pauli V. scilicet privationem prælaturarum, officiorũ, vocis activę, & pasivę, perpetuę inhabilitatis ad eadem, cum autem solicitatio sit crimen ad minus generans suspicionem leviter in fide, si aliquis consuleret non esse obligationem denunciandi Confessarium clarè solicitantem pretextu correctionis fraternæ, dictis pœnis posset puniri per DD. Inquisitores.

15 Ex quibus constat resolutio 1 p quæstionis, & consequenter ad dicta defendo, quòd si Confessarius non moneret

de

de obligatione denunciandi pœnitentem solicitatum posset puniri per DD. Inquisitores. Probatur: nam Bulla Gregorij XV. loquendo de Confessarijs non monentibus solicitatos de obligatione denunciandi, dicit; quòd Ordinarij, & Inquisitores *pro modo culpæ punire non negligant*: ergo non solùm sunt puniendi per DD. Inquisitores qui consulunt prætextu correctionis fraternæ non teneri solicitatos denunciare Confessarios solicitantes, sed etiam qui voluntariè omittunt denunciationem.

16 Nec valet si dicas, quòd solùm possunt procedere ad punitionem DD. Inquisitores in causis fidei prout explicatur in ipsa Bulla loquendo de solicitantibus; sed Confessarius non monens de obligatione denunciandi nullo modo est suspectus in fide: ergo non potest puniri per DD. Inquisitores. Non enim valet, quia præterquam quòd dixi, quòd DD. Inquisitores possunt de delictis cognoscere, quæ nullam generant suspicionem in fide, quia sunt accessoria, vel ad probationem delicti, vel ad ipsum delictum, hoc non potest dubitari; cum expresse per Summum Pontificem detur facultas in dicta Bulla Inquisitoribus ad puniendos Confessarios, non monentes denunciare Confessarios solicitantes pro modo culpæ.

17 Sed vt principaliora verba Bullæ in hac materia calleas, inquiro, quid intelligatur per illa verba: *pro modo culpæ*, punire non negligant; quia vel crimen, quod affert pœnitens est solicitationis formalis, vel non? Si est solicitationis Confessarij, & non monet Confessarius, cum quo confitetur est puniendus per DD. Inquisitores pœnis secundùm styllum Tribunalis; si omissio monitionis de obligatione denunciandi non versatur circa solicitationem formalem nulla pœna est punibilis Confessarius non monens: ergo videtur quòd illa particula modificativa punitionis indicat, quòd in non monente est maior, vel minor culpa secundùm qualitatem solicitationis, de cuius denunciatione non monet pœnitentes; ac per consequens non monentibus correspondet in Sancto Officio maior, vel minor pœna.

Du-

18 Dupliciter enim potest satisfieri huic dubitationi: primò dicendo, quòd illa verba: *Pro modo culpæ punire non negligant* intelliguntur, quòd omittens monitionem graviùs, vel mitiùs puniatur secundum maiorem, vel minorem præsumptionem scientiç aut doli; si enim Confessarius non monens de obligatione denunciandi est satis versatus in materijs moralibus præsumitur, quòd in illo talis omissio fuit culpa gravis, quia non solùm Confessarius tenetur consultatus à pœnitente monere de obligatione denunciandi, sed quilibet alius, à quo petit consilium saltem ex lege charitatis. Ita Sanchez 1. *consil. moral. cap* 3. *dub*. 5. *num*. 2. Vazquez *in opuscul. cap*. 1. *de eleemosyna*, *dub* 4. *num*. 33. & alij quos citat Sanchez, & dum malè consulit ex culpa notabili, læthaliter peccat. Idem Sanchez loco citato *dub*. 6. Sylvester *verb. Culpa, num*. 6. & *verb. Restitutio*, *quæst*. 1. *num*. 3. Lęsius *de iustit. lib*. 2. *cap*. 13. *dub* 7 *num*. 21. Si autem sit ignarus, vel parum versatus in his materijs, cum non præsumatur tam vehementer talem omissionem consulendi denunciationem processisse ex culpa notabili, non est puniendus cum tanto rigore, quia in hoc leviter præsumitur fraus, & dolus.

19 Responderi potest secundo ad dubitationem, quòd sicut in casibus solicitationis comprehensis in Bulla datur inæqualitas, quia graviùs deliquit, qui solicitavit in actu Sacramentalis Confessionis, quam qui solùm prętextu, & occasione Confessionis, ita in omissione monendi solicitationis denunciationem graviùs deliquit, qui non monet denunciationem solicitationis in actu Sacramentalis Confessionis, quam Confessarius non monens denunciationem de crimine solicitationis patrato prætextu, & occasione confessionis; & sicut secundum mensuram culpæ graviùs punitur Confessarius solicitans in actu Sacramentalis Confessionis, quam qui solicitavit prætextu, & occasione confessionis: similiter maiori pœna punitur, qui non monuit denunciationem solicitationis in actu Sacramentalis confessionis, quam

qui omisit consilium de delatione huius criminis prætextu, & occasione confessionis.

20 Solùm adverto, ne fidant Confessarij ad consulendum in sua imperitia, quia licet verum sit, quòd in alijs cõsulentibus præsumptio ignorantiæ ad mitigandam culpam, & pœnam in foro exteriori habeat locum, non autem in Cõfessario, quia officium consulendi exercet, & qui tale officium exercet, etiam obligatur ad culpam levem; nam in foro exteriori reputatur, vt gravis, est textus sic communiter intellectus, *ex l. sicut certo* 5. §. *Nunc videndum* 2. *vers. Sed vbi vtriusque commodati*. Ita Ledesma *in Summ.* 2. *part. tract.* 8. *cap.* 26. *concl.* 3. Molina *de iustit. & iure tomo* 3. *tract.* 2. *disp.* 730. *num.* 2. Sicque vt Confessarij consulentes omissionem denunciationis non incidant in manus Sancti Officij videant, quomodo consulunt, quia allegatio ignorantię non prodest, sicut non prodesset in Adbocato in litte, quia ex officio non præsumitur.

§. III.

An Confessarius non monens pœnitentem de obligatione denunciandi ductus sententia probabili possit puniri in Sancto Officio?

21 ALiqua dixi de hac quæstione in proœmio, sed iterum ex professo est tractanda, & vt habeas in memoria, quæ dixi, recole, quòd sicut DD. Inquisitores non possunt punire Confessarios, quorum solicitationes solùm sunt comprehensæ in Bulla Gregoriana secundum opinionem tenuæ probabilitatis; ita neque Confessarius consultatus à pœnitente potest non monere delationem Confessarij solicitantis ductus opinione tenuę probabilitatis, & si hoc modo consuleret, posset puniri per DD. Inquisitores tanquam si non moneret de obligatione denunciandi. Quę doctrina est communis in omnibus materijs pertinentibus

ad

ad mores post damnationem Innocentij XI. vt constat ex 3. propositione damnata.

22 Ante resolutionem suppono, quod si opinio est solùm vnius Auctoris, & Confessarius secundum illam dat cōsilium ad omittendam denunciationem in Sancto Officio potest puniri per DD. Inquisitores, quia hęc opinio non habet probabilitatem, vt constat ex propositione 27. damnata ab Alexandro VII. nisi aliunde hęc propositio à nullo alio Auctore tractetur, & habeat sufficientem probabilitatem intrinsecam, vt sit certò probabilis.

23 Hoc supposito quòd inquiritur in præsenti est, an v.g. si fęmina solicitata in confessionali promiscuo confiteatur cum aliquo Confessario, & ab isto petat consilium de denunciatione, & ductus opinione certò probabili, dicat illum Confessarium non esse denunciandum, quia non dat consilium secundum opinionem, quam Sanctum Officium sequitur in praxi, si pervenit ad notitiam Tribunalis, huiusmodi Confessarius consulens possit puniri per DD. Inquisitores tanquam non monens de obligatione denunciandi Confessarium solicitantem?

24 Ad quęstionem respondeo, quòd si Confessarius in consulendo sequitur opinionem certò probabilem, etiam si in Sancto Officio non admittatur in praxi, quia stillus Inquisitionis est iudicare secundum contrariam opinionem, non est punibilis per DD. Inquisitores ex vi Bullę Gregorij XV. Hęc conclusio probatur primo: quia qui operatur sequendo sententiam certò probabilem ratione ducitur, & prudenter operatur. Ita D. Ioann. Escobar *part. 2 de Confess. solicitant. quæst. 2. §. 2. num. 14. & seqq.* Ioann. Sanchez *in select. disp. 44. num. 61. & 62.* Layman *tom. 1. tract. 1. cap. 5. § 2. num. 7.* Thomas Sanchez *in Decalog lib. 1. cap. 9. num. 7. & 10.* Bonacina *tom 2. disp. 2. de peccat. quæst 4. punct. 9. propos. vnic num 4.* Diana *2. part. tract. 13. de opinione probabili resol. 1.* Trullench *tom. 2 in Decal. lib 8. cap. 1. dub. 6. num. 1.* Castrus Palaus *tom. 1. disp. 2. de conscientia opinante, punct. 2.*

*num.*1. *& seqq.* & Diana loco citato, qui multoties observat numerum Auctorum, dicit: Quòd prẹter 17. Doctores quos citat,& sequitur Thomas Sanchez *in Summ.* loco iam citato vidit 16. Auctores idem affirmantes.

25 Hoc posito sic arguo: in nullo Tribunali potest puniri, qui non commissit aliquod crimen; sed qui consulit sequendo opinionem certò probabilem, nullum crimen committit: ergo si Confessarius non monet de obligatione denunciandi ductus opinione certò probabili, etiam si sit contra praxim Sancti Officij non est punibilis per DD. Inquisitores. Minor probatur: in moralibus,cum non habeamus evidentiam metaphisicam, sed solùm moralem, qui operatur ductus opinione certò probabili,absque temeritate,& cum omnimoda securitate operatur; sed qui prudenter,& absque temeritate operatur nullum crimen committit: ergo si Confessarius consulit sequendo opinionem certò probabilem,nullum crimen committit: ergo si non monet pœnitentem de obligatione denunciandi, ductus opinione certò probabili, non est punibilis vigore Bullæ Gregorij XV.

26 Probatur 2. qui operatur sequendo opinionem aliorum,relicta probabiliori propria, prudenter, & sine culpa operatur,ita Castrus Palaus loco citato *num.*2. & citat pro hac sententia Valentiam,Salas,Petrum Navarrum, Sayrum, Thomam Sanch. Ioann.Sanch. & novissimè illam tenet Pater Moya *in select. tom.*1. *tract.*1. *de opinione probabili quæst.* 6. §.2. *&* 3. & citat pro ea prẹter antiquos Auctores plusquam viginti ex modernis: ergo multò meliùs operatur prudenter,& sine culpa Confessarius,qui sequendo propriam opinionem, quam tenent plures Auctores classici, consulit Confessarium solicitantem non esse denunciandum, quia secundum sententiam certò probabilem,solicitatio consultata non est comprehensa in Bulla Gregorij XV.

27 Probatur 3. hęc conclusio; quia nemo potest puniri si in rebus moralibus operatur,ad modum quo Summi Ponti-

ti-

tifices procedunt indiſpenſationibu ,& alijs rebus; ſed Summus Põtifex multotiès operatur ſequendo opinionem certò probabilem; & ideo Magiſter Acazius de Velaſco Epiſcopus Oriolenſis *tom.2.verb. Opinion probable,reſol 316. num.7.* poſt quam dixit eſſe licitum, & ſecurum in conſcientia ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori, hęc habet: *Pruebaſe tambien, porque vemos, que los Sumos Pontifices en las coſas de la Igleſia, que no eſtàn determinadas, y definidas, ſino debaxo de opinion de Doctores, ſiguen las opiniones probables, y no ſiempre las mas probables*: ergo dum modo Confeſſarius ſequatur opinionem certò probabilem,quamvis ſit contra ſtillum Tribunalis Sancti Officij non poteſt puniri per DD. Inquiſitores.

28 Probatur 4. concluſio: omnia Tribunalia ſęcularia, & Eccleſiaſtica, inter quæ Sanctum Officium, in rebus dubijs operãtur ſequendo opinionem probabilem, & multotiès minus probabilem,& ſecundum eam Conſilium Supremum Sanctę Inquiſitionis multotièsremittit deciſiones obſervandas in omnibus Tribunalibus,quia ſic expedit,& prudentiſſimè operatur: ergo idem judicium debet fieri de Cõfeſſario conſulente,ſi non monet dę obligatione denunciãdi ſecundum opinionem certò probabilem, etiam ſi contrariam ſequatur Tribunal Sanctę Inquiſitionis.

29 Sed quid faciet Confeſſarius, quando eſt magnum dubium, an ſolicitatio ſit comprehenſa in Bulla, vel non? Hoc enim multotiès contingit, quia talibus circunſtantijs evenit caſus, quòd illo modo non reperitur in Auctoribus. Meo videri in hoc caſu duo debet facere Confeſſarius: Primo legat Auctores claſicos, qui loquuntur ex profeſso de hac materia,& fortè hac diligentia inveniet caſum ſimilem, & ſi penſatis omnibus in ſubſtantia,vel in eſſentialibus non ſit diſimilaris,ſecũdum reſolutionem illius hunc reſolvet. Secundo, ſi non habeat animum tranquilum, nec poteſt cum ſufficienti fundamento adhuc caſum reſolvere conſultet cum ſapientibus, & verſatis, non ſolùm in materijs mo-

ra-

ralibus, sed in rebus pertinentibus ad Tribunal Inquisitionis.

30 Vt autem in hac materia, & in alijs moralibus rectè procedas non possum omittere, quæ tradit Pater Moya *in select. tom. 1. tract. 1. quæst. 4.* §. 5. vbi interrogat, qui Doctores consulendi sunt, quia multotiès eligunt seculares ad casus difficiles consulendos pro securitate suæ conscientiæ in doctos, & minimè versatos in rebus moralibus. Pro quo observat primo ex Magistro Victoria, quòd in rebus dubijs quilibet tenetur consultare illis, ad quos spectat docere illam doctrinam, aliàs non est tutus in conscientia. Secundo inquirit, qui sunt hi sapientes, cum quibus debent consultari res dubiæ pertinentes ad mores? Respondet hanc determinationem non spectare ad Iurisconsultos, vel saltem non ad illos solos. Tertio ex Theologis, qui consulendi sint? Respōdet debere cōsultari cum Theologo docto, in quo sit æqualitas, aut maior doctrina in Theologia morali.

31 Postea dicit addidi doctum in Theologia morali; nam scio frequentissimè evenire, vt magni nominis concionator magnæ doctrinę reputetur, & sine difficultate ad eum, tamquā ad doctissimum Confessarium recurratur, tamen ille in re morali, ac casibus conscientiæ re vera est indoctus, vnde seculares falluntur putantes se doctissimum habere Confessarium. Nec vir doctus in Theologia Scholastica sufficit; frequenter enim agnoscimus nonnullos in speculativa peritos, ieiunos tamen esse de conscientiæ casibus; omnia ista docet Pater Moya, & ego addo, quòd in rebus dubijs de materijs pertinentibus ad Sanctum Officium multotiès etiam Theologi versati in rebus moralibus sunt indocti, quia de his materijs non curant; itaque ad decissionem casus dubij ad viros doctos versatos in rebus Inquisitionis recurrendum est.

32 Sed quid faciendum si postquam casus est consultatus cum Theologis versatis in materijs Inquisitionis semper perseverat dubium practicum, an sit Confessarius denunciandus

dus vigore Bullæ Gregorij XV? Tunc enim in dubio est consulenda denunciatio; quia ad Sanctum Officium pertinet examinare, an solicitatio sit comprehēsa in Bulla Gregorij XV. vel non, & in præsenti casu, vt supponitur, non potest deponi dubium practicum, cum quo non licet operari. Præterea, quia vt dixi, cognoscere de solicitatione dubia pertinet ad Sanctum Officium: ergo Confessarius in his angustijs debet monere pœnitentem de obligatione denunciandi, & si contrarium facit DD. Inquisitores contra illum procedere possunt.

33 Sed si in consilio quatuor Doctores versati in materijs Inquisitionis conveniant in eo quòd huiusmodi Confessarius est denunciandus, & tres discordent, est ne consulenda denunciatio? Ad hoc cum distinctione respondendum est; si enim quatuor sunt equaliter docti cum tribus, qui stant pro sententia affirmativa, etiam si Confessarius non consulat denunciationem, non potest puniri per Sanctum Officium, quia sequitur opinionem probabilem, ac per consequens prudenter operatur; si verò non solum tres, sed tantum duo, qui tenent sententiam faventem Confessario solicitanti sint doctiores in materijs Tribunalis, neque in hoc casu est consulenda denunciatio, quia vt dicit Sylvester, *verb. Opinio*: sanior pars, quamvis minor sequenda est, vt constat ex *l. 1. cap. de veter. iur. enucl.* vbi dicitur: *Sed neque ex multitudine Auctorum, quòd meliùs, & equiùs est iudicatur, cum possit vnius, & fortè deterioris sententia, multos in aliqua parte superare.* Et si è contra duo consulerent esse Confessarium denunciandum, si sint doctiores, & magis versati, quam 6. Consilium eorum est sequendum, relictis sex, & ita observatur in Tribunali Inquisitionis.

****

§. IIII.

§. IIII.
Argumenta, & corollaria.

34 ARgues 1. etiam ſi ſit ſententia favens Confeſſario ſolicitanti probabilior, ſi ſtillus Tribunalis fundatur in contraria, Confeſſarius eſt punibilis per DD. Inquiſitores, vt dixi in quæſtione proœmiali: ergo quamvis non monens de obligatione denunciandi fundetur in opinione certò probabili, ſi praxis Sancti Officij fundatur in contraria docente illud crimen eſſe ſolicitationem comprehenſam in Bulla, Confeſſarius non monens poteſt puniri per DD. Inquiſitores. Probatur conſequentia: ſicut virtute Bullæ (licèt diverſis pœnis) Confeſſarius ſolicitans per Sanctum Officium eſt puniendus, ita Confeſſarius non monens pœnitentē de obligatione denunciandi; ſed quamvis ſit ſententia probabilis, quòd ſolicitatio Confeſſarij non eſt comprehenſa in Bulla, ſi ſtillus Tribunalis fundatur in ſententia contraria affirmativa punibilis eſt: ergo quamvis detur ſententia favens Confeſſario non monenti de obligatione denunciandi, ſi praxis Inquiſitionis fundatur in contraria poteſt puniri in Sancto Officio.

35 Reſpondetur negando conſequentiam, & ad probationem nego ly *ſicut*, quia etiam ſi pro Confeſſario ſolicitante ſit ſententia probabilis non eſt circa factum, ſed circa iuriſdictionem, quia illa ſententia ſupponit delictum patratum, & ſolùm eſt difficultas; an illud virtute Bullæ ſit punibile per DD. Inquiſitores, & quamvis ſententia negativa habeat probabilitatem, ſi ſtillus Tribunalis fundatur in affirmativa, rectè operātur Inquiſitores cognoſcendo de illo delicto; at verò cum Confeſſarius conſulens non moneat de obligatione denunciandi, quia eſt ſententia certò probabilis, quòd illa ſolicitatio conſultata non eſt comprehenſa in Bulla, nullum delictum committit; nam qui ſic operatur prudenter, & virtuosè operatur, ideòque licèt

consilium sit contra sententiam Tribunalis, Confessarius nõ monens non est punibilis.

36 Replicabis: stat benè, quòd Confessarius nullum delictum committat, & si dat consilium contra stillum Inquisitionis, sit punibilis per DD. Inquisitores: ergo nostra responsio non subsistit. Probatur antecedens: stat benè, quòd aliquis puniatur per DD. Inquisitores, vt graviter delinquens contra Bullam, & quòd secundum sententiam probabilem solùm levitèr peccet: ergo etiam componitur, quòd Confessarius consulens nullum delictum committat, quia sequitur opinionẽ certò probabilem, & sit punibilis in Sancto Officio, quia consilium est contra praxim Inquisitionis. Antecedens probatur: est sententia probabilis, quòd non est denunciabilis Confessarius laudans pulchritudinem, & venustatem feminæ pœnitentis, quia hoc est culpa levis secundum sententiam probabilem, sed quia hæc sententia est contra praxim Tribunalis, huiusmodi Confessarius graviter reprehenditur in Sancto Officio: ergo stat benè quòd aliquis graviter puniatur vt solicitans, qui secundum sententiam probabilem leviter deliquit: ergo benè componitur, quòd Confessarius non monens pœnitentẽ de obligatione denunciandi nullum crimen committat, & puniatur in S. Officio si operatur contra stillum Tribunalis.

37 Respondetur negando antecedens; ad probationem illius dico, quòd sententia docens, quòd in rebus veneris datur parvitas materiæ, hodie ad summũ potest esse tenuæ probabilitatis, de quo latè in 2. p. sicq; benè stat, quòd Cõfessarius sequatur hanc opinionem de parvitate materiæ, & graviter delinquat, quia post damnationem Innocentij XI. vt constat ex 3. propositione, opinio tenuæ probabilitatis non potest reduci ad praxim, & in hoc casu eodem modo est procedendum cum Confessario consulente, quia si iste non moneret penitentem de obligatione denunciandi fillus in opinione tenuæ probabilitatis graviter delinqueret, & esset denunciandus, vt comprehensus in Bulla Gregoriana.

38 Maximoperè desidero, quod Confessarij non solùm cum puritate administrent Sacramentum Pœnitentiæ; sed etiam quòd consulant de obligatione denunciandi, quando alio modo pœnitens non exonerat suam conscientiam; vt autem hoc vltimum rectè operentur, habeant præ oculis, vt semper moneant sequendo opinionem certò probabilem, sivè sit in favorem Confessarij solicitantis, sivè praxis Tribunalis; nam si sequntur opinionē tenuæ probabilitatis cum peccato gravi operantur, & possunt puniri per DD. Inquisitores. Sed hic opus, & labor; quomodo Confessarius cognoscet, quòd sententia favens Confessario est tenuæ probabilitatis? Varia dixerunt Auctores, qui explanarunt propositiones damnatas, & præcipuè Reverendissimus Lumbier, qui in hac materia plus omnibus laboravit, vtpotè primus in hac nova Theologia morali, & Pater Cardenas in suis dissertationibus, & videtur ambos circa 3. propositionem convenire in substantia, & solùm differre in terminis.

39 Reverendissimus Lumbier dixit, quòd omnes opiniones, quæ sunt probabiliter probabiles sunt tenuæ probabilitatis. Ita *in observatione 5. circa 3. propositionem damnatam ab Innocentio XI. num.* 110. at verò Doctus Cardenas super eandem propositionem statuit: illam opinionem esse iudicandam tenuæ probabilitatis, de cuius probabilitate Auctores clasici dubitant. Meo videri idem dicit Magister Lumbier, quia loco citato asserit, quòd illa sententia est certò probabilis, quæ non est notata vt improbabilis à viris doctis, & passionis expertibus: ergo secundum sententiam Patris Cardenas, sentētia probabiliter probabilis est tenuæ probabilitatis, siquidem ideo dicitur probabiliter probabilis, quia graves Auctores iudicant esse improbabilem.

40 Ex quibus deduco primam regulam: illa sententia non potest sequi in hac materia, quæ à viris doctis expertibus passionis, vt improbabilis iudicatur. Dico expertibus passionis, quia vt optimè Lumbier loco citato, si intervenit conten-

tentio aliqua, vel scholæ, vel alterius emolumenti, cùm viri etiam docti non præsumãtur expertes passionis, quamvis cõtrariam sententiam iudicent improbabilẽ, non ideo vt talis est iudicanda. Quare si ex Auctoribus clasicis sint tantum tres, vel quatuor, qui iudicent aliquam sententiam esse improbabilem, si alij etiam contrarij non apponant talem notã, nõ ideo illa sententia est iudicanda tenuæ probabilitatis; dum mòdo non convincant esse improbabilem, quia in hoc casu vnus sufficit. Si autem tres, vel quatuor essent ex Choripheis Theologiæ moralis, vt Eximius Suarez, Sotus, aut Cayetanus, in hoc casu iudico minorem numerum sufficere, quia vnus ex his plus præponderat, quam duodecim ex alijs; vtpotè doctissimi, & expertes omnino passionis.

41 Etiam est tenenda illa opinio vt tenuæ probabilitatis, quando in aliqua doctissima Religione post maturam, & longam disputationem Theologorum præcipitur, quòd non reducatur ad praxim, vt fuit factum in gravissima, & doctissima Religione Societatis Iesu circa parvitatem materiæ in rebus venereis, vt constat *ex 1. quæst. 2. part.* Dicitur etiam sententia tenuæ probabilitatis, si per Tribunal Sanctę Inquisitionis post consultationem Theologorum vt in probabilis censuretur; tunc enim licèt non amittat totalem probabilitatem, quia solùm in Summo Pontifice residet potestas damnandi opiniones, quæ inter Catholicos controvertuntur, iam per declarationem Tribunalis illa sententia non potest esse certò probabilis, quia viri docti expertes passionis iudicant esse improbabilem, & ad minus in praxi debemus stare ad declarationem Tribunalis, quia ad hoc pertinet iudicare de valore propositionum.

42 Vt autem cognoscas an propositio sit certò probabilis vide aliquos Auctores clasicos, qui ex professo tractarunt de illa materia, & si rationes sunt sufficientes ad formandum iudicium moraliter certum de rectitudine operationis, illa sententia est certò probabilis, quia vt idem Magister Lumbier, habes certitudinem subiectivã, quæ sufficiens est

ad constituendam illam sententiam certò probabilem, licèt aliqui Auctores teneant improbabilem esse, quod se tenet ex parte improbabilitatis obiectivæ, cum qua rectè componitur certitudo subiectiva.

43 Argues 2. cōtra dicta in quæstionis resolutione, & in in hoc §. Confessarius qui non monet de obligatione denunciandi prætextu correctionis fraternæ potest puniri per DD. Inquisitores, sed huiusmodi Confessarius sequitur opinionem certò probabilem: ergo etiam si sit sententia probabilis deobligans ab onere monendi denunciationem, si practica Tribunalis sequitur contrariam sententiam, Confessarius non monens potest puniri. Probatur minor, vt constat ex dictis, illa sententia dicitur certò probabilis, quæ docetur à Doctoribus clasicis expertibus pasfionis, licèt vnus, vel alter eam iudicet improbabilem; sed huius conditionis est sententia defensans esse præmittendam correctionem fraternam ante denunciationem, & vix est Doctor clasicus, qui iudicet illam improbabilem: ergo Confessarius non monens huiusmodi denunciationem sequitur opinionem certò probabilem, hoc non obstanti est punibilis per Sanctum Officium: ergo Confessarius non monens de obligatione denunciandi ductus opinione certò probabili potest puniri per DD. Inquisitores, si opinio est cōtra stillum Tribunalis.

44 Meo videri non rectè resolvit hanc difficultatem Thomas Hurtado, qui acritèr patrocinatur sententiam defensantem correctionem fraternā in crimine solicitationis; siquidē admisso, quòd sit certò probalis sententia defensans correctionem fraternā, respondet DD. Inquisitores rectè procedere, si puniāt Confessarios non monentes de obligatione denunciandi prætextu correctionis fraternæ, si est firma spes emendationis, quia Inquisitores præsumunt non adesse firmam spem de emendatione Confessarij solicitantis, citat Duvalium 2. 2. *tract. de correct. frat. quæst. 9. art. 5.* Nescio quomodo potest dicere, quòd sententia de correctione fra-

terna in hoc delicto sit certo probabilis,& operando secundum illam,quòd Confessarius non monens potest puniri per DD.Inquisitores,cũ supposita hac probabilitate Cõfessari⁹ non monens nullum peccatum cõmittat; aliud est in Cõfessario solicitante, quia in isto supponitur delictum punibile.

45 Quare respondeo negando hodie sententiã de præmittenda correctione fraterna ante denunciationem in hoc delicto,& in alijs generantibus suspicionem in fide posse reduci ad praxim, quia est improbabilis ex vi Decreti Alexandri VII. positi in quæstione de correctione fraterna; & indepenter ab isto decreto ad summum est tenuæ probabilitatis,quia in ædicto DD.Inquisitorum clarè prohibetur, si quidem dicitur in eo;quòd fęmina solicitata denunciet, *sin comunicarlo con persona alguna.* Ex quo inferunt Auctores, quòd ad summum per hęc verba non prohibetur communicatio delicti solicitationis cum aliquo viro docto experto in his materijs ad capiendum consilium de modo, quo debet fieri denunciatio.

46 Ex quibus infero 1. Confessarium consulentem rectè procedere,si non monet denunciationem,etiam si secundum sententiam probabiliorem Confessarius solicitans sit denunciandus, si in favorem Confessarij solicitantis sit opinio certò probabilis, quia sequendo hanc opinionem, Confessarius consulens manet à peccato immunis, etiam si contraria sit probabilior sic Castrus Palaus *tom.1. disp. 2. de conscient. opinant. punct.4. num.2. & 10.* Diana *2.part. tract.13. resol. 11.* Ioann.Sanchez *in select. disp.33. num.54. & disp.44. num. 35.* Suarez *in 3. part. tom.4. disp 32. sect.5. num.4.* Valencia *tom.3. disp.5 quæst.7. punct.4 in fin.* Thomas Sanchez *in Summ. tom. 1. cap. 9. num. 28. & seqq* Bonacina *tom. 2. disp 2. de peccat. quæst.4 punct 9. & disp.5. de pœnit. quæst.7. punct.4. §.2. num.26. & 27* & ferè est communis hæc sententia in omnibus materijs moralibus excepto in administratione Sacramentorum.

47 Infero 2. rectè procedere Confessarium consulentem,

tem, etiam si non moneat de obligatione denunciandi contra propriam sententiam, dum modo contraria sit certò probabilis, quia etiam si relinquat propriam opinionem, & cōtrariã amplectatur prudenter operatur, & ratione dirigitur, ita Vazquez 1. 2 *tom.1. disp.62. num.47. & disp.63. num.14.* Bonacina loco citato *num.4. vers. Hanc propositionem, & numer 6.* Thomas Sanchez *tom.1. Summ. cap.9. num.19.* Villalobos *tom.1. tract.1. difficul 12. num.2.* Sayrus *lib.1. cap 6. numer.11.* Diana 2. *part. tract 13. de opinione probabili, resol.14.* qui citat, vt assolet plures Auctores.

48 Infero 3. Confessarium consulentem posse non monere pœnitentem de obligatione denunciandi sequendo opinionem certò probabilem, etiam si contraria sit securior, & magis probabilis, & Confessarius hanc sequatur. Ita tenet CastrusPalaus loco citato *punct.2.* qui citat *num.2.* Valentiam 1. 2. *disp.2. quæst.14. part 4.* Vazquez *disp 62. cap.4. & seqq.* Salas *tract.8. disp. vnic. sect.6. num.66. vers. Hæc opinio.* Petrum Navarrum *lib.3. de restit. cap.1. dub.13. num. 237. in nova edit.* Navarrum *cap. 27. num. 280. & 288.* Sayrum *in Clavi Regia lib.1. cap 5. num.4. & 8.* Thomam Sanchez *lib. 1. in Decal. cap.9. num.14.* Ioann. Sanchez *disp. 42. num. 12.* rationem assignat, quia Confessarius taliter operans prudenter operatur, siquidem ducitur ratione, & potest formare iudicium moraliter certum de rectitudine operationis: ergo similiter Confessarius qui non monet pœnitentē de obligatione denunciandi sequendo opinionem minus probabilem, & tutam rectè operatur.

49 Contra hoc argunt contrarij qui sequitur opinionem minus probabilem, & tutam relicta probabiliori, & tutiori exponitur periculo errandi, & malè operandi, quòd est punibile; ergo si Confessarius non monet pœnitentē de obligatione denunciandi, sequendo opinionem minus probabilem, & tutam, potest puniri per DD. Inquisitores. Dupliciter potest responderi ad hanc instantiam, & semper negando antecedens, quia qui sequitur opinionem certò probabilem

lem

lem nunquam exponitur periculo malè operandi. Primo, quia, vt tenet communior ſententia, qui operatur ſequendo opinionem certò probabilem, cum poſſit formare iudicium moraliter certum de rectitudine operationis tutò operatur, & vt aliquis non ſe exponat periculo malè operandi ſufficit, quòd eligat, quòd eſt tutum, & nequaquam requiritur, quòd tutius eligat.

50 2. iuxta ſententiam Ioann. Sanchez *diſp.* 44. *num.* 66. eſt negandum ſuppoſitum antecedentis, nempè quòd inter opiniones probabiles, vna formaliter ſit ſecurior alia (quod intelligo de opinionibus certò probabilibus) quia ſecuritas opinionum in eo ſita eſt, quòd operans ex illa nullo modo Deum offendat, & cum hoc verificetur, ex eo quòd quis operetur ex ſentẽtia certò probabili pręter adminiſtrationem Sacramentorum; hinc fit, quòd etiam ſi Confeſſarius non moneat pœnitentẽ de obligatione denunciandi, non ſolùm ſequẽdo opinionem minus probabilem, ſed etiam minus ſecuram, rectè operatur; quia hæc maior ſecuritas ſolùm eſt materialis, non autem formalis.

51 Suppoſito, quòd Confeſſarius non monens pœnitentẽ de obligatione denunciandi ſit puniendus per DD. Inquiſitores, quia in Bulla Gregorij XV. dicitur: *Pro modo culpæ puniantur*, reſtat ſcire quibus pœnis ſint puniendi Confeſſarij non monentes, quia in Bulla non aſſignatur aliqua pœna? Communiter tenent Auctores practici in materijs Inquiſitionis, quòd huiuſmodi Confeſſarij non monentes puniuntur in Tribunali pœna arbitraria attendendo ad qualitatem delicti; quia hic modus procedendi contra huiuſmodi Confeſſarios conceditur Tribunali à Gregorio XV. vt conſtat ex verbis relatis. Ita Souſa *in annotat. num.* 27. *& in Aphor. lib.* 1. *cap.* 34. *n.* 73. Diana 4. *part. tract.* 7. *reſol* 7. *verſ. Nota etiam.*

52 Licèt enim hoc verum teneat ex vi Bullæ Gregorij XV. tamen hodie ex decreto Alexandri VII. iam Confeſſarij non monentes habent taxatas aliquas pœnas, ſiquidem

vt

vt ex decreto huius constat, quod retuli de verbo ad verbum in quæstione de correctione fraterna non præmittenda 1. part. si aliquis Confessarius retrahit, vel retardat à denunciatione, vel propter correctionem fraternam, vel alio prætextu, præter pœnas positas in Constitutione Pauli V. si fuerit Prælatus ipso facto maneat privatus prælaturarum, seu officiorum suorum ordinum.& vocis activæ, & passivæ, & perpetuæ habilitatis ad officia eadem; istæ enim pœnæ sunt contra regulares; quare si Confessarij non monentes sęculares fuerint ad prudentiam DD. Inquisitorum relinquitur, vt loco harum pœnarum alias substituant, & rectè procedent, si vltra has pœnas privaverint prædictos Confessarios ab audiendis confessionibus, siquidem sunt mali administratores Sacramenti Pœnitentiæ.

QVÆSTIO II.

Vtrùm vnius testis depositio sufficiens sit, vt DD. Inquisitores procedant contra Confessarium solicitantem.

53 PRomissi in hac 3. *part. tractare* 2. loco de pœnis, quibus puniuntur in Sancto Officio Cōfessarij solicitantes; sed quia antequam fulminentur pœnæ plura fiunt in Tribunali, siquidem per fęminam solicitatam denunciatur Confessarius, Promotor Fiscalis denunciantes ad formandam causam adducit in testes, proceditur ad capturam, posteaque sententia differtur vsque dum ratificentur testes, audiatur reus, concedatur tempus, & Advocatus ad suas defensiones allegandas, quibus finitis, ad pronunciādam sententiam regulariter concurrunt DD. Inquisitores, Ordinarius, & Consultor Sancti Officij, & postea ad Supremum Senatum sententia mittitur, ex quo iterum remittitur ad idem Tribunal, & modo quo remittitur executioni mandatur subscripta per DD. Inquisitores, Ordinarium, & Secretarium secreti; ideòque vt de omnibus in particulari aliqua dicam primo præmitto hanc quæstionem, & sequentem, vt omnibus constet ęquitas, iustificatio, & benignitas Sancti Officij; pro quo sit.

§. I.

§. I.

Pro responsione quæstionis varia dilucidantur.

54 SVppono 1. ex praxi Sancti Officij fundata in Bulla Gregorij XV. siquidem dicitur in illa, quòd Inquisitores, & Ordinarij procedāt in crimine solicitationis *prout in causis fidei*, quòd denunciator potest esse testis, quia hoc delictum est difficilis probationis, & licèt in alijs delictis particularibus, eadem persona non possit esse testis, & denunciator; benè verò in causis fidei; constat ex *cap. in omni negotio de testibus*, vbi dicit Summus Pontifex, *Quòd denuncians veritatem sibi notam habendus est pro teste*. Ita Barbosa *ad hoc caput num.* 67. Noster Trimarch. *disp. vlt. sect.* 6. Sotus *de tegendis secretis, memb.* 2. *part.* 4. *concl.* 8. *vers. Dubium secundum*, & est communis. Ratio huius suppositionis est, quia ex eo in alijs materijs denunciator testis esse nequit, quia denunciatio frequenter, vel est in causa propria denunciantis, vel amici, vel consanguinei; sed in crimine solicitationis denunciatio non est in causa propria denunciantis, sed Ecclesiæ, cui interest, & bono publico fidelium: ergo denunciator est habendus pro teste, si aliàs non sit suspectus, vel inhabilis.

55 Suppono 2. quòd in hoc crimine solicitationis, & in alijs causis fidei admittuntur in testes omnes, præter inimicos capitales, vt excommunicati, criminosi, infames, socij criminū, periurus, Iudeus, Hereticus, domistici, familiares, consanguinei, mulieres, minores quatuordecim annorum, pauperes, expurei, &c. hoc intelligitur contra reum hęreticum, vel de hęresi suspectum; nam in favorem illius non sunt admittendi. Ita Diana 4. *part. tract.* 8. *resol.* 57. & vt assolet citat Auctores practicos, sed nullus istorum facit integrum testem, quia omnes habent exceptionem, & idem Diana loco citato *resol.* 124. *vers. Non desinam*, dicit, quòd

contra testes in causis fidei non admittuntur exceptiones, nisi tales sint, quæ illos totaliter repelãt, vt inimicitiæ capitales, coniurationes, subornationes, & alia eiusdem generis.

56 Omnes supradicti, & mutus, & Surdus admittuntur in causis fidei, sed cum sua exceptione, & inhabilitate, à qua in nulla causa liberantur; solùm enim meo videri pauper, & criminosus in aliquo genere criminis possunt esse testes integri, vel omni exceptione maiores, quia optimè componitur, quòd aliquis, v.g. sit pauper, & timoratæ conscientiæ, taliter quòd prius moriatur, quam periurium cõmittat, & etiam quòd aliquis sit maximè deditus ad libidinem, vel ad aliud genus criminis, & in veritate dicenda æquet alios veridicos; nam videmus, quòd sunt aliqui homines criminosi, & puntualissimi in iuramentis.

57 Suppono 3. quòd DD. Inquisitores diligenter duo considerant ante incarcerationem Confessarij, scilicèt qualitatem feminarum denunciatium, nempè an sint probatæ vitæ, an meretrices; nam illis faciliùs creditur, hisce difficiliùs, quare de omnibus debent recipere denunciationem, sed non ideò statim vocantur Confessarij, aut incarcerantur, quia sola incarceratio in Sancto Officio est maximè denigrativa. Etiam cum depositione feminarum præponderant moralitatem Confessarij, an sit deditus peccatis carnalibus, & de hoc extraiudicialiter informantur; nã si sit maximè deditus libidini faciliùs contra illum proceditur; sed meo videri non est recurrendum, vt DD. Inquisitores forment iudicium de præsumptione, ad tempus antiquum Confessarij; sed ad illud in quo denunciatur de illo crimine, vel paulò ante, vel post, quia benè componitur, quòd alio tempore fuerit in hac materia perditæ vitæ, & in præsenti per actus contrarios virtutis habeat famam probatæ vitæ, ad quem est attendendum secundum illud: *Talem te invenio, talem te iudico.*

58 Circa feminas malæ famæ, etiam præ oculis est habendum, an comparuerint in Sancto Officio spontè, quia in

hoc

hoc eventu minùs probant, aut compareant coactæ à Confessario, præcipuè ex confessione generali, quia in ea Confessarius noluit illas absolvere, nisi prius deferant delationem ad Sanctum Officium; in hoc enim casu præsumitur verum deponere, & quòd illud dicunt ad exonerandam suam conscientiam, & non suassione hominis; & etiam debet attendi, etiam si illæ fęminæ fuissent meretrices, si tunc sunt paratæ, & dispositæ ad pœnitentiam, aut si iam sunt honestæ; in hoc enim eventu præsumitur dicere verum, quia ex vna parte meliùs præsumitur solicitatio Confessarij cum hoc genere fęminarum, quia in Confessione cognovit earum fragilitatem, & ex alia parte, illa fęmina per pœnitentiam purgavit malam opinionem antiquam.

59 Vt autem cum omni integritate, & iustificatione procedant DD. Inquisitores, sicut assolent, habent aliqua interrogatoria in hoc eventu versantia circa alia motiva denunciandi Confessarium solicitantem, quia multotiès contingit, vel quòd fęminæ recurrant ad Sanctum Officium ad infamandum Confessarium, vel quia denegavit illis absolutionem, vel quia cum eis habuerunt amicitiam inhonestam, & cessarunt ducti pœnitentia, & timore Dei, & fęminæ non habent ex eis assistentiam solitam ad vitam sustentandam, vel quia illas fęminas reliquerunt, vt alias communicarent; in omnibus his eventibus habemus exemplaria; vel potest esse, quia Confessarius cum aliqua fęmina habuit aliquas rixas, aut contentiones, & ei dixit aliqua verba iniuriosa in primo motu iræ. Possum enim attestare hunc casum accidisse in quodam opido huius Regni, vbi vix est notitia Inquisitionis, in quo quædam fęmina habuit cum Confessario aliquas rixas, & contentiones, & postea inter confitendum dixit alteri Confessario, illam fuisse solicitatam verbis, & factis inhonestis in actu Sacramentalis confessionis à dicto primo Confessario; Confessarius consulens ponderavit obligationē denunciādi fęminæ, & si in rei veritate illud delictum non fuit patratum ab alio Confessario gravitatem, &

malitiam testimonij falsi, & obligationem restituendi famam; exquibus, & a lijs sanctis monitis fęmina lacrimis fassa fuit, esse testimonium inventum ad vindicandas iniurias factas ab alio Confessario. Attendant etiam Confessarij ad has cavilationes mulierum, vt consulant denunciationem, & simul advertant ad ponderandum crimen fęminæ denunciantis, si movetur ira, odio, aut alio motivo ad denigrandam bonam famam Confessarij attestando falsum cum iuramento in Sancto Officio.

60 Suppono 4. quòd licèt fęminæ admittantur ad hoc delictum probandum, quia aliter veritas haberi non potest, cùm regulariter non sint alij testes, vel denunciantes, maior numerus testium requiritur ad plenè probandum hoc delictum, quam ad alia contestanda; nam vt dicit noster Peyrinis *tom.2. privileg. Constit.4. Gregorij XV.* §. 8. *num.23.* quamvis mulieres sint magnæ conditionis testimonium mulierum muliebre est. Præterea, quia vt rectè advertit Diana 4. *part. tract.* 5. *resol.* 55. *vers. Exquibus*; in condemnandis his reis omnia sunt consideranda maturè per DD. Inquisitores, quia in hoc crimine probando proceditur, vt in crimine hæresis, vbi testes non publicantur, ideòque plenus defensionis ordo non conceditur, & hoc modo semper timeri potest, ne innocens damnetur, quamvis quilibet testis singularis sit probatissimus; nam ignotum est Iudici, quid illi à reo obijci potest; hæc dixit Pater Dianà, & pro illis citat doctissimum Sousam virum maximè versatum in materijs Inquisitionis, & benè hæc asserit, quia potest contingere, quòd testis sit inimicus capitalis rei, & hic solus possit notitiare causam inimicitiæ.

61 Suppono 5. quòd DD. Inquisitores possunt recipere in testes subditos contra Prælatos; sed advertit noster Trimarch *disp. vlt. sect.* 7. & benè, quòd antequam admittantur debet fieri examen de vita; & opinione subditorum, quia si sunt criminosi ordinariè sunt inimici Prælatorum, quòd debet intelligi cum grano salis, scilicèt, si Prælatus sine ac-

cep-

ceptione personarum præmiat merita,& punit delicta, nam si fuerit malus Prælatus,& more mundano conservaret suos amicos dissimulando crimina, tunc subditus non esset repellendus, quia criminosus, sed in hoc casu est discurrendum sicut de alijs testibus,qui admittuntur in Sancto Officio cũ sua inhabilitate; & pro regula generali benè dicit Trimarchius,quòd si examinata causa testium inveniuntur idonei, quia sunt probatæ vitæ,possunt admitti in testes contra Prelatum. Ita tenet expresse Angelicus Magister 2.2. *quæst.* 68. *art.*4. *ad* 2. & constat ex Bulla Gregorij Papæ in cap. Admonendi sunt. Vbi ita loquitur Summus Pontifex: *Subditi, ne plus, quam expedit sint subiecti, ne cum student plus, quam necesse est hominibus subijci compelantur vitia eorum venerari.*

62 Et generaliter in denunciationibus adversus regulares Prælatos hæc doctrina debet servari, quia aliquando vidimus,oblitos sui status ex diabolica tentatione ambitionis omnia tentare; ac per consequens recurrere ad consequendas privationes aliquorum ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis; ideòque ad omnia ista, & alia advertunt DD. Inquisitores. Et Moneo Prælatos, ne timore denunciationis falsæ sinant operari secundum Deum,& dictamen conscientiæ rectæ,& sint semper sicut petra deserti firmissima, & constans communicando aquas largissimas favorum erga bonos subditos, & virga iustitiæ contra criminosos; nam cum Tribunal Sãctę Inquisitionis prudentissimum,& iustissimum sit examinabit intẽtionem, & mores subditorum priùsquam contra Prelatos procedat.

§. II.

Quæstioni respondetur.

63 HÆC quęstio varijs modis potest exagitari,& brevitatis causa varijs resolutionibus illi satisfaciam in hoc §. & sequenti; nam vel possunt procedere DD.

DD. Inquisitores ex vnius testis depositione, vel inquirendo ex officio de moribus, & vita Confessarij; vel cum incarcerando, vel puniendo pœna ordinaria, vel extraordinaria, omnibus his modis hæc quæstio procedit; & vt certa ab incertis separentur, vt certum est habendum, quòd nullus Princeps quantumcumque supremus, etiam si sit Rex, Imperator, aut Pontifex potest condere legem, vt quis tradatur vltimo supplicio propter solam depositionem vnius testis, quamvis iste sit Episcopus, Cardinalis, aut Pontifex. Ita Tiraquellus *in tract. de reb. exiguis, vers. Secunda ratio.* Mascard. *de probat in procem. quæst.* 11. *num.* 10. Farinacius *in praxi, part.* 2. *quæst.* 67. *num.* 3 *& seqq* quia in tali causa agitur de re gravissima, & pretiosa, qualis est vita. Idẽ est dicendum dum agitur de fama, quia denigratio diffunditur ad totam familiam, & fama vnius familiæ plus stimatur, quàm vita individui.

64 Assero 1. DD. Inquisitores ex testimonio vnius fœminæ honestæ possunt procedere iuridicè contra Confessorem bonæ famæ examinando & inquirendo de vita, & moribus, vt videant an sint indicia, & coniecturæ contra illum compilando processum. Ita Sousa *tract.* 2. *cap.* 12. *num.* 4. *& seqq.* Freytas *quæst.* 4. *ad Acuñam, num.* 16 *& seqq.* Post quam enim noster Peyrinis *tom.* 2. *privileg Constit* 4. *Gregorij XV. nu.* 5. loquitur de incarceratione, & tortura Confessarij propter dictum fœminæ bonæ famæ hæc habet: *Priusquam ad capturam deveniant, sumunt secretas, & verbo tenus informationes de denunciante, & denunciato, quibus habitis procedunt*, & addit quòd ita servatur in praxi & testatur Molf. *tom.* 1. *Summ. tract.* 7. *cap.* 24. *à num.* 38. & Aloys. Ricc. *collect* 149.

65 Veritas huius assertionis constat ex Bullis Pij IIII. & Pauli V quia isti Summi Pontifices præcipiunt, quòd inquirant Inquisitores contra Confessarios quomodolibet diffamatos de crimine solicitationis, ly *Quomodolibet diffamatos* denotat sufficere esse diffamatos per indicia, & coniecturas; sed ad inquirendum magis iubat testimonium vnius fœmi-

mi-

minæ honestę, quàm indicia, & coniecturę sine testimonio alicuius: ergo & ex testimonio vnius fęminæ honestæ possunt DD. Inquisitores inquirere de vita, & moribus Confessarij, & cõpilare processum, etiã si Cõfessarius sit bonæ famæ.

66 Probatur secundo conclusio; quia inter discipulos Angelici Magistri habetur pro communi doctrina, vt videri potest in doctissimo Aragon *2.2. quæst* 33. *art* 3. quòd in illis delictis, in quibus non requiritur monitio secreta, aut fraterna correctio, vt sunt quæ cedunt in perniciem multitudinis Iudex tenetur inquirere nulla spectata infamia, & ratio est, quia agitur de maiori damno vitando, quam bonum sit conservare famam proximi; sed crimen solicitationis cædit in perniciem Ecclesiæ, & fidelium: ergo DD. Inquisitores ex testimonio vnius fęminæ honestæ non solùm possunt inquirere contra Confessarium etiam si sit bonæ famæ, sed tenentur.

67 Confirmatur; Iudex secularis non solùm potest, sed tenetur ex testimonio vnius fęminæ honestæ inquirere contra obsesorem viarum vulgo, *Salteador de caminos*, etiam si denunciatus sit bonæ famæ, quia forsam inveniet indicia, & præsumptiones, si hoc secretò, & ex officio faciat quibus posset incarcerare obsesorem viarum; sed crimen solicitationis est magis perniciosum Reipublicę Christianæ, quam delictum obsesionis viarum, siquidem Confessarij solicitantes sunt obsessores animarum: ergo non solùm possunt inquirere DD. Inquisitores ex officio secretò contra illos, sed tenẽtur, quia agitur de maiori damno vitando

68 Si autem fęmina denuncians sit malæ famæ, & Confessarius vir bonæ opinionis in Republica DD. Inquisitores non possunt procedere contra Confessarium. Constat *ex cap. Præsbiter 2 quæst.* 5 nam ex hoc scandalum oriretur; si autem Confessarius etiam sit malæ opinionis dicit noster Trimarch. *disp. vlt. sect.* 2 *num* 12. quòd in hoc casu an sit admittenda denunciatio ad inquirendum contra Confessarium debet consuli cum Supremo Inquisitore. Hæc sunt communia

in-

inter Auctores; sed ego existimo, quòd etiam si Confessarius sit bonæ famæ, & fęmina perditæ vitæ, est admittenda ad inquirendum; quia multotiès per hoc medium Confessarij maximæ famæ in Republica fuerunt inventi perditissimę vitæ; exemplaria sunt ferè in omnibus Provincijs Europę, & Romæ recentissima.

69 Nec ex hoc oriretur scandalum; quia Tribunal Sanctæ Inquisitionis est secretissimum, & prudentissimum, & si fęmina est meretrix, iam scit, quòd similes mulieres multotiès denunciant falsò, & contra se, habent præsumptionem, quòd deferunt Confessarium ad Tribunal, vel quia noluit Confessor eas absolvere, aut suum amasium; sunt enim huiusmodi mulieres mendaces, fallaces, periuræ, dolosæ, mutabiles, variæ, & corruptibiles; quare cum suis interrogatorijs in his casibus examinant animum, & motivum denunciandi, & si invenerint illud testimonium adminiculatum aliquibus circunstantijs veròsimilibus, optimè facient si ex officio inquirant de vita, & moribus Confessarij; nam hoc faciunt cum tanto secreto, vt si non inveniūt alia indicia, & coniecturas fama Confessarij manet illęsa; ideòque dixi, quòd omnes testes, vel denunciantes admittuntur in Sancto Officio præter inimicos capitales, sed non omnes stimantur; nam aliqui, quia sunt omni exceptione maiores amplectuntur, & alij, quia licèt sint diminuti, vt meretrices, & criminosi testimonium eorum habet aliquam vèròsimilitudinem, non contempnuntur; in hoc enim non potest statui regula generalis, quia dependet ex circunstantijs, & præsumptionibus, sicque ad prudentiam Inquisitorum relinquitur.

70 Circa 2. quòd inquiritur sunt variæ opiniones; aliqui enim dicunt, quòd si Confessarius est malæ famæ, & fęmina denuncians benè opinata tunc propter dictum talis fęminæ Confessarius est incarcerandus. Ita Peyrinis loco citato, sed idem Peyrinis *tom. 3. in additam. ad Constit. Gregorij XV. cap. 11. num. 4.* refert de verbo ad verbum decretum

Sanctæ

Sanctæ Romanæ Inquisitionis idiomate Italico directū ad Vicarium Generalem Archiepiscopi Genuensis expeditum die 17. Iulij anno 1627. subscriptum per Eminentissimum Cardinalē Millinum, in quo disponitur, quòd propter dictū vnius fęminæ non procedatur ad incarcerandum Confessarium solicitantem, sed de dicta delatione certioretur Tribunal Inquisitionis Romanæ. Hæc sunt verba: *Per il Detto di vna sola donna V. S. non faccia constituire, ò carcerare il preteso reo senza darne prima qua auuiso*; Cantera in suis varijs *qq. criminal. part 4. de quæst. tangent. probat. cap. 2. de probat. per testes, quæst. 3. circa fin. vers 2. intellige supra dictā regul. ibi ex quo infertur, quòd in crim. solicit.* & latiùs ibidem *quæst. 1. num. 47.* per totum dicit, quòd dictum vnius fęminæ honestæ facit indicium contra Confessarium non solùm ad capturam, sed etiam ad torturam.

71 Hæc enim sententia ferè ab omnibus practicis in materijs Sancti Officij reijcitur; quia in his delictis sola incarceratio est res gravissima, vtpotè denigrativa Confessarij; non enim Confessarius est incarcerandus absque eo, quòd saltem semiplenè probetur delictum, & dictum vnius fęminæ quantumcumque honestæ non facit semiplenam probationem, cum habeat exceptionem sexus, in hac enim materia non desunt exemplaria, quia multotiès contingit, quòd fęmina est in maxima opinione honestatis, & habet plures obscęnitates cum occasione proxima voluntaria, & fortassè, quia Confessarius armatus zelo Dei adimplevit suum munus denegando absolutionem, illa ira muliebri defert eum ad Sanctum Officium.

72 Secunda sententia absolutè defensat: propter testimonium vnius fęminæ quamtūcumq; honestę Confessarium non esse incarcerandum, nec vocandum ad Sanctum Officium. Ita Carena *part. 2. de Confess. solicit. tit. 6.* §. 12. *num.* 62. citatque graves Auctores, & Castrus à Palao *tom. 1. disp. 9. punct. 11. num 1.* dicit Confessarium in Sancto Officio

non recludi in carcerem, quovsque est testificatus per duos, vel tres testes. Sousa *opuscul. de Confes. solicit. tract. 2. cap. 12. concl. 4. num. 8.* docet, quòd si fęminæ non sunt probatæ vitæ non sufficiunt duæ deponentes de diversis actibus ad incarcerandum Confessarium, sed adminus tres requiruntur; & Acuña defensat, quòd non sufficiunt duæ fęminæ ad recludendum Confessarium in carcere, si fęminæ sunt complices delicti, ita in suo *tract. de solicitant. quæst 23. num. 9.* & Bariola *de Confes. solicit. quæst. 15.* tenet, quòd vt DD. Inquisitores procedant contra Confessarium debet prius cõstare de delicto saltem per duos testes fide dignos. Ioann. Sanchez *in select. disp. 11. num 47.* hoc remittit, & benè, iudicio Inquisitorum. Quod enim Diana *4. part. tract. 5. resol. 55.* advertit firmiter ex Sousa loco citato est, quòd ex delatione vnius fęminę quamtumvis honestæ non est incarcerandus Confessarius, sed potest iustè incarcerari si duæ fęminæ probatæ vitæ adversus illum denunciaverint, hanc sententiam sequitur D. Ioann. Escobar *part. 3. de Confes. solicit. quæst. 5. § 3. num. 16.*

73 Secundum sententiam horum Auctorum assero 2. quòd generaliter loquendo ad capturam Confessarij requiruntur duæ fęminæ fide dignę, honestę, & omni exceptione maiores. Hęc conclusio probatur ex decreto Sacrę Congregationis citato, nam ibi determinatur, quòd ex depositione vnius feminę Confessarius nequaquam recluditur in carcerem: ergo sentit Sacra Congregatio, quòd adminùs requirũtur duę feminę. Probatur consequentia: quia ibi decretum loquitur generaliter de omnibus fęminis, & vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus: ergo sivè fęmina sit honesta, sivè malę opinionis, vt Confessarius recludatur in carcere sufficiens nòn est testimonium vnius feminę; ac perconsequens saltem duarum requiritur.

74 Probatur 2. ratione: ideò in alijs Tribunalibus ad recludendum reũ in carcere sufficit dictũ vnius fęminæ fide dignę, quia per solam incarcerationem solùm leviter ląeditur

tur fama; sed per solam incarcerationem in S. Officio gravitèr denigratur fama, & opinio: ergo vt incarceretur Confessarius non sufficit testimonium vnius fęminę honestę, sed ad minùs duarum requiritur. Probatur consequentia: quando gravitèr lęditur fama per incarcerationem ad minùs debet esse semiplena probatio; quis enim dicit, quòd Iudex potest incarcerare hominem probum, & rectè opinatum in Republica, vt obsessorem viarum, si ad minùs contra illum non est semiplena probatio; nulla alia ratione, nisi quia maximè per incarcerationem sub hoc prætextu lęditur eius fama; sed dictum vnius fęminæ quantumcumque honestæ, non facit semiplenam probationem, quia non est testimonium integrum, sed diminutum, ob exceptionem sexus: ergo vt incarceretur Confessarius non sufficit vna fęmina etiã si sit honesta, sed requiruntur duæ.

75 Dixi generaliter loquendo, quia in casibus particularibus hæc doctrina generalis est modificanda: Primò, quia si Confessarius per idem delictum punitus fuit, & accedit dictum vnius fęminæ honestæ sufficiens est ad illum incarcerandum, quia licèt prima causa fuerit extincta, Confessarius remanet suspectus de solicitatione, & facilè creditur reincidisse in eodem delicto, quia tunc præter illum testem diminutum ex circunstantijs, & suspicione subiecti fulcitur testis inhabilitas, & vnum, & aliud faciunt semiplenam probationem sufficientem ad incarcerandum.

76 Si autem concurrant delationes duarum fęminarũ, quarum vna sit bonæ famæ, & altera malè opinata; si non sunt alia indicia dicit, & benè, Escobar à Corro loco citato, Confessarium non esse incarcerandum, quia duæ fęminę huius generis non faciunt semiplenam probationem, benè dixit generaliter loquendo; sed existimo, quòd si fęmina malę opinionis accedit tempore, quo iam mutavit vitam, & non spontè, sed ex consilio Confessarij; tunc cum alia fęmina sufficit, vt DD. Inquisitores procedant ad incarcerã-

dum Confessarium, quia tunc præsumitur non accedere ex ira, nec ex facilitate, sed ad obtinendam absolutionem Cōfessarij, aut timore excommunicationis; ideòque optimè dixit Pater Diana; hoc negotium relinquendum esse iudicio DD. Inquisitorum.

77 Si autem mulieres denunciantes sint malæ opinionis, aut meretrices, non sufficiunt duæ delationes ad Confessarium incarcerandum, sed ad minùs tres fęminæ huius generis requiruntur, quia ad sumùm istæ possunt facere cōtra Confessarium semiplenam probationem, quę requiritur in re tam magni momenti, vt Confessarius in carcerem recludatur. Hęc doctrina etiam est verà generaliter loquendò, quia si istę fęminę etiam meretrices accederent tempore alicuius magnæ missionis, quo cognoscitur ex lacrimis, & alijs signis dispositas esse ad sua peccata generaliter confitenda; sentio duas fęminas huius qualitatis sufficere, quia tunc est pręsumptio, quòd illę delationes fiunt zelo religionis, & ad exonerandas suas conscientias, & aliundè meliùs pręsumitur esse solicitatas à Confessarijs, quam alias honestas, quia frequenter Confessarij solicitant mulieres, in quibus ex confessione cognoscunt facilitatem commitendi peccata libidinis, ideòque ad omnia attendunt DD. Inquisitores, quia ex vna parte periclitatur puritas Sacramenti, & bonum fidelium, & ex alią bona fama Confessarij.

78 Hęc omnia dixi ex suppositione, quòd Confessarius sit benè opinatus in Republica, vbi commoratur, quia si est maximè deditus vitijs carnalibus, denunciatio vnius fęminę honestæ est sufficiens ad illum incarcerandum; cum in hoc casu indicia, & pręsumptiones desumptę ex mala vita Confessarij supleant defectum semiplenę probationis. Sentio quòd etiam iste casus relinquitur iudicio prudenti Inquisitorum, quia sunt plures Confessarij, & pręcipuè si sunt docti, & in magna stimatione in Republica, quòd etiam si sint fragiles, & maximè dediti ad libidinem cum magna puritate, & ędificatione pœnitentium administrant Sacra-

mentum Pœnitentiæ, ideoque iudico in hoc casu esse convenientissimum, quòd DD. Inquisitores ante incarcerationem examinent alias feminas filias confessionis, vt fiat iudicium de suo modo procedendi. Nescio in hoc puncto praxim, ideòque hoc relinquo sub censura.

§. III.

Alia inclusa in quæstione deciduntur.

79 ANtequam descendamus ad testes sufficientes ad condemnandum Confessarium solicitantem oportet scire, an possit torqueri si negativus persistit, & quot testes debet habere contra se ad illum torquendum? Pro quo est supponendum ex sententia Thomę Hurtado, qui citat Pascualigum *decis.* 160. propter crimen hęresis non sufficere duos testes singulares ad torturam, quia tortura imponit infamiam, quę gravissima pœna est; nam per hoc declaratur suspectus in fide reus; quare advertit, quòd in crimine hęresis requiruntur maiores probationes ad torturam imponendam, quam in alijs delictis. Et ratio est, quia in Sācto Officio non publicantur nomina testium, & ex hac parte datur locus ad calumniam; vt autē tortura imponatur, oportet quòd concurrant cum duobus testibus singularibus alia adminicula inclinantia animum Iudicis ad credendum tale crimen fuisse à reo commissum.

80 Cęsar Carena *part.* 2. *de Confess. solicit. tit.* 6. §. 14. *num.* 72. *& seqq.* absque distinctione statuit torturam contra Confessarios solicitantes, & dicit duplicem torturam posse illis imponi: Primam, quando sunt convicti, & confessi de delicto ad eruendam intentionem; nempè an crediderint esse licitum abuti Sacramento Pœnitentię ad res lascivas; citat Simanch. *de Cathol. instit. tit.* 75. *num.* 52. Didacum Canteram *in suis quæst. criminal. Rubric. de hæret. cap.* 1. *num.* 69. *&* 70. Graf *lib.* 2. *suarum decis. cap.* 5. *num.* 15. Genuensem *in praxi Episcopali Neapolitana*, *cap.* 84. Ratio hu-

huius determinationis adducitur ab ipso Carena; quia cum heresis sit delictum latens in mente, Ecclesia per torturam debet certificari, an reus malè senserit de fide, & ita in casu Confessarij solicitantis docet Molf. *cap. 24. num. 40.* Secundam, quando reus nec est convictus, nec cōfessus, & adsunt indicia sufficientia ad torturam; in hoc casu est torquendus Confessarius pro veritate habenda.

81 Pater Diana 4. *part. tract 6. de tortura in Sancto Officio,* licèt latè differat *resol. 6. & 7.* de indicijs sufficientibus, vt tortura imponatur, postea *resol. 21.* dicit: *Sed hæc quæstio non deserviet pro Inquisitione Hispanica, in qua numquam Confessarij solicitantes torquentur.* Solùm enim advertit, quòd etiam si dictum vnius femine non sit sufficiens, quàmvis sit bone fame, vt Confessarius recludatur in carcere, & minùs, vt ad torturam damnetur, bene verò, si cum femina testificante concurrant alia adminicula, de quibus aliqua dicam post decisionem huius difficultatis.

82 Antequam hanc difficultatem resolvam supponendum est primo, quòd tortura imponitur ad eruendam veritatem alicuius magni criminis ob defectum probationum. Constat ex textu *in l. Divus Pius IX. in princip. de quæst.* quare ad imponendam torturam non requiritur tanta probatio, sicut ad pœnam ordinariam fulminandam taxatam pro delicto; itaque tortura tantum habet locum in gravibus delictis, quorum pœna corporalis est textus *in l. Ædictum in princip. de quæst.* quia aliàs maior pœna imponeretur delicto semiplenè probato, ac imponitur, quando delictum est plenè probatum; quia tortura est pœna corporalis maxima, & si plenè probaretur delictum ad sumùm ad illud puniandum imponeretur incarceratio, reclusio, exilium, & alia huiusmodi; hoc fundamento ducuntur Auctores ad sententiam negativam defensandam, vt Acuña *de Confess. solicit. quæst. 23. num. 13. & 14.* Castrus à Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 11. num. 4. in fin.* Trullench. *tom. 1. in Decal cap. 3. dub. 18. num. 103.* & Sousa *in Aphor. lib 1. cap. 34. num. 64. & 65.*

Sup-

83 Supponendum est 2. quod licèt Clerici non valeat torqueri ex iure, vt constat ex textu *in l. Sacrosanctæ* 34. *Auth. Præsbiteros, cap. de Episcop. & Cleric.* tamen hoc non habet locum in delictis hæresis, aut eam olentibus, & tenet communis opinio, & practica Tribunalis Sanctæ Inquisitionis, non solùm in crimine hæresis, sed etiam in sortilegijs atrocissimis generantibus suspicionem de vehementi in primo gradu, vt constet de intentione, & credulitate sortilegi.

84 Ex quibus opinionibus deducit D. Ioann. Escobar 4. *part. quæst* 4. §. 2. *de tortura, num.* 6. *& seqq* quòd etiam in Inquisitione Hispanica sunt casus, in quibus Confessarij solicitantes debent torqueri; quia crimen solicitationis est generale, quòd sub se continet varias solicitationis species magni ponderis, & minoris; ideòque in Bulla Gregorij XV. assignantur diversæ pœnæ, vt secundum iudicium Inquisitorum applicentur secundum maiorem, aut minorem gravitatem criminum solicitationis, & si ad has pœnas imponendas secundum gravitatem delictorum Gregorius XV. se remittit ad arbitrium DD. Inquisitorum, idem iudicium debet fieri de tortura.

85 Vt autem intelligant, quando hoc medium est applicandum aliquas adducit regulas. Prima est, quòd quando solicitatio ad venerea est plenè probata ex sufficiẽti numero testium, & indicijs, quamvis crimen solicitationis sit gravissimum, ideòque Confessarius maximè suspectus in fide, etiam si neget intentionem non est torquendus, quia delictum principale est plenè probatum, & tortura est remedium subsidiarium in defectu probationum. Præterea, quia suspicio in fide correspondens solicitationi non est tam gravis, vt per eam valeat inferri tortura.

86 Secunda regula est, quòd stante semi plena probatione, quæ in alijs delictis est sufficiens ad torturam, si solicitatio est talis naturæ, quòd non mereatur pœnam gravem corporalem, vt si fęmina solùm verbis, aut tactibus solici-

ta-

taretur à Confessario, cuius pœna potest esse privatio ab audiendis confessionibus, exilium, reclusio in aliquo Monasterio, privatio vocis activæ, & passivæ, carcer ad tempus, abiuratio de lævi, non habet locum tortura, quia omnes prædictas pœnas superat, etiam casu, quo delictum plenè probaretur, & ex semiplena probatione, ex qua solet imponi tortura, maior pœna imponeretur, quàm mereretur delictum si plenè esset probatum, & hoc modo est verissima sententia negativa, & in praxi Inquisitionis Hispanicæ receptissima.

87 Tertia regula est: dùm solicitatio adiunctas habet gravissimas circunstantias, pro quibus Confessarius gravissimè est puniendus, si delictum plenè probatur, vt pœnis triremium, perpetuæ carceris, privationis à dignitatibus, officijs, & beneficijs, & ab exercitio ordinum, vel degradari, & tradi brachio sęculari, tortura habet locum ad eruendam veritatem, si delictum semiplenè, aut plusquam semiplenè sit probatum; quia in hoc casu intervenit gravissimum delictum punibile gravissimis pœnis, & in his delictis tortura habet locum, quia etiam possunt torqueri Sacerdotes, vt dixi, in atrocissimis delictis hæresis, aut generātibus suspicionem in fide.

88 Quarta regula est si sint diversi testes testificantes de diversis solicitationibus, quarum vna est atrocissima, quæ meretur si plenè probatur gravissimam pœnam, si testis deponens de illa solicitatione est omni exceptione maior, adiubatur ab alijs testibus, & taliter adminiculatur, quòd potest torqueri ad eruendam veritatem de illa atrocissima solicitatione; si autem talis testis non est exactæ fidei, non est imponenda tortura Confessario, quia eius parva fides non adiubatur sufficienter ab alijs testibus, etiam fide dignis, qui deponunt de solicitationibus non ita gravibus, in quibus casibus est vtendum magna prudentia.

89 Si omnia dicta observentur in casibus, in quibus est imponenda tortura sentio sufficere ad executionem huius

pœnæ

pœnæ testimonium duarum feminarum honestæ vitæ, taliter quòd si concurrit cum vna femina honesta alia non benè opinata, si non sunt alia indicia non sufficiunt istæ feminæ ad exequendam torturam, quia persona, & gravitas Confessarij maiorem probationem exposcit, quam ordinariam; sed in alijs personis, & delictis adhùc est sub lite, an istæ duæ feminæ constituant semiplenam probationem sufficientem ad torturam: ergo testimonium duarum feminarum, quarum vna non sit bonæ famæ non est sufficiens ad torturam, si non sunt alia adminicula. Solùm intelligo sufficere, si dictum feminæ parum honestæ adminiculatur indicijs, & circunstantijs persuadentibus illud dictum esse verum.

90 Non approbo dictum eiusdem D. Ioann. Escobar loco citato *num.* 20. vbi statuit ex sententia Iulij Clari in pract. quòd tortura levis potest imponi ex testimonio vnici testis inhabilis. Quòd præcipuè in Sancto Officio ex sententia ipsius non habet locum, siquidem sentit, quòd ad minùs ad hanc pœnam imponendam requiritur dictum duarum feminarum bonæ vitæ, quia præter inhabilitatem sexus in alijs sunt omni exceptione maiores, & idem postulat ad incarcerandum solicitantē in S. Officio, si non sunt alia adminicula: ergo neq; ad levem torturam est sufficiens testimoniū vnici testis inhabilis, quia tortura supponit incarceratione. Præterea, quia etiam si sit levis est pœna maximè denigrativa, & vnus testis solus inhabilis nō sufficit (vt postea dicam) etiam ad imponendam pœnam extraordinariam in Sancto Officio, quia nullam invenio, quæ non sit gravis: ergo neque est sufficiens ad torturam.

91 Arguunt contrarij fundamento communi ad probandum, propter solicitationem, etiam si sit gravissima, in Hispania non esse torquēdum Confessarium, & proponitur argumentum in hac forma: solicitatio ad venerea, etiam si sit gravissima, in Hispania solùm inducit levem suspicionem in fide: ergo propter illam Confessarius nunquam est torquendus. Probatur consequentia: tortura solùm imponi-

tur, vel propter crimen hæresis, vel propter delictum generans magnam suspicionem in fide; ideoque rectè dicit Diana, quod in alijs regionibus propter crimen solicitationis est torquendus Confessarius, quia ibi generat suspicionem vehementem in fide; sed solicitatio ad venerea in Hispania non generat nisi levem suspicionem in fide: ergo propter huiusmodi delictum Confessario non est imponenda tortura.

92 Dupliciter respondet D. Ioann. Escobar ad hoc argumentum, ex quo ferè hæc omnia de tortura deduco, quia inter Auctores practicos Hispaniæ, nullus meo videri, cum tanta distinctione hanc materiam tractavit. Primo respondet negando antecedens, quia multotiès crimen solicitationis habet tales circunstantias adiunctas, quòd ratione delicti, & personarum, Iudices habent fundamentum ad iudicandum illum reum esse suspectum de vehementi in fide, & secundum hanc doctrinam (de qua postea) saltèm in hoc casu est suspicio sufficiens ad imponendam torturam pro veritate eruenda.

93 Sed quia etiam si sit solicitatio gravissima, & intra limites solicitationis concurrant diversæ circunstantiæ, secundum praxim Inquisitionis Hispanicæ numquam reus iudicatur vt suspectus de vehemēti; ideò mihi magis placet 2. responsio posita num. 12. quā ad formam reduco concedendo antecedens, & negando consequentiam; ad illius probationē distinguo maiorem, solùm imponitur propter crimen hæresis, vel generans suspicionem de vehementi, taliter quòd tantùm intendat probare crimen hæresis, vel suspicionem de vehementi nego, intendendo etiam probare ipsum delictum in se, ad quod est patrata solicitatio concedo maiorem; itaque per torturam non solùm intenditur in Sancto Officio probare hæresim, vel suspicionem de hæresi, sed etiā crimen patratum, vel per hæresim, vel suspicionem, & si illud facinus ad quod patrandum fit hæresis, vel suspicio in fide, est gravissimum, ad quod si benè probatur, vel reus confite-

tetur est magna pœna corporalis imponenda, ad eruendam veritatem potest adhiberi tortura, etiã si ex solicitatione, vel alio delicto solùm præsumatur reum esse in fide leviter suspectum.

94 Hoc exemplificat idem Escobar: vt DD. Inquisitores applicent hanc doctrinam ad casus similes. Suppono, quòd solicitatio sit commissa ad patrandum adulterium, incestum, aut homicidium; hæc delicta in iure habent impositam gravem pœnam, vt depositionem, aut degradationem, quamvis non committãtur in Sacramento, aut eius prætextu, & occasione, quam pœnam meliùs merentur Confessarij si in confessione, aut prætextu, & occasione confessionis hęc delicta committant; si enim patrentur extra has occasiones, nulli est dubium, quòd ab alijs Tribunalibus potest imponi tortura: ergo multò meliùs si patrantur, aut in ipso lavacro Pœnitentiæ, aut in alijs locis, & occasionibus comprehensis in Bulla Gregoriana, quia tunc non solùm pertinet ad Inquisitores cognoscere de suspicione hæresis, sed de ipso delicto ratione connexionis, & sic DD. Inquisitores possunt torquere reum ad veritatem eruendam, sicut imponere pœnas statutas in iure contra talia delicta, vt dicit Sousa *tract. 2. cap. 15. num. 3.* nam in Sancto Officio non solùm agitur de suspicione hæresis, sed etiam de delicto, quòd intervenit in solicitatione, quia solicitatio est individua, & ideò à delicto non valet separari.

95 Ex dictis facilè respondetur ad 3. siquidem diximus, quòd ex sola depositione vnius testis, etiam si sit omni exceptione maior non potest torqueri solicitans, nec incarcerari; ideòque resolvo, quòd solùm ex depositione vnius testis non possunt DD. Inquisitores punire Confessarium solicitantem; sed quia hæc difficultas variè traditur ab Auctoribus, & ab hoc puncto, & pendet conservatio bonæ famæ Confessarij, & iustificatio Sancti Officij in modo procedendi pono §. sequentem, in quo postquam referam diversa dictamina DD. meum adaperiam.

§. IIII.

Quot testes ad Confeßarium solicitantem condemnandum requirantur.

96 MVltiplex sententia datur circa numerum sufficientem testium ad Confessarium solicitantem condemnandum in Sancto Officio. Prima tenet sufficere vnum testem, quia est difficillimum, aut ferè impossibile crimen solicitationis alio modo probare. Ita Bonacina *tom 1. quæst 4. de Matrim punct.16. num.8. vers. Quomodo autem*, citat Ricc. *decis. 369. praxim Neapolitanam*, cum Marsilio *in l. si quis in fin. ff. de quæst.* Idem in simili Enriquez *lib. 6. cap. 19. num. 10.* cum Simanca, Aymone, Covarrubia, Gomezio, & alijs de Confessario crimen confessionis reuelāte. Quæ sententia in nullo Tribunali est practicabilis, quia meo videri apertè apponitur iuri, & rationi.

97 Secunda opinio est, quòd saltèm requiruntur duo testes, ita Molf. *tom.1. Summ. tract.7. cap.25. num.39.* Paramus *de origin. Inquis. lib.3. quæst.10. num.155. & seqq.* Tertia opinio tenet, quòd tres testes regulariter probant hoc delictum, & non minor numerus. Sic Ortiz *in Summ. cap.24. num 11.* Lucius *in Summ. cap.24. num. 11.* & Martinus Bonacina est sibi contrarius, quia eodem *tom.1. disp.6. de onere, & obligat. denunc.* dicit, quòd hoc delictum non potest plenè probari adhùc testimonio duarum fęminarum. Rationem assignat, & rectè, quia fęminæ leves sunt, & mutabiles; ideòque ipsarum testimonium etiam est infirmum. Præterea, quia multi Sacerdotes facillimo negotio retraherentur ab audiendis confessionibus timore falsæ denunciationis, nam fęminæ non solùm sunt leves, dolosæ, & fraudulentæ, sed etiam pronæ ad acusandum, & proclives ad odiũ, & indignationem.

Quar-

98 Quarta opinio docet, quòd requiruntur quatuor testes ad solicitationem Confessarij probandam. Sic sentit Acuña *de Confess. solicit. quæst.23. num.11.* Peyrinis *tom.2. privileg. Constit.4. Gregorij XV. §.7. num.23.* Quinta exposcit plusquam quatuor fęminas, ita Freytas ad Acuñam *in dicta quæst. num.21. & 25.* Sexta, & vltima sententia hoc relinquit Inquisitorum arbitrio, ita idē Bonacina loco vltimo citato, Diana 4. *part. tract. 5. resol 55. vers. Ex quibus infertur, & tract.7. resol.7. in fin.* Noster Peyrinis loco citato, Trullench. *tom.1. in Decal. lib.1. cap.3. dub.18. num* 98 Ioan. Sanchez *in select. disp.11. num.47.* Fagundez *ad 2. præcep. Eccl. lib.4. cap.3. num.101. in fin.*

99 Hanc sententiam vltimam amplector, sed secundum ea, quæ tradunt Auctores, vt practicetur à DD. Inquisitoribus, ea maturitate, & iustificatione solita in Tribunali oportet aliqua advertere, & antè omnia, quòd in probatione huius criminis non attendant tantum ad numerum, quantum ad conditionem fęminarum denunciantium, & ad qualitatem Confessarij, quia si Confessarius est in magna acceptatione in Populo propter suam doctrinam, & virtutem, est magna suspicio, quòd est coniuratio contra illum ex ęo orta, quòd à pluribus laudatur; videmus enim aliquos viros doctos abundare inimicis, solùm quia laudantur, & idem contingit in virtuosis, quia isti nihil mali fecerunt, vt autem hi condemnentur in Tribunali maior numerus testium desideratur, quam sit necessarius ad damnandum Confessarium de rebus inhonestis indiciatum.

100 Adverto 2. quòd aliquando Confessarius potest condemnari meliùs cum vno teste fide digno, quam si sub alijs circunstantijs plures testes concurrerent, si cum illo teste indicia evidentia, & indubitabilia inveniantur. Constat *ex l. expressa Imperatoris Iustiniani lib.25. de probat.* concordat *cap. cum olim, de verb. signific.* vbi sic dicitur: *Sciāt cūcti accusatores eām se rem deferre in publicam notionem debere, quæ munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis docu-*

men-

mentis, vel indicijs ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita. Et ratio est clara, quia etiam si duo testes contextent possunt subornari, & confessio rei potest oriri, vel ex timore tormentorum, vel ex fiducia adipiscendi breviùs libertatem, sed indicium evidens, & indubitabile non potest deficere, nec esse fictum.

101 Hoc assumptum elegantissimè suo ore aureo exornat D. Ioan. Chrisostomus *homil.* 2. de David, & Saulè, vt constat ex 1. *Reg. cap.* 24. quando David invenit Saul dormientem in deserto Enggadi in testimonium quòd potuit illum absque periculo occidere, præscidit oram clamydis, vt esset testis tam excellentis operationis postea in conspectu Saulis, etiam si cum illo essent plures Duces, & milites, testes omni exceptione maiores; sed meliùs (dicit idẽ Chrisostomus) ostendendo oram clamydis postea in conspectu Regis probavit factum, quam si adduceret pro se omnes illos milites pro testibus; sic enim exclamat Chrisostomus: *Mutus quidem testis, sed omnibus vocem habentibus evidentior*; quia illi testes quantumcumque exceptione maiores erant falibiles, illud autem indicium deficere non poterat: ergo si cum vno teste concurrant adminicula evidentia, vel indubitabilia, pœna ordinaria potest puniri Confessarius solicitans, & præcipuè si crimen solicitationis esset atrocissimum.

102 Hæc doctrina observata fuit in hoc nostro Regno Aragoniæ ad condemnandum homicidam atrocissimum, & inhumanum de cuius delictis non fuerunt testes concludentes contra reum, nec confessio illius; sed quidam per Illustris Iudex dictam doctrinam allegavit, & cum alij Collegę doctissimi contra homicidam indicia evidentissima, & indubitabilia invenerint ducti doctrina D. Ioan. Chrisostomi, & alijs rationibus valdè efficacibus pœnam ordinariam mortis contra reum pronunciarunt, quæ ita fuit executioni mandata.

103 De hac materia latissimè, & maxima eruditione tra-

tractat D. Ioan. Escobar 3. *part. quæst.* 5. §. 3. & circa illud, quod dixit *num.* 11. *in* 1. *regula*, adverto 3. indigere explicatione, nam dixi, quòd cum non omnes solicitationes sint eiusdem ponderis, & gravitatis, ad minorem solicitationem probandam non est opus tantæ probationis, sicut debet concurrere ad gravissimam solicitationem concludendam, cui correspondet magna pœna. Idem repetit *num.* 20. Si enim intentum huius Auctoris sit statuere, quòd ad pœnam ordinariam assignandam pro crimine solicitationis requiritur maior probatio, quam vt imponatur pœna extraordinaria mecum erit: Sed si pœna ordinaria est imponenda, quamvis solicitatio non sit magni ponderis requiritur plena probatio cum eodem numero testium, ac est necessaria dicta probatio ad condemnandum Confessarium pœna ordinaria pro solicitatione gravissima.

104 Hoc enim maximè debet observari, quia omnes pœnæ Sancti Officij sunt graves, cum quælibet quamtumvis minima sit denigrativa personæ; si enim incarceratus non manet liber, sed expeditur aliqua pœnitentia corporali, aut salutari, iam est graviter punitus; cum habeat supra se principaliorem pœnam, nempè denigrationem bonæ opinionis; ideòque si DD. Inquisitores non habent delictum sufficienter probatum testibus, & adminiculis, & reus perseverat negativus suspenditur causa; in alijs verò Tribunalibus cum eadem probatione imponitur aliqua pœna extraordinaria, quia hæc non est multum denigrativa personæ. Quare rectè operantur Inquisitores, si absque aliqua pœnitentia, quando non sunt sufficientes probationes vt intelligant illud delictum fuisse commissum suspendunt causam monendo Confessarium vt se abstineat quantum fieri potest ab administratione Sacramenti Pœnitentiæ, ne ponatur in occasione patrandi delictum solicitationis, de quo est suspectus, quia in dubio prævalet fama Confessarij.

105 Adverto 4. quòd quando non sunt alia adminicula ad puniendum Confessarium pœna ordinaria non suffi-

ciunt

essent duæ feminæ honestæ, & existimo, quòd in isto casu Confessarius non debet abiurare de levi; nam vt postea dicam hæc est gravissima pœna, quia maximè per illam læditur opinio Confessarij, nisi iste sit talis conditionis, quòd ratione subiecti sit maximè suspectus in rebus venereis, quia quantumcumque feminæ sint honestæ secum afferunt inhabilitatem sexus, & præcipuè debet attendi ad qualitates Confessarij; nam si hic est vir prudens, & doctus, etiam si feminæ denunciantes sint bonæ opinionis, multotiès habēt talia peccata occultissima, quòd Confessarius non potest eis absolutionem impendere, & ex ira, aut odio illum denūciant; casus est practicus, sicque cum magna cautela sunt examinandæ tales feminæ, quia multotiès etiam si non explicent causam ex modo dicendi manifestatur aliqua ira, & si Confessarius est benè opinatus semper potest præsumi in feminis aliqua vindicta, aut odium ex causa occulta, quia multotiès ex his causis moventur feminæ ad denunciandos Confessores probos, & doctos.

106 Quod enim intelligo est, sufficere duas feminas honestas, vt Confessarius suspendatur ab audiendis Confessionibus, quamvis alia adminicula non concurrant; quia vt optimè Angelicus Magister 1. 2. *q. 92. art. 1. & cap. novit* 8. *de Iudice*; Iudices, & Superiores non solùm debent tollere à subditis causas veras ruinæ, sed etiam, quæ possunt timeri tollendo occasiones ne incidant in peccatum. Præterea, quia per testimonium duarum feminarum non potest negari, quòd Confessarius maneat maximè suspectus de solicitatione: ergo huiusmodi Confessarius debet suspendi à confessionibus feminarum audiendis. Probatur consequentia: Prudens Pater Familias non solùm tollit suas oves è manibus pastorum, qui clarè illas malè pascunt, sed etiam ab illis, qui sunt suspecti de mala administratione; sed Confessarius testificatus per duas feminas honestas est valdè suspectus de mala administratione Sanguinis Christi ad pascendum gregem Ecclesiæ: ergo debet suspendi ad minùs à confes-

fes-

fessionibus audiendis, qui a prudenter potest timeri, quòd si relinquitur in illa occasione, alias oves inficiet.

107 Adverto 5. quòd Gregorius XV. in sua Bulla assignat varias pœnas contra Confessarios solicitantes, quas suo loco referam, & remittit ad arbitrium DD. Inquisitorum has, vel illas applicare secundum qualitatem delictorum, sicque præter degradationem, & traditionem brachio seculari, vt imponatur hæc, vel illa pœna, non omnes simul, sufficiunt tres testes omni exceptione maiores, & præcipuè si concurrant alia adminicula, quia hic numerus testium singularium de iure Regio requiritur ad pœnam ordinariam imponendam in delictis occultissimis, & ideò difficilis probationis. Cumque hoc delictum occultissimum sit, si ad imponendas aliquas pœnas Confessario solicitanti tres testes non sufficerent raró posset puniri, & vindicare iniuriam factam Sacramento Pœnitentiæ, & evitare perniciem animarum.

108 Dixi præter degradationem, & tradditionem brachio seculari, nam cum hæc sit gravissima pœna ad eam imponendam requiritur clarissima probatio, quæ non habetur ex tribus testibus singularibus; ideòque vt ista pœna applicetur reis, Summus Pontifex non solùm exposcit testes singulares, sed etiam indicia, præsumptiones, & alia adminicula delictum probantia, sic enim ait: *Testibus etiam singularibus concurrentibus præsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & curiæ seculari, vt prefertur, reum traddendum esse pronunciandi*: ergo vt hæc pœna imponatur, quæ gravissima est, primo debet esse enormissima solicitatio, & deficere omnem spem emendationis in Confessario, quod raró continget, & 2. præter testes singulares debent concurrere præsumptiones, & alia adminicula.

109 Hoc assumptum probatur aparitate: vt hæreticus relapsus tradatur brachio seculari requiritur probatio luce meridania clarior, & si est hæreticus formalis pro primo

lapsu, dummodo non sit negativus, nec impœnitens, non potest traddi brachio sęculari; sed crimen solicitationis, quãtumcumque enormissimum non facit hęreticum, sed ad summùm suspectum de vehemendi: ergo vt solicitans traddatur brachio sæculari, solicitatio enormissima debet esse, & deficere omnem spem emendationis, & probationes esse luce meridianà clariores, quod non habetur per testes singulares, ideòque DD. Inquisitores hoc arbitrio Pontificis cum magna circunspectione, & prudentia vtuntur.

110 Exquibus infero, quòd ad hoc, vt in hoc crimine, & in alijs vbi admittũtur testes singulares, quia alio modo veritas non potest haberi, huiusmodi testes plenè probent delictum requiritur, quòd sint probi, honesti, veridici, fide digni, & omni exceptione maiores. Vnde vt in hoc crimine solicitationis fęminæ solicitatę plenè probent debent esse honestæ, & veridicæ, non infames, nec mulierculæ, aut meretrices, sed tales, quòd præsumatur nitti veritate, & deponere intuitu religionis, & non odio, aut inimicitia, de quibus qualitatibus debet constare; & vt constet requiritur informatio, sed sufficit, quòd fiat verbaliter absque eo, quòd sit necessaria in scriptis; ita continetur in quadam epistola Supremi Senatus Inquisitionis data Matriti die 17. Martij anni 1568. vbi in capite 2. ita deciditur: *Item quanto à la calidad de los testigos, y credito que se les deve dar, advertiràn si son mugeres deshonestas, y apassionadas, y à los demàs defectos que podrian tener, de lo qual se informaràn de palabra de personas graves, y sin sospecha, con todo recato.* Et in alia speciali Epistola ad Inquisitionem Canariensem, data die 19. Aprilis 1627. hæc verba habentur: *Los abonos de los testigos à la margen de cada uno de ellos verbalmente informados*

111 Cum autem hoc delictum, vt dixi, sit difficillissimæ probationis ad illud probandum concurrunt testes singulares; nam aliter veritas haberi non potest, quia committitur hoc crimen solùm inter Confessarium, & fęminam pœnitentem, ideò que antequam transeam ad quæstionem de

pœ-

pœnis imponendis reis solicitantibus in Sancto Officio, opere pretium est aliqua dicere de testibus singularibus, & an isti plenè probent delictum, quod reduco ad sequentem quæstionem.

QVÆSTIO III.

An crimen solicitationis plenè probetur testibus singularibus.

§. I.

Aliqua præmittuntur necessaria ad quæstionem.

112 TEstis singularis dicitur ille, qui solùm deponit de aliquo crimine, facto, vel verbo commisso, taliter quòd de illo delicto singulari, & individuo non sit alius testis. Quod enim inquiritur non est, an quando aliquis deponit de aliquo delicto, & nullus alius habet de eo notitiam per illum testem plenè tale delictum singulare probetur, nam hoc asserere est contra omnes Auctores, & ius naturale, quod enim vertitur in dubium est; an quando vnus testis deponit de vno delicto solicitationis, & alius de altero, plenè crimen probetur? Vt autem hæc quæstio cum fundamento decidatur aliqua sunt prænotanda.

113 Noto 1. triplicem esse testium singularitatem; alia est obstativa, & invenitur quando in depositionibus testiũ est repugnantia, vt si vnus affirmet, & alter neget; alia est singularitas cumulutiva, quæ invenitur, quando duo testes deponunt de rebus inter se connexis, vel ex præsumptione iuris, vel ex alio vinculo, & sic dictum vnius adiubat dictum alterius, vt si vnus deponat de facto ipso, alter de fama; vnus de visu, & alter de auditu; tertia singularitas est diversificativa, vel subalterna, & est quando ex dicto testium non oritur re pugnãtia, & oppositio, sed diversitas delicti in substantia, sivè deponant in eodem crimine in specie, vt si vnus di-

dicat de delicto commisso in vno loco, alius vero in alio, vel vnus vno tempore, & alius diverso, sivè deponant de diversa specie delicti, vt si vnus testificat de furto, & alius de homicidio.

114 Noto 2. cum sententia communi DD. quòd testes singulares singularitate obstativa, vel diversificativa, quando deponunt de rebus diversis in specie vt vnus de adulterio, & alius de furto, vel quando dictum vnius destruit dictum alterius, taliter quòd opponantur testificationes illorum, vt si vnus deponeret Petrum, v. g. fuisse homicidum hora 11. tali loco, & alius deponeret, quòd eadem hora erat in diverso, aut distanti loco, vt contigit in facto Sanctæ Susannæ nihil probant. In omnino diversificativa idem contingit, quia duo, vel multi testes præditi hac singularitate eodem modo se habent, ac si esset vnus testis; nam reus suæ vitæ, & famæ possessor est, & cum in dubijs melior sit conditio possidentis; dictum vnius testis insufficiens est ad eum expellendum à sua pacifica possessione.

115 Noto 3. nec testes efficere plenam probationem, quando sunt singulares cumulativè. Ratio est clara, quia in criminalibus, in quibus probationes esse debent luce meridiana clariores ex pluribus probationibus imperfectis non consurgit vna perfecta. Ita Divus Thomas 2.2. *quæst.* 76. *art.* 2. sed si testes sunt singulares solùm cumulativè; scilicèt, quia vnus deponit de visu, alius de auditu, vel de fama, non faciunt plenam probationem, sed solùm dictum vnius adiuvat dictum alterius: ergo testes singulares cumulativè non faciunt plenam probationem.

116 Solùm enim procedit difficultas in præsenti de diversitate testium singularium in individuo, v. g. quando vnus testis deponit de vno delicto, & alius de altero eiusdem speciei, an plenè probetur dummodo testes sint omni exceptione maiores; nec enim est difficultas de omnibus delictis, sed de illis, qui sunt difficilis probationis, & perniciosis Reipublicæ, certum enim est, quòd secundũ ius canoni-

cum,

cum, & civile antiquum ex eo quòd testes singu lares sint quacumque singularitate præditi sufficienter no n probant delictum, ideòque in nostra Religione Minimor um determinatur in Capitulo Generali Valentiæ 4 *celebrato num.* 50. quòd si testes sunt singulares, etiam si omnes testificent de actibus eiusdem speciei, per testimonia eorum reus non est iudicialiter condemnandus. Ita etiam habent PP. Ordinis Prædicatorum Sancti Dominici, qui prævijs magnis, & doctissimis consilijs disponunt suas Constitutiones generales *Constit. 2. cap. 11.*

117 Noto 4. nullum reum posse puniri pœna ordinaria, etiam si delictum sit atrocissimum si sufficienter non probetur delictum, quamvis sit crimen hæresis. Probatur hęc notatio, quia vt delictum puniatur pœna ordinaria, taliter probatio debet movere animum Iudicis, vt prudenter iudicet tale delictum à reo fuisse commissum; quare non benè loquitur Trimarch. *disp. vlt. sect.* 5. *num.* 30. dicendo hoc esse verum in alijs delictis, sed non quando sunt difficilis probationis, vt contingit in crimine hęresis, & alijs sapiētibus hæresim, vt delictū solicitationis, quod enim nonsufficit ad probandū delictum fuisse cōmissum in alijs criminibus, neque in atrocibus potest movere ad credendum fuisse patratum, nam quod inducit vt Iudex intelligat crimen fuisse commissum non est gravitas delicti, sed probatio per testes, & adminicula, imò potius, quanto atrocius fuerit delictum requiritur maior probatio; itaque vt hæresis plenè probetur, probationes debent esse luce meridiana clariores, *cap. sciant cuncti 2. quæst. vlt. ex l. finali, cap. de probatione.*

118 Noto 5. quòd de iure regio plura delicta possunt puniri, & si tantùm probentur testibus singularibus, itaque *in l. 2.* statuitur, quòd si delictum sodomiæ probetur per tres testes singulares omni exceptione maiores, talitèr quòd quilibet deponat de vno actu particulari, & distincto reus, vt sodomita puniatur. Alterum est circa violationem secre-

creti servandi à Consiliarijs Regis, ad quod probandum sufficientes sunt tres testes singulares, & sic *in l. ff. 2.* dicit: *Mandamos que en este delicto de no guardar secreto, se tenga por probança bastante contra los que lo revelaren, probandose con testigos singulares.* Omnia ista disponuntur, quia aliàs ista delicta sunt gravia, & difficilis probationis, & alio modo impunita manerent; idem docent Auctores de vsurarijs, & defrangentibus sigillum confessionis.

119 Noto 6. quòd crimen non probatur sufficienter, etiam si sit hæresis testibus singularibus singularitate cumulativa. Probatur, quia singularitas cumulativa vt dixi, consurgit ex testimonio vnius testis de delicto, & alijs de opinione, & fama, vel de auditu; sed est contra ius naturale, quòd solùm per vnum testem de visu, & alijs solùm de fama delictum sufficienter probetur, nisi secum traherent talia indicia, quòd moverent animum Iudicis absque dubitatione ad intelligendum tale delictum fuisse à reo patratum: ergo crimen hæresis non probatur sufficienter per testes singulares singularitate solum cumulativa.

120 Nec valet dicere, quòd si crimen hæresis sufficienter probetur testibus singularibus singularitate cumulativa magis timeretur cõmittere peccatum hæresis, quia considerarent delinquentes esse puniendos minori probatione, quam alios criminosos. Respondetur, quòd favor fidei non admittit quòd iniustum est, & contra dictamen rationis; sed est iniustum & contra dictamen rationis, quòd Iudex procedat ad proferendã sententiam absque eo quod sufficienter sit convictus ad credendum delictum fuisse à reo commissum, & non potest convinci per testes singulares solùm singularitate cumulativa: ergo hoc non potest fieri in favorem fidei in crimine hæresis, & idem iudicium debet fieri in alijs delictis generantibus suspicionem in fide.

§. II.

§. II.
Proponuntur sententiæ, & sequenda eligitur.

121 NOtitiosus Pater Diana loquendo dé crimine hęresis 4. *part. tract.* 8. *resol.* 57. *vers. Dico* 11. Statuit pro conclusione, quòd ex multitudine testium singularium nemo vt hæreticus in pœnam ordinariam condemnari potest; itaque si quatuor vel plures testes omni exceptione maiores, quilibet deponit de suo actu hæreticali distincto non sufficiunt ad condemnandum aliquem pro hæretico ad pęnam ordinariam, citat pro hac sententia Pegñam *in Direct. part.* 3 *Comment.* 121. Beroium *in cap. licèt causam, nu.* 43. *de probat.* Grotum *de testib. part.* 7. *num.* 326. Roxas *de haret. part.* 2. *num.* 146. *& seqq.* Secundum istos Auctores nullum crimen sufficienter probatur testibus singularibus, & si aliter veritas haberi non potest, nunquam possunt puniri crimina talis conditionis pęna ordinaria.

122 D. Ioann. Escobar *part.* 3. *quæst.* 4. §. 2. *num.* 7. *& seqq.* duo statuit 1. *num.* 7. pro certo constituit, quòd crimen solicitationis potęst plenè probari per testes singulares citat Acuñam, *quæst.* 22. *nu.* 8. Ludovicum à Paramo *lib.* 3 *de orig. Inquis. quæst.* 10. *num.* 158. *& seqq & num.* 165. Bonacinam *de onere, & obligat. denunc. disp.* 6. *punct.* 3. *num.* 25. *versic. Obicies* 1. Nostrum Peyrinis *in Privileg Minim. Const.* 4 *Gregorij XV.* §7. *num.* 22. & postea *num* 11. dicit: Quòd nullum delictum per testes singulares in specie manet perfectè probatum, nec in genere, sed ex duobus, vel tribus singularibus testibus deducitur sufficiens, & verosimilis probatio ad credendum illum Confessarium patratum fuisse crimen solicitationis.

123 Meo videri in his apparet manifesta implicatio, si enim crimen solicitationis per testes singulares potest plenè probari, vt dicit *num.* 7. quomodo cum hac plena probatione componitur, quòd illud delictum, nec in genere, nec

in

in ſpecie maneat perfectè probatum per teſtes ſingulares? Et ratio horum eſt, quia ſecundum ius commune, idem eſt delictum eſſe plenè probatum, ac perfectè probatum; imo potius ex plena probatione deducitur perfectè delictũ fuiſſe probatum; ſed in ſententia huius Auctoris crimen ſolicitationis plenè poteſt probari per teſtes ſingulares: ergo perfectè probatur per dictos teſtes. Si ſecundum iſtum Auctorẽ per teſtes ſingulares non poteſt probari hoc delictũ perfectè, neque in genere, neque in ſpecie non probatur plenè; nam ad plenitudinem probationis ad minus pertinet probatio perfecta delicti in ſpecie.

124 Quòd autem hęc ſententia non poſſit ſuſtineri, probatur: ſi delictum per teſtes ſingulares non maneret plenè, & perfectè probatum, reus condemnaretur abſque eo, quòd eſſet cõvictus legitimis probationibus; ſed quòd aliquis damnetur abſque probationibus legitimis eſt contra ius naturale, quia expelleretur à poſſeſſione certa ſuæ opinionis per illegitimas, & dubias probationes, quod non eſt dicendum: ergo ſi delictum per teſtes ſingulares plenè non probaretur, reus condemnaretur abſque legitimis probationibus: ergo ſignum eſt, quòd delictum ſolicitationis plenè probatur per teſtes ſingulares.

125 Contra hoc ſtat praxis Tribunalis, quia licèt ſuſpicio de delicto non convincat delictum fuiſſe commiſſum, quando ſuſpicio eſt violenta reus propter ſuſpicionem damnatur, quod eſt commune apud omnes practicos in materia Inquiſitionis: ergo ſtat benè quòd per teſtes ſingulares ſolicitans non ſit convictus legitimis probationibus de delicto, & propter violentam ſuſpicionem damnetur.

126 Reſpondetur ſuſpicionem violentam ita cogere animum Iudicis, vt inferat vim, & neceſſitet intellectum ad iudicandum delictum fuiſſe commiſſum; quare ex eo quòd legitimè probetur ſuſpicio violenta, etiam manet legitimis probationibus convictus reus de delicto; ideoque ſuſpicio violenta, & delictum pro eodem reputantur in foro externo;

cum

cum enim ex tali suspicione iuris, & à iure delictum legitimè clareat, lex; quæ fundatur in præsumptione, præsumit delictum esse patratum, & ea parte, qua suspicio est violenta non admittit probationem in contrarium.

127 Sit conclusio: delictum solicitationis plenè, & perfectè probatur testibus singularibus singularitate diversificativa individui delicti, sed non speciei. Hæc conclusio deducitur ex dictis, & sub alijs terminis tradditur à Narbona *l. 1. glos. 2. num. 6. tit. 2. lib. 8. Recopilat pag.* 901. Probatur 1. ex ipsa Bulla Gregorij XV. hęc sunt verba: *Ne delictum tam enorme remaneat ob defectum probationis impunitum cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus concurrentibus, præsumptionibus, indicijs delictum esse probatum &c.* ergo statuit Summus Pontifex, quòd delictum solicitationis maneat legitimè probatum per testes singulares.

128 Respondet ad hęc D. Ioann. Escobar, quòd testibus singularibus nunquam perfectè probatur delictum, sed vt puniatur si sunt testes omni exceptione maiores pręsumitur probatum, & hoc statuit Summus Pontifex, quia alio modo delictum non posset probari, cum sit difficilis probationis; ideoque in his delictis nunquam imponitur pęna ordinaria, sed extraordinaria. Sed contra Summus Pontifex pro qualitate criminis solicitationis diversas pęnas taxavit; & inter eas ponit damnationem ad triremes, & si bene visum fuerit præcedente degradatione traditionem ad brachium sæculare, hæc est vltima pœna, quæ non potest imponi nisi delictum sit plenè, & perfectè probatum legitimis probationibus; sed dicit Summus Pontifex, quòd huiusmodi pœna potest imponi, si delictum sit probatum testibus singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indicijs &c. ergo quia per testes singulares, si sint maiores omni exceptione, hoc delictum plenè, & perfectè probatur.

129 Probatur 2. Nullus Princeps, nec etiam Summus Pontifex potest condere legem, quòd reus condemnetur in foro externo, nisi sit convictus legitimis probationibus, vel

confeſſus, & in *cap. Notum*, Præsbiter Chriſtophorus reſtituitur, quia fuit eiectus à ſua Eccleſia non convictus legitimis probationibus, nec confeſſus; ſed Gregorius XV. ſtatuit, quòd Confeſſarius ſolicitans condemnetur graviſſimis pœnis, ſi delictum teſtibus ſingularibus, & alijs adminiculis probetur: ergo quia his probationibus crimen ſolicitationis plene probatur; ac per conſequens hoc modo convincitur reus, quia aliàs talis lex eſſet iniuſta.

130 Confirmatur: Nullus Princeps poteſt ſua lege diſponere aliquid illicitum, quià ſi hoc faceret, lex eſſet irrationabilis, & iniuſta; ſed ſi delictum non eſt perfectè, & plenè probatum teſtibus ſingularibus, lex Pontificia, quæ diſponit, quòd puniatur talis reus eſſet iniuſta, & irrationabilis, quia eſt contra ius naturale quòd innocens damnetur, & in foro iudiciali, & externo innocens eſt qui non eſt convictus legitimis probationibus, aut confeſſus: ergo ne hoc dicatur, aſſerendum eſt, quòd delictum ſolicitationis plenè & perfectè probatur teſtibus ſingularibus.

131 Probatur 3. In his delictis pertinentibus ad fidem in ordine ad forum iudiciale non eſt negandum, quòd Summus Pontifex habet iuriſdictionem ad ſtatuendam formam, & modum probandi plenè delicta, melius ac Princeps Sæcularis, quia ſuam iuriſdictionem non accipit à populo, ſicut Princeps Sæcularis, ſed à Deo; ſed Princeps Sæcularis poteſt condere legem per ſe, quando populus abſque limitatione tranſtulit iuriſdictionem, quòd delictum plenè probetur teſtibus ſingularibus, & vt dixi, de facto eſt Statutum factum à Rege in Hiſpania de ſodomia, de violatione ſecreti ſervandi per miniſtros Regios, & de crimine læſſæ Majeſtatis: ergo cum crimina pertinentia ad fidem ſint læſſæ Maieſtatis Divinæ, bene poteſt Summus Pontifex ſtatuere, quòd iſta crimina (inter quæ eſt ſolicitatio in confeſſione) ſufficienter probentur per teſtes ſingulares; quia quòd probentur legitimè delicta per conteſtes omni exceptione maiores non eſt de iure naturæ, ſed de iure Canonico, & Civi-

Civili, contra quod potest Summus Pontifex disponere.

132 Probatur 4. probationes delicti ad hoc dantur, vt Iudici constet secundum allegata, & probata delictum fuisse commissum à reo, & sic eum convincat de crimine, & cogat sustinere pœnam à lege taxatam; sed ex eo, quòd Summus Pontifex determinet sua lege, quòd delictum probetur testibus singularibus sufficienter, ne crimen maneat impunitum, constat Iudici illud crimen fuisse commissum: ergo ex vi eiusdem legis iam reus est convictus, & potest cogi ad pœnam, quia semper, & quando Iudex operatur secundum legem pronunciando sententiam dicitur reus convictus, sicut è contra dicitur, quòd non est convictus, quando Iudex deviat à lege.

133 Probatur 5. efficaciter conclusio: testes singulares singularitate solùm diversificativa in loco, & tempore, quæ singularitas solùm se habet ex parte individuationis delicti, solùm admittuntur, vt sufficientes ad plenè probandum delictum solicitationis; sed isti testes singulares quo ad circunstantias pertinentes ad individuationem delicti sunt contestes ex vi legis, quia lex disponit, quòd contestetur in specifica ratione delicti. Vnde quamvis per istos testes non convincatur, quòd confessarius sit solicitans cum tali femina, v. g. si accedunt tres omni exceptione maiores, ex dispositione legis testes singulares contextant ad probandum legitimè talem Confessarium fuisse solicitantem, quia vnus testis deponens de vna solicitatione adiubat alium deponentem de alia, & è contra: ergo per testes singulares solùm singularitate diversificativa quo ad individuationem legitimè probatur delictum.

134 Confirmatur a paritate: ex iure Regio delictum sodomiæ plenè probatur per testes singulares deponentes de delicto sodomiæ si solùm in individuo sint singulares, v. g. quia vnus deponit de vno actu sodomiæ in horto, & alius de alio actu exercito in domo, quia licèt isti testes sint singulares quo ad individuum contextant quo ad speciem, & le-

gitimè probant esse Sodomitam: ergo similiter si vna fęmina contextat de solicitatione facta in Confessionario,& alia de altera facta in confessione Sacramentali, licèt sint singulares quo ad individum contextant quo ad speciem.

§. III.

Argumenta contraria, & corollaria.

135 Fundamentum 1. D. Ioann. Escobar ad probandum per testes singulares nunquam perfectè posse probari delictū, ad hāc formam reducitur: Si hoc delictum per testes singulares maneret perfectè probatum, hi probarent plenè speciem delicti; sed per testes singulares non potest probari plenè delictum in specie: ergo nunquam crimen solicitationis potest plenè, & perfectè probari per testes singulares. Probatur minor; sicut plenè non potest probari delictum in genere, nisi probetur species, quia delictum in genere non datur in rerum natura, ita nō potest probari plenè delictum in specie, absque eo, quòd probetur in individuo, quia delictum in specie sine individuo non datur in rerum natura; sed per testes singulares nullum delictum probatur in individuo plenè, cum de individuo solùm detur vnicus testis: ergo neque probatur plenè species delicti per testes singulares, etiam si sint plures omni exceptione maiores.

136 Respondetur ad argumentum, quòd licèt attento iure canonico, & civili antiquo nullum delictum plenè probetur testibus singularibus, taliter, quòd talis probatio sufficiens sit, vt reus maneat convictus in individuo; ex dispositione nova Summi Pontificis plenè probatur delictum per testes singulares non solùm in genere, & specie, sed etiam in individuo, quia ex tali dispositione resultat, quòd probatio vnius delicti in individuo adiuber probationem alterius, & è contra, & supposita hac dispositione, contextant illi testes ad speciem delicti probandam perfectè, taliter quòd reus maneat convictus.

137 Fundamentum 2. sic proponitur: vt hoc delictum ple-

plenè probetur, ex nova dispositione Pontificis non sufficiunt testes singulares: ergo per testes singulares non probatur perfectè crimen solicitationis Probatur antecedens: dispositio Pontificis est, vt hoc delictum non maneat impunitum ob defectum probationis, quòd sufficienter probetur, si cōcurrant testes singulares, præsumptiones, & indicia, hæc sunt verba: *Ne delictum tam enorme remaneat ob defectum probationis impunitum, cum difficilis sit probationis testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indicijs, delictum esse probatum*: ergo vt perfectè delictum hoc probetur, vltra testes singulares debent concurrere alia adminicula.

138 Respondetur hoc argumentum solùm convincere non sufficere duos testes singulares solùm, vt plenè hoc crimen probetur, quod quidem fateor; ideòque in dicto casu, vt plenè, & perfectè reus sit convictus oportet, quòd concurrant alia adminicula, vt dixit Summus Pontifex, sed ita possunt multiplicari testes singulares, quòd nulla sit indigētia aliorum indiciorum; nam quilibet testis singularis in hoc casu, de eodem delicto est novum indicium, & maximum; quia vnus testis omni exceptione maior est taliter indicium, quòd facit semiplenam probationem.

139 Totum hoc confirmatur doctrina eiusdem D. Ioan. del Corro, qui arguit Sousam de inconsequentia, quia iste Magister dixit *cap.* 11. *num* 14 *& seqq.* quòd crimen solicitationis non potest plenè probari per testes singulares; & postea in quæst. de testibus singularibus, quæ habetur in fine suorum aphorismorum Inquisit. defendit crimen hæresis posse probari perfectè per testes singulares, qui deponant de diversis actibus observationis eiusdem legis, aut sectæ; ideòque dicit Escobar *num.* 19. quòd in primo loco debet intelligi, crimen solicitationis non posse probari plenè per testes singulares ex iure communi, vel quo ad probationem regularem aliorum delictorum, non verò quo ad probationem irregularem: ergo iam admittit Escobar, quòd ex dispositione particulari Summi Pontificis crimen hæresis ple-

nè,

ne,& perfectè probatur per testes singulares; sed idem indicium, & eadem dispositio Pontificia fit de probatione criminis solicitationis: ergo etiam plenè, & perfectè probatur testibus singularibus.

140 Gregorius XV. in suo decreto Pontificio statuit, quòd cum testibus singularibus, ad Confessarium solicitantem condemnandum, concurrant indicia,& præsumptiones: ex quo infero, quòd ista indicia solùm sunt necessaria ad plenè probādum hoc delictum,quando numerus testium singularium est parus, non autem quando est magnus, & testes sunt maiores omni exceptione,nam [illegible] multi testes singulares, melius probant, quam indicia, & adminicula; dummodo nō sint evidentia,vel indubitabilia,ac perconsequens tam magnus potest esse numerus testium singularium, quòd sufficiat etiam ad traddendum solicitantem brachio seculari,si ita postulat gravitas delicti (de qua postea). quod est contra D. Ioann. Escobar loco citato num.24 quia existimat ad hanc pœnam imponendam semper esse necessaria indicia,& præsumptiones.

141 Nunc occurrit aliquod dubiolum; nempè quæ indicia, & præsumptiones erunt sufficientia cum testibus singularibus, quando non est magnus numerus testium, ad cōdemnandum Confessarium, vt solicitantem? Respondeo, quòd hoc relinquitur Iudicum arbitrio, vt est expressum in Constitutione Gregorij XV. constat ex illis verbis: *Delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi*; & probatur *ex l. 3. vers. Tu magis de testibus cum similibus vulgatis*; sed sentio secundum eandem Constitutionem,quòd quando testes singulares non sufficiunt ad condemnandum reum ad minus requiruntur duo adminicula,quia Summus Pontifex loquitur in plurali,hæc sunt verba: *Concurrentibus præsumptionibus indicijs,& alijs adminiculis.*

142 Sed quæ adminicula possunt concurrere ad iudicandum Confessarium fuisse solicitantem? Respondetur, quòd plura possunt esse: scilicèt integritas testium,suspicio

Con-

Confessarij in rebus venereis, frequentia loquendi secreto cum solicitatis, sivè in Confessionali, sivè in earum domibus, si testis qui inter confitendum indecens verbum à Confessario audierit, confessio extraiudicialis, nuncia, missio munerum, & alia similia, quia cũcta referre est difficilimum. Advertant Confessarij ad illud indicium de alloqutione frequenti in confessionario, & in alijs locis cum filiabus cõfessionis, vt abstineant à colloquijs continuis, quia pręterquam quòd est periculum in frequenti communicatione cum fęminis, ex illa oritur præsumptio, si alia concurrant contra vitã, & opinionem Confessarij.

143 Infero 1. quòd licèt requiratur plena probatio, vt pœna ordinaria imponatur Confessarijs solicitantibus, quæ probatio non potest haberi per testes singulares singularitate adminiculativa; vt autem aliqua pœna extraordinaria imponatur sufficit; quòd delictum hoc modo probetur. Probatur, quia quando delictum probatur per testes singulares singularitate adminiculativa, delictum debet semiplene cõstare per vnum testem omni exceptione maiorem, & aliunde plenè debet probari, quòd huiusmodi Cõfessarius est malè opinatus in illo genere delictorum; sed tunc sententia primariò tendit ad puniendum huiusmodi Cõfessarium, vt criminosum, quòd probatur plenè, & secundariò ad puniẽdum illum pœna extraordinaria, vt solicitantem, quia hoc enorme crimen est plusquam semiplenè probatum per vnum testem de delicto in particulari, & alios de mala fama Confessarij: ergo per testes singulares singularitate adminaculativa potest imponi Confessarijs pœna extraordinaria.

144 Infero 2. quòd si testes deponunt de re permanenti, etiam si diversificentur in tempore non dicuntur ad speciem delicti probandam singulares, sed contestes; dummodo res taliter permanens sit, quòd variari non possit moralitèr loquendo in diverso tempore, & loco Ita Thomas Sanch. *lib 6. consil. cap. 5. dub. 12. num. 13.* Sylvester *verb. Testis, quæst. 3.* Azorius *p. 3 lib. 13. cap. 27. dub. 7.* Plura sunt exempla

in varijs materijs. Si enim vnus testis diceret, se vidi ille Petrum excommunicatum dixisse in Missa Gloria in excelsis,& alter quòd dicebat Evangelium, isti sunt contextes ad probandum Petrum esse irregularem;& si vnus per foramē prius videret aliquem Iudaizantem, & post illum alius idem videret sunt contestes; similiter si aliquis Confessarius ingrederetur cubiculum feminæ ad administrandum Sacramentum Pœnitentiæ, & vnus prius videret inhonesta exercere, & postea alius, isti sunt contextes ad probandum delictum, quia licèt habeant diversitatem in tempore sunt de re permanenti moralitèr respectu cuius sunt contextes, & etiam potest dici quòd sunt contextes in tempore, quia licèt tempus phisicè sit diversum est idem moralitèr, cum cótinuetur idem crimen.

145. Infero 3. contra Thomam Hurtado, quòd Religio in Capitulo Generali non potest condere statutum disponens, quòd delicta plenè probentur testibus singularibus, nisi sit circa delicta difficilis probationis, & gravissima, de quibus iam est Constitutio Pontificia, quòd plenè probentur in alijs Tribunalibus testibus singularibus. Probatur, quia Religio non potest condere legem oppositam iuri communi,& Canonico; sed vt dixi est de iure communi,& Canonico, quòd delictum non probetur plenè testibus singularibus: ergo si statutum non versatur circa crimina, de quibus est Constitutio Pontificia, quòd sufficienter probentur testibus singularibus in alijs Tribunalibus, nō potest fieri à Capitulo Generali.

146. Nec convincit contra istam rationem, quòd tradit Thomas Hurtado *tract. 4. cap. vnic. resol. 11. num. 1086.* scilicèt, quòd Societati Iesv est concessum magnum privilegium à Paulo III. confirmatum à Iulio III. & à Gregorio XIII. quòd leges factæ in Capitulo Generali, aut faciendæ, postquam factæ sunt, aut antiquæ, de novo etiam in totum mutatæ eo ipso Apostolica auctoritate confirmatæ censeantur, vt refert Eximius Doctor *tom. 4. de Relig. lib. 2. de in-*

ingressu, cap. 2. *num*.4. quod privilegium habent omnes Religiones, in quibus est Bulla communicationis, quæ communicatio concessa est specialiter nostræ Religioni Minimorum per Bullas *Sixti IV. Iulij II. & Vrbani VIII.* ergo si Religio in Capitulo Generali statuit, quòd aliquod delictum sufficienter probetur per testes singulares est lex firma, & valida, vtpotè confirmata per Sedem Apostolicam.

147 Respondetur ad hanc instantiam secundum principia solidiora, quòd illud, quod opponitur iuri communi, & canonico per clausulas generales nec derogatur, nec conceditur à Summis Pontificibus, & præcipuè quando est pœnale, & potest cedere in damnum tertij; cum autem hoc quòd delictum sufficienter probetur per testes singulares sit contra ius commune, & canonicum, & à Summis Pontificibus, & à Regibus solùm sit dispensata forma probandi per contestes in criminibus gravioribus, & difficilis probationis, & constitutio possit esse in præiudicium tertij, etiam si generaliter confirmentur leges Capituli Generalis factæ, & faciendæ, in hac generali concessione non comprehenduntur illa, quæ opponuntur iuri communi, & Canonico, sicut opponitur probatio per testes singulares; solùm enim hoc potest habere locum in illis delictis atrocissimis difficilis probationis, de quibus iam est concessum privilegium aliquibus Tribunalibus.

QVÆSTIO IIII.

Quibus pœnis sint puniendi Confessarij solicitantes.

§. I.

Pœnæ Pontificiæ, & aliqua notabilia referuntur.

148 VT autem recto ordine procedam primo ponam verba Bullę Gregorij XV. in quibus variæ pœnæ contra Confessarios solicitantes stabiliuntur;

hæc sunt verba: *Et quos in aliquo ex huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circūstantijs, suspēsionē ab executione Ordinis, privationis, beneficiorū, dignitatū, & officiorū quorumcumq; ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, & passivæ, si Regulares fuerint, exilij; dānationis ad triremes, & carceris etiam in perpetuū absque vlla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant. Eos quoque si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, curiæ seculari puniendos traddant.*

149 Istæ novem pœnæ sunt taxatæ in lege Pontificia, scilicèt suspensio ab executione Ordinis, privatio beneficiorum, dignitatum, aut officiorum, & perpetua inhabilitas ad alia obtinenda, privatio vocis activæ, & passivæ, exilium, damnatio ad triremes, incarceratio, degradatio, & tradditio brachio seculari, quæ sunt applicandæ per DD. Inquisitores per distributionem accomodam secundum maiorem, vel minorem gravitatem delicti solicitationis; quare si delictum est sufficienter probatum debent imponere Confessario aliquam, aut aliquas ex prædictis pœnis iuxta meritum delicti, & vltra dictas pœnas ex Pontificibus habent facultatem ad alias arbitrarias taxandas, si videbitur eis expediens pro qualitate, & conditione criminis, & Confessarij.

150 Hoc posito pro praxi aliqua sunt advertenda, & primo, quòd licèt solicitatio sit apud Deum enorme sacrilegium, & perniciosissimum Ecclesiæ, & fidelibus; in ordine ad forum iudiciale quadrupliciter potest considerari, ad eum modum quo DD. considerant culpam; itaque secundum istam considerationem, alia est solicitatio levis, alia gravis, gravior, & gravissima, quibus correspondet pœna levis, gravis, gravior, & gravissima. Pœna levis est quæ datur non formato processu, & pro vnica solicitatione, quam Confessarius spontè confitetur, & tunc absque incarceratione extraiudicialiter, vt dicit noster Trimarch. *disp. vlt. sect. vlt num.* 51. imponuntur secretò aliquæ salutares pœni-

nitentiæ Confessario, vt sunt ieiunia, recitationes Psalmorum, disciplinæ, & alia huiusmodi, sed hoc rarò practicatur in Inquisitione Hispanica, quia frequenter causa suspenditur, & ad summum monent Confessario, ne audiat confessiones præcipuè fęminarum.

151 Pœna gravis est, quæ correspondet solicitationi gravi, & est quando Confessarius est convictus per sufficientes probationes, quòd solicitavit verbis æquivocis in confessione, aut in confessionali, aut in alio loco simulando cõfessionem ad actus inhonestos, oscula, & similia, aut ductus vehementi passione ad actum consumatum, vel ad mollitiem, quæ non fuit sequta; postea agam de pœnis correspondentibus huic solicitationi gravi.

152 Pœna gravior imponitur, quando solicitatio est gravior, & stabilitur, quãdo probatur, quòd Confessarius est assuetus ad patrandum delictum solicitationis, & multo tempore perseveravit in eo cũ magno scandalo pœnitentiũ, & quãdo fuit punitus per DD. Inquisitores, & nõ acquievit; huic solicitationi debetur pœna gravior. Pœna gravissima correspondet gravissimæ solicitationi, de qua postea in suo loco. Sed pro nunc sufficit scire, quòd hæc pœna gravissima continetur in Bulla Gregorij XV. quæ est degradatio, & tradditio brachio sęculari, & nullo modo hęc pœna est applicanda, nisi in casibus expresis in iure, vt tenet Glossa *in cap. Apostolus* 81. *dist. in lit. P.*

153 Secundo maximè est advertendum, quòd ad hoc vt imponatur, etiam infima pœna iudicialiter non solùm in hoc delicto, sed etiam in omnibus pertinentibus ad Sanctum Officium debet attendi, quòd probationes sint sufficiẽtes, taliter quòd per illas reus sit plenè convictus, quia quęlibet pœna iudicialiter imposita in Sancto Officio, quamvis solùm sit recitatio vnius psalmi est gravis, vtpotè denigrativa personæ; & si ad incarcerandum, vt dixi, oportet quòd detur plusquam semiplena probatio, quia iam incarceratio est denigrativa, cum sit magis denigrativa quælibet pœni-

tentia iudicialis non debet imponi absque plena probatione secundum qualitatem delicti.

154 Antequam descendamus ad alias pœnas; cum degradatio realis, & tradditio brachio sæculari merito assignetur à SummoPontifice pro pęna gravissima correspondente gravissimæ solicitationi, est advertendum 3. quòd hæc pœna raro potest imponi, etiam si solicitatio ad venerem sit gravissima; dummodo non concurrant aliæ circunstantię, quia solicitans, aut est in Italia, aut in Hispania, in Italia solùm est suspectus de vehementi, in Hispania de levi; degradatio,& tradditio brachio Sæculari, neque est pœna,quę imponitur in Tribunali pro suspicione de levi, nec de vehementi, & sic necessum est, quòd concurrant aliæ circunstantiæ, vel alia delicta mixta cum solicitatione;quare oportet scire, in quibus casibus hæc gravissima pœna sit imponenda, quia habetur in Bulla Gregoriana, & non est facile scire quando potest imponi.

155 Pro quo adverto quarto pro regula generali, quòd si solicitatio dirigatur ad speciem luxuriæ, cui in iure pœna degradationis imposita est, & actu patretur poterunt Inquisitores Confessarium degradare,& eum traddere brachio Sæculari, sicque si solicitatio esset in confessione ad actum sodomię, & consummatur, Confessarius est degradandus, & traddendus brachio Sæculari; non autem si deveniant ad actum proximum sodomiæ, & non perficiatur, quia in hoc casu non est locus ad pœnam ordinariã. 2. si Confessarius, qui solicitavit ad turpia in confessione inveniatur hereticus, quia existimabat esse licitum solicitare in confessione; si sit relapsus, negativus, aut impœnitens, etiam potest, & debet degradari, & traddi brachio Sæculari. 3. si Confessarius est ter correctus per DD. Inquisitores, & privatus ab audiendis confessionibus, & nihilominus eas audit, & solicitat; iste vt incorregibilis potest traddi brachio Sæculari. 4. etiam est traddendus brachio Sæculari Confessarius, qui occidit personam solicitatam in actu Sacramentalis confessionis, vel

quia

quia non consensit, vel ne denunciet in Sancto Officio; sed intelligo quòd in Inquisitione Hispanica hæc pena nō practicatur nisi contra hæreticum relapsum, impęnitentem, aut negativum.

156 Advertendum est 5. quòd Iudices ad puniendum maiori, vel minori pęna hoc delictum dèbent attendere ad scandalum, & malum exemplum proveniens ex solicitatione, nam quantò maius fuerit, maior erit pęna; & caveant Iudices ne imponant Confessarijs propter crimen solicitationis publicas pęnas. 1. propter scandalum obuenturum fidelibus. 2. ne parentes filias, & mariti vxores arceant à frequentia Sacramenti Pęnitentiæ agnoscendo, quòd lascibi Confessarij faciunt in confessione. 3. ne detur occasio hæreticis irridendi tantum Sacramentum his temporibus ab eis impugnatum. His enim generaliter prælibatis descendamus ad pęnas, quæ aplicantur particularibus solicitationibus. Pro quo sit.

§. II.

De pœnis, quibus puniuntur in Sancto Officio Confessarij solicitantes.

157 POENA magis consueta in Sancto Officio pro crimine solicitationis est privatio ab audiendis confessionibus, non solùm fœminarum, sed virorum. Sed antequam ad alia deveniam circa istam pęnam adverto, quòd ex decreto Supremi Senatus, Inquisitores particulariū Tribunalium debent imponere hanc pœnam non ad tempus, sed in perpetuum, ita habetur in vna Epistola Supremi Cōsilij missa ad omnes Inquisitores Hispaniç anno 1600. Sed Scobar à Corro *part.* 3. *quæst.* 4 § 1. dicit suo tempore vidisse Confessarium suspensum per sex menses ab audiendis confessionibus fœminarum; alium per biennium, & aliū per quinquenniū; neque hoc est contra decissionē, & praxim Inquisitionum particularium, quia Supremum Inquisitionis

Con-

Consilium cum in his materijs sit Princeps Supremus potest dispensare in suo decreto, quod non possunt facere Inquisitores particulares. *Ita Diana 4. part. tract. 7 resol. 7*

158 Hæc enim pœna imponitur omnibus solicitantibus non solùm pro gravioribus solicitationibus, verum etiam pro gravibus, & cum maxima iustificatione; quia secundum ius, quilibet debet puniri in eo Officio, quo deliquit, vt constat ex *l. si aliquid 12. C. de susceptoribus lib. 10.* sed Cõfessarius solicitans deliquit Officio Confessarij: ergo debet puniri tollendo ab eo Officium, sicut fit in qualibet communitate, qui enim deliquit Officio, eo privatur. Quare hæc pœna imponitur Confessario non solùm solicitanti cum effectu sequuto in actu Sacramentalis Confessionis, sed etiam si solicitet immediatè antè, vel post, prætextu, aut occasione confessionis, ipsa confessione non sequta, aut in Confessionario, aut in quocumque loco, vbi confessiones Sacramentales audiuntur, aut electo ad audiendam confessionem, simulando confessionem, etiam si solicitatio sit tantùm gravis, sicut si solicitaret in confessionali, aut prætextu, & occasione confessionis, &c. ad tactus, oscula, & similia, aut in confessione verbis, aut factis non plurimum obscęnis, vt si velicaret brachium, attrectaret pedem, vel manum, &c.

159 Præter istam pęnam, quæ transcendentalis est in omnibus solicitationibus ad turpia, quando solicitatio est tantum gravis, ad quam classem reducuntur solicitationes enumeratæ num. antecedenti; nempe quæ fiunt extra Sacramentum Pęnitentiæ verum, & quando intra confessionem Sacramentalem solicitatio est solum attentata; quia solicitatio, quæ fit in ipsa confessione Sacramentali maior iniuria est Sacramento, quam quæ in absentia illius perpetratur; sicut gravior iniuria reputatur, quæ pronunciatur coram Principe, quam illa, quæ dicitur in absentia illius, licèt vtraque sit iniuria Principis. Vltra privationem à confessionibus audiendis pro his solicitationibus imponuntur aliæ pęnitentiæ salutares; nam Confessarius in Hispania abiurat de levi,

vi, & in Italia de vehementis ad hanc abiurationem, vt pôsttea dicam, sequitur privatio Officiorum, inhabilitas perpetua ad illa, & privatio vocis activę, & passivæ, recluditur in Monasterio per aliquod tempus, in quo, in choro, & refectorio tenet vltimum locum, & etiam condemnatur ab Inquisitoribus, vt sententia cum meritis legatur in Monasterio coram omnibus Religiosis, exceptis novitijs, cum disciplina circularis; istæ pęnitentiæ aliquando agravantur, vel diminuntur secundum qualitatem delictorum ad arbitrium DD. Inquisitorum.

160 Antequam ad alias pœnas transeamus circa dicta se offert aliqua difficultas, in Hispania Confessarij solicitantes abiurant de levi, quia tale crimen generat suspicionem in fide de levi; difficultas enim est, an non solùm Cõfessarius solicitans simulando confessionem, vel prætextu, & occasione confessionis debeat abiurare de levi, sed etiam qui solicitat in Confessionario, vel vnicè deputato ad audiẽdas confessiones, vel promiscuo ad vrbanè loquendum, & ad confessiones audiendas? Cæsar Carena docet *2. part. de Confess. solicit tit. 6 § 16. num. 78 & seqq.* quòd etiam si tenore Bullæ Gregorij XV. cognoscant DD. Inquisitores, & procedant contra crimen solicitationis in Confessionario; Confessarij ibi solicitantes non debent abiurare de levi, citat pro hac Sousam *in Aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 34. nu. 68. & in suo opuscul. de Confes. solicit. ad Bullam Gregorij XV. numer. 15. & 16.*

161 His non obstantibus est resolvendum, quòd huiusmodi Confessarij, aut solicitent in Confessionario vnicè deputato ad audiendas confessiones, aut in confessionario promiscuo abiurant de levi; hodiè in hac materia non est dubium, quia ita in praxi inviolabiliter observatur in nostra Inquisitione Hispanica; & independenter ab hoc stillo hanc resolutionem defensant Diana *4. part. tract. 5. resol. 50. vers. Quoad alios verò casus, & tract. 7. resol. 7 vers. Verùm an probabiliter,* & D. Ioan. Escobar *1. part. quaest. 1. num. 15. & 16.* Et

ratio Dianæ meo videri est efficax; quia solicitatio in confessionali includitur in Bulla, sicut alij casus, pro quibus Confessarij solicitantes abiurant de levi, quia de omnibus dicit Summus Pontifex eodem tenore verborum, quòd generant suspicionem de mala credulitate; sed in alijs casibus contentis in Bulla Confessarij solicitantes abiurant de levi: ergo etiam Confessarius, qui solicitat in confessionario, sive sit vnicè electo ad audiendas confessiones, sive promiscuo debet abiurare de levi.

162 Secundo addit idem Diana aliud argumentum, quòd multum iubat ad intelligendum, hanc esse mentem Summi Pontificis, quia attestatur iste Auctor, quòd his Confessarijs imponitur abiuratio in Romana Inquisitione, ex cuius praxi sumitur efficax argumentum; nam non potest negari, quòd in Romana Inquisitione rectè practicatur intentum Pontificum, quia omnes Constitutiones Pontificiæ, ibi expediuntur, & intimantur, & si aliqua difficultas occurrit circa intelligentiam verborum statim communicatur cum Supremo Pastore, & dicitur; sed Pater Diana attestatur, hũc esse stillum in Inquisitione Romana: ergo quia intentum Summi Pontificis est, quòd huiusmodi Confessarij solicitantes abiurent in Sancto Officio.

163 Ad hanc rationem respondet Carena, quòd non debet terrere attestatio Patris Dianę, quòd ista observetur in Inquisitione Romana, quia P. Diana solùm erat versatus in materijs Inquisitionis siculæ, quare de practica illius Tribunalis potest attestare cum omnimoda securitate; non autem de stillo Inquisitionis Romanæ. Sed contra: verum enim est, quòd si aliquis Auctor, v. g. solùm curaret de practica Inquisitionis Hispanicæ, solùm de stillo illius posset attestare; sed Pater Diana de omnibus Tribunalibus, & Regnis habuit exactam notitiam, aut per epistolas, aut per libros, vt constat ex suis operibus, & meliùs de Inquisitione Romana, quia tẽpore Innocentij X. fuit Romæ, & ibi habuit perfectam notitiam, quomodo Inquisitores Supremi Tribunalis Romæ practicabant casus Bullæ Gregorianæ.

3. Po-

164 3. Potest probari alia ratione efficacissima: Gregorius refert, & confirmat Bullam Pij IV. & facit vnam determinationem ex hac Bulla, & suis additamentis; sed Confessarij comprehensi in Bulla Pij IV. sunt suspecti in fide in omnibus casibus ibi expressis: ergo etiam in additis per ipsum Gregorium; quia sunt comprehensi sub vnico contextu, & vnica terminatione terminati. Constat ex *l. iam hoc iure de vulgari*, *l. Quamvis*, *C. de impub.* Solùm enim poterat esse difficultas de Confessario solicitante in Confessionario promiscuo, sed hodie hoc dubium est decisum, quia ex praxi Inquisitionis Hispanicæ etiam abiurat de levi.

165 Contra hanc vltimam rationem arguit Carena *nu.* 82. a paritate. Ratio quare etiam in hoc casu Confessarij solicitantes debent abiurare de levi est, quia Gregorius XV. dicit, quòd in omnibus casibus ibi expresis procedant Inquisitores, & Ordinarij sicut in causis fidei; sed ex hoc non sequitur, quòd in omnibus casibus contentis in Bulla debeant abiurare de levi, sed intelligitur solùm quo ad modum procedendi, sicut enim in Inquisitione Lusitaniæ Inquisitores habent commissionem specialem Summorum Pōtificum procedendi contra Sodomitas cum hac clausula speciali in Bulla Gregorij XIII. expedita die 13. Augusti, anni 1574. *sicut in causis fidei*, idem dici potest de Inquisitoribus huius Regni Aragoniæ, Valentiæ, & Chataloniæ, quia pro illis etiam est Bulla Pontificia: ergo ex eo, quòd Summus Pontifex dicat, quòd Inquisitores procedāt in omnibus casibus contentis in Bulla, sicut in causis fidei non infertur, quòd in omnibus casibus Confessarij debeant abiurare de levi.

166 Respondetur esse verum, quòd dicitur in argumēto de Sodomitis, scilicèt habere facultatem Inquisitores ad procedendum contra illos per concessionem specialem pontificiam, prout in causis fidei, solùm quo ad modum procedendi, quia talis facultas non fundatur in suspicione contra fidem; at verò omnes casus contenti in Bullis per-

tinentes ad crimen ſolicitationis fundãtur in præſumptione, quòd Confeſſarij talia exercentes malè ſentiãt de Sacramento Pœnitentiæ, vt conſtat ex tenore Bullæ Pij IV. confirmatæ, & ampliatæ per Gregorium XV. & cum ſub eodem tenore verborum ingrediatur ſolicitatio extra occaſionem confeſſionis in Confeſſionario; hinc eſt, quòd ſolicitans hoc modo etiam eſt ſuſpectus de levi; ac per conſequens etiam debet abiurare de levi.

167 Circa ſuſpenſionem ab audiendis confeſſionibus, inter alia, duo advertit doctiſſimus Carena *part. 2. tit. 6. de Confeſſ. ſolicit.* §. 18. & ſunt conformia ad ea, quæ dixi in notabilibus. 1. advertit *num. 9.* quòd quando Confeſſarius, neque eſt confeſſus, nec convictus de ſolicitatione, ſed tantummodo aliquibus probationibus, & indicijs gravatus, quòd tunc poteſt ſuſpendi ad tempus ab audiendis confeſſionibus ad arbitrium Inquiſitorum, & teſtatur, quòd ita pluries diſpoſuit Sacra Congregatio; & ratio huius eſt, quia pœna ſuſpenſionis à confeſſionibus audiendis potiùs reſpicit favorem Sacramenti, quam pœnam Sacerdotis. 2. quia etiam hæc pœna poteſt imponi Confeſſario ſolicitanti ſponte comparenti propter eandem rationem. Sed advertit, in hac materia eſſe procedendum cum magna circunſpectione, vt privilegia ſponte comparentium maneant illæſa, & ſic dicto Confeſſario in tali caſu poteſt iniungi, vt confeſſiones non audiat, niſi neceſſitatus à ſuis ſuperioribus, & atteſtatur ipſe Carena, ita fuiſſe practicatum in ſua Inquiſitione in caſu gravi ex ordine Sacræ Congregationis.

§. III.

De alijs pœnis imponendis Confeſſarijs ſolicitantibus.

168 IN Bulla Gregorij XV. dicitur, quòd poſſunt DD. Inquiſitores imponere pœnam depoſitionis, & privationis beneficiorum, dignitatum, officiorum, & in-

inhabilitatis ad illa; hæc enim pœna correspondet graviori solicitationi, quia importat infamiam iuris textus *in l. qui cum viro 4. §. ex Auctor. de re milit l. Iudices 12. C. de dignitatibus lib.12.* Sed est advertendum, quòd inter depositionem, & privationem beneficiorum est differentia, nam privatus à beneficio non percipit fructus, sed potest exercere spiritualia beneficij; at verò depositus est privatus a beneficio, eius fructibus, & exercitio Sacrorum.

169 Hæc enim pœna depositionis imponitur in iure contra Clericum cognoscentem carnaliter suam spiritualem filiam, sivè sit filia spiritualis per Baptismum, sivè per Sacramentum Pœnitentiæ. 2. contra Clericos adulterantes. 3. contra Clericum incestum committentem. 4. contra committentem sacrilegium non solùm ex sua parte, sed ratione personæ, quam carnaliter cognoscit, vel quia peccatum exercetur in loco sacro; sicut si misceretur carnaliter cum Moniali, vel si effunderet semen, aut haberet copulam in Ecclesia cum qualibet fęmina. 5. per strupum commissum à Clerico hęc pœna imponitur. 6. hæc depositio habet locũ in quolibet crimine gravi, quòd relinquitur arbitrio Iudicum, sed hoc arbitrium debet regulari per noviores Canones, non autem per antiquiores, vt constat *ex cap. fraternitatis 7. in ordine 34. distinct.*

170 Si autem cum solicitatione misceatur aliqua ex his circunstantijs possunt DD. Inquisitores imponere hanc pœnam Confessarijs solicitantibus, quia sunt Iudices in his delictis, vt si patrentur, aut in confessione Sacramentali, aut immediatè ante, vel post, quia non solùm pertinet ad Inquisitores punire ista delicta, quia generant suspicionem in fide, sed quia ratione connexionis talia sunt. Præterea, quia delictum, & suspicio nõ possunt separari, cum suspicio oriatur ab ipso delicto commisso in confessione: ergo neque debent separari quoad delicti cognitionem, & punitionem; ac per consequens non solùm pertinet ad DD. Inquisitores cognoscere de suspicione, sed etiam de ipso de-

licto, & eum punire eadem pœna disposita in Sacr is Canonibus ad arbitrium illorum, quia ita determinavit Gregorius XV.

171 Si enim DD. Inquisitores, quia ita postulat gravitas delicti, possunt imponere pœnam depositionis, multò meliùs pœnam suspensionis, cum sit minor; hæc enim pœna specialitèr habet locum, quando Confessarius solicitat suam concubinam pluriès in confessione; nam vt constat ex Concilio Tridentino *sess.* 24 *de reformat. cap.* 14. pœna suspensionis correspondet Clerico concubinario, & licèt aliæ pęnæ sint expressæ in iure, hęc est frequentior, ideòque pro prima vice admonetur, & arbitrariè punitur, si reincidit privatur à fructibus beneficiorum per tres menses, & si tertio cadit, & nō emēdatur privatur omnibus beneficijs, officijs, portionibus, & pēsionibus. Hæc pęna sicut antecedēs non est in vsu in Sancto Officio; sed non dubito, quòd potest imponi, cum sit expressa in Bulla; & deinde in ipso decreto Gregorius XV. dat facultatem Inquisitoribus ad alias pęnas imponendas.

172 Magna enim cum difficultate in Sancto Officio hæc pęna valet imponi, quia in Sancto Officio solicitantes privantur perpetuò ab audiendis Confessionibus; quare non datur occasio ad reincidendum, nisi Confessarius esset inobediens, & pertinax, & postea reincideret audiendo confessiones suæ concubinæ, & eam solicitando. Solùm existimo, quòd in vnō casu hæc pęna esset imponenda, scilicèt si propter concubinatum ab ordinario esset iam admonitus Confessarius, & ne incideret in pęnam suspensionis, in confessione vera, aut simulata solicitaret concubinam; quia tūc ratione suspicionis punire Confessariū pro illo delicto pertinet ad DD. Inquisitores, & cum hæc pęna sit imposita in iure, si aliud non obstat, debet puniri suspensione per Sanctum Officium.

173 Idem Gregorius XV. determinat in sua Bulla, quòd DD. Inquisitores pro crimine solicitationis possint

damnare Confessarios ad triremes, quòd fuit practicatum in Sancto Officio, vt refert Castrus Palaus *tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 11. num. 2. in fin.* Maior difficultas est in quibus casibus, & delictis possit imponi hæc gravissima pęna, in quo nihil certum potest constitui, quia non est facile ponere regulam generalem, ideòque hæc pęna sicut aliæ relinquitur arbitrio DD. Inquisitorũ; solùm enim debet exequi talis condemnatio, quando solicitatio est gravissima, & potest applicari, si Confessarius est maximè diffamatus, & pluriès monitus, & semper contra obedientiam Tribunalis prosequitur confitendo, & solicitando.

174 Etiamque hæc pęna potest imponi, quando solicitatio est cum horrenda iniuria Sacramenti Pęnitentiæ, vt si Confessarius in confessione solicitaret sorores, aut si desfloraret virgenes, vt refert D. Ioann. Escobar loco citato, §. 3. *num.* 4. de quodam Confessario, qui matrem, & tres filias virgines cognovit in actu Sacramentalis confessionis, & tres virgines strupavit, fuit enim damnatus ad triremes. Etiã que hæc pęna potest imponi, si Confessarius in actu Sacramẽtalis confessionis frequenter, & quasi ex officio habet res obscęnas cum filiabus spiritualibus.

175 Contra istam sententiam arguit Seraphinus Freytas ad Acuñam *quæst. 24. num. 43. & seqq.* Confessarij solicitantes etiam pro gravissimis solicitationibus, numquam publicè puniuntur, ne publicetur hoc delictum cum scandalo maximo fidelium, sed si damnarentur ad triremes, hoc delictum publicaretur, & aliundè est indecens, quòd viri Deo dicati, exponantur inter sentinam pessimorum, vbi peiores redduntur; quare noster Peyrinis de subdito *tom. 1. quæst. 1. de obedient. cap. 27. pag. 345. versic. Sed quoniam in fin.* hæc habet verba: *Fateor tamen, quòd meliùs esset, tum pro Religionibus, tum pro istis sceleratis, qui propter facinora perpetrata fiunt digni, vt ad triremes eiciantur, eos ad perpetuos, & duros carceres compedibus, disciplinis, & inedia torquendos condemnare; sic enim de illorum salute, & correptione posset sperari.*

Et

176 Et postquam idem Peyrinis loco citato monet Prelatos, quod quantum fieri potest avertantur ab impossitione huius pœnæ *vers. Dico 2.* hæc scribit: *Si quandoque esset Religiosus ad triremes damnandus, deberet condemnari, vel in perpetuum, vel si tantam non meretur pœnam, vt finito tempore habitu maneat expoliatus, ita vt ad Religionem amplius non rediret.* Citat Rodriguez *tom. 2. qq. Regul. quæst. 25. art. 2.* & *vers. Sequenti* reddit ratione: quæ est huiusmodi: *Nam ad mala pronus, cum perversis degens, pessimus efficitur, & tantum abest, vt possit sperari emenda de istis, quin potius rationabiliter credi possit, ipsos evassuros peiores; vnde infecta illa ovis, quæ scelerum Magistra erit facta, ad inficiendas alias oves in Religione sanas admitti non debet*: Ergo huiusmodi criminosi non debent condemnari ad triremes, etiam si delictum solicitationis sit gravissimum, quia Tribunal Inquisitionis potius attendit ad emendationem scelerati, quam ad punitionem.

177 Respondetur, 1. ad illud quòd dicitur, quod esset scandalum, si per dictam pœnam publicaretur delictum solicitationis, quod ad secretum Sancti Officij pertinet, quòd taliter Confessarius mittatur ad triremes, quòd delictum ignoretur, etiam si videatur pœna, & ad illud quod dicitur ex sententia Peyrinis, quòd fiunt peiores, respondeo suam doctrinam debere observari à Iudicibus Ecclesiasticis quantum fieri potest, quia si loco huius pœnæ Ecclesiasticus recludatur perpetuò incarcerem cum disciplinis, & alijs salutaribus pœnitentijs melius potest sperari emendatio, quam ex condemnatione ad triremes, & aliunde excusatur maxima indecentia denigrativa status; sed non est dubitandum, quòd DD. Inquisitores possunt imponere hanc pœnam ex facultate expressè concessa à Gregorio XV. vt clarè constat ex verbis Bullæ, & in aliquo casu singulari convenit, quòd hæc pœna imponatur, vt cæteri timeant, & præcipuè si cum solicitatione ad venerea misceretur aliud enorme crimen, vt homicidium, vel fœminæ ne denunciet, aut mariti vt liberiùs peccent: & addo quòd tenerentur DD. Inqui-

quisitores hoc facere si talia crimina fuerunt perpetrata, & postea sunt notoria in Civitate, vel populo.

178 Ex dictis in hac quæstione, & ex praxi frequentiori Inquisitionis Hispanicæ ponam de verbo ad verbum sententiam, quæ frequentior est in Tribunali pro punitione Confessarij solicitantis, quæ solùm mutatur penes magis, & minus secundum maiorem, vel minorem gravitatem solicitationis. Causa conclusa, vocantur ab Inquisitoribus mediante aliquo Ministro Sancti Officij Consultor, si est in Tribunali, & Ordinarius, proferunt sententiam, illaque intimatur reo in Tribunali secreto; postea legitur in eodem secreto sententia cum meritis processus, præsentibus Secretarijs, secreti Sancti Officij, & 12. vel 16. Confessarijs ex Sæcularibus & regularibus, plus, minus vè ad arbitrium Inquisitorum; Confessor autem solicitans stat in forma rei, reprehenditur graviter, comminatur, & monetur ab antiquiore Inquisitore; privatur ab audiendis confessionibus in perpetuum, imponitur illi exilium per aliquos annos secundum gravitatem delicti, à loco, in quo crimen fuit commissum, ab Inquisitione, in qua punitur, & à Corte Regia per octo annos, & etiam ab his locis per circuitum octo leucarum, per duos, vel tres annos recluditur in aliquo Monasterio, abiurat de levi, & si Regularis fuerit præcipitur, vt in Choro, & refectorio habeat vltimum locum, & privatur voce activa, & passiva; Postea per aliquem Secretarium secreti Sancti Officij iterum legitur in suo Conventu sententia cum meritis, præsentibus omnibus Religiosis professis, & post lectam sententiam ab omnibus flagelatur.

179 Vt dixi hæ pœnæ secundum maiorem, aut minorem gravitatem solicitationis, aut secundum eius frequentiam debent augeri, aut minui; pro quo semper DD. Inquisitores attendunt ad causas, quæ concurrunt, an minuant, vel aggravent solicitationem, quod deducitur ex aliquibus exemplis, vt ad normam istarum solicitationum, aliæ discurrantur in ordine ad pœnas imponendas. 1. exemplum est,

est, si fœmina soluta, verbis solicitetur absque actu venereo habito in actu Sacramentalis confessionis, non est solicitatio qualificata, sed simplex. 2. si fœmina coniugata solicitetur in actu Sacramentalis confessionis,& actus nō fuerit sequtus, solicitatio habet tantum vnam qualitatem, quæ est in specie adulterij ; at verò si eadē coniugata solcitetur attrectando eius crura, aut verenda, sivè perficiendo actum turpem, tunc erunt duæ qualitates aggravantes, scilicèt turpe factum, quo magis coinquinatur Sacramentum , & simul adulterium, quod principaliter intenditur, idem est dicendum de virgine, & Moniali: quia eadem est ratio.

180 Cum dictis exemplis cognosces, in solicitationibus fœminarum, quando propter qualitates concurrentes debēt agravari, vel minui pœnæ; sed quia Bulla Gregorij XV. loquitur de solicitationibus fœminarum, & virorum, de vtrisque apponam exemplum. Si puer provocetur ad nefandū aliquo facto turpi, sicut est attrectare eius verenda, aut fęmina nupta ad habendum congressum per vas præposterum, in hoc casu sunt tres qualitates aggravantes, scilicèt ex persona, ex facto, & ex fine, & si actus consummatur sunt quatuor,& idem est discurrendum de similibus. Quantum enim plures concurrant circunstantiæ aggravantes, vel mutantes speciem, magis debent augeri pęnæ; si autem deficiant minui; nam hoc modo secundum ius Canonicum, & Civile est procedendum in applicatione pęnarum.

181 Adverto vltimò, quòd pęnæ sunt applicandæ tali modo, vt secundum circunstantias sint congruentiores ad vitium puniendum, & ad emendationem delinquentis , & illa pęna dicitur congruentior, quæ magis opponitur vitio, quia medicina debet esse contraria morbo, id est debet esse talis, quòd delicto in quo deliquit reus adversetur , & reprimat secundum textum *in cap. ex tenore 10. de sentent. excommunic.* Quare frequenter imponitur suspensio ab audiendis confessionibus, quia si hac via Confessarius deliquit, auferendo occasionem reprimatur, & etiam esset sanum , quòd im-

imponerentur ieiunia, & disciplinæ, quia vitia carnis reprimuntur, ideoque canit Ecclesia tempore Quadragesimæ: *Qui corporali ieiunio vitia comprimis*. Etiam observant DD. Inquisitores modū puniendi delicta, quia multoties expedit, quòd fiat cum secreto maximo, & in alijs occasionibus, quod supplicium perveniat ad aures omnium, quia delictum fuit notorium.

QVÆSTIO V.

An Confessarij solicitantes semper solùm abiurent de levi.

§. I.

De suspicione de levi, & de vehementi.

182 CERTVM, & indubitatum est, quòd Confessarij solicitantes in Italia abiurant de vehementi, quia ibi reputantur suspecti in fide de vehementi; in Hispania autem regulariter abiurant de levi, quia solùm habentur, vt suspecti in fide leviter; cum autem quælibet abiuratio iuridica sit maxime denigrativa personæ, vt ista pęna iudicialiter imponatur, oportet quòd plena probatio delicti præcedat secundum conditionem criminis, vt autem hæc quæstio cum claritate decidatur prius debemus scire, quid sit suspicio in fide de levi, de vehementi, & violenta.

183 Doctissimus Peña 2. *part. direct.* distinguit triplicem suspicionem in fide, nempe levem, vehementem, & violentam; dicitur suspicio levis, non quia sit temeraria, quia summa prudentia est directa, sed dicitur levis, quia sumitur ex indicijs externis, ex quibus colligitur, quod rarò, & casu quodam talia exercens sit hæreticus, v.g. in Hispania, qui contrait 2. nuptias vivente 1. vxore est suspectus de levi, quia qui talia exercet in Hispania rarò est hæreticus, ideoque non est torquendus super intentionem. Suspicio vehemens est probabilis coniectura desumpta ex factis,

aut verbis, ex quibus capitur argumentum, quòd talia exercens frequenter, & vt in plurimum est hæreticus, v. g. qui abutitur Sacramento Eucharistiæ ad fabricandum aliquod sortilegium est suspectus de vehementi in fide, quia talia exercens frequenter est hæreticus, ideoque potest torqueri super intentionem, suspicio violenta est præsumptio iuris, & à iure, quia ex dispositione iuris præsumitur hæreticus talia dicens, vel exercens, ita vt contra talem præsumptionem regulariter, & directè probatio non admittatur, quia ex talibus dictis, vel factis efficaciter concluditur error in mente operantis, vt si aliquis faceret ceremonias iudaicas, vel diceret imagines non esse adorandas; sed omnia ista in Tribunali qualificatur absque præsumptione, vt hæretica formaliter attendendo ad dicta, & facta, & talia faciens, vel dicens reputatur vt hæreticus formalis pro foro externo.

184 Licèt omnes Auctores cognoscant has differentias suspicionis in fide est inter illos magna difficultas, per quid constituatur delictum generans suspicionem in fide, quod est idem ac inquirere, quas circunstantias debet habere, crimen, vt prudenter, & absque temeritate iudicetur, operantem malè sentire de aliquo articulo fidei catholicæ. Licèt enim hoc iudicium possit esse falsum, & multoties non sit sicut iudicatur, tamen non est temerarium, sed prudens, & hoc est sufficiens, vt DD. Inquisitores posint de illo iudicare; nam vt constat ex Bullis Pontificijs non solum possunt cognoscere de delictis, quæ clarè sunt opposita fidei, sed de omnibus delictis, quæ generant suspicionem in fide.

145 Alphonsus à Castro de iusta hæreticorum punitione distinguit tria genera delictorum *cap.* 1. alia, ad quæ omnes summus proni, vt sunt carnis voluptates, cupiditas diuitiarum, appetitus honoris, & dignitatum ambitio, ista enim delicta secundum se non generant suspicionem in fide, quia præsumitur quòd talia faciens non intelligit licitè operari; dixi secundum se, quia si adiungitur aliqua circunstantia gra-

gravissima, bene potest generare suspicionem in fide, vt si quis vivente prima vxore aliam ducat; alia sunt peccata, quę refugit natura, & nunquam ad illa movetur nisi impelatur, vel ab errore intellectus, vel à passione vehementi, vt est occisio sui, aut abscissio membri præcipui; hæc enim crimina nisi constet, quòd sunt commissa ex vehementi passione, aut ex pusilanimitate generant suspicionem in fide, quia prudenter iudicatur talia facientes existimare id sibi licere, vt hæretici circuncelliones; alia sunt opera, ad quæ voluntas, nec ex se dicit propensionem, nec repugnantiam possitivam, sed intellectus illa ostendit, vt sunt cęremoniæ iudaicæ; scilicet Sabbati observatio, esus Agni paschalis, &c. in his enim cum voluntas non moveatur à delectabilitate obiecti, movetur ab intellectu errante, qui iudicat illa opera esse licita; quare ex his operibus resultat suspicio violenta contra operantem.

186 Emmanuel Valle de Moura *de incant. cap. 3. nu. 6. & seqq. cap. 5. & 6.* dicit illud delictum generare suspicionem in fide, & reddere operantem suspectum, quod est enorme, vel ratione sui obiecti, quia est contra naturam, vel ratione circunstantiarum, in quibus enormitas relucet. Existimo hanc sententiam apertè esse falsam, quia in præsenti non loquimur de suspicione Theologica, sed de iuridica, vt optime Corduba *in quæstionar. quæst. 17. §. 7. vers. Sequitur ex dictis*; Licèt enim quodlibet enorme delictum generet suspicionem Theologicam, non autem iuridicam, nisi enormitas habeat aliquas circunstantias, ex quibus id possit colligi; enormissimum enim delictum est, quod filius occidat Patrem, & etiam proditio Patriæ, & nullus dixit, huiusmodi delicta generare suspicionem in fide: ergo ex enormitate delicti præcisè non colligitur suspicio in fide, quæ iuridica sit.

187 Magister Soto in reelectione de propositione hæretica, & Corduba loco citato dicunt, quòd exercere illa opera, quæ approbantur vt licita ab hæreticis generat suspicio-

nem in fide, sed ego addo vt hæc sententia benè intelligatur, quòd si ista exercentur, ac si essent licita, hoc modo generant suspicionem in fide; non præcisè, quia exercentur, quia aliàs fornicator esset suspectus in fide; sed quia taliter exercentur, ac si essent licita, v. g. quis committit simplicem fornicationem, & immediatè post sine prævia confessione, cum possit, accedit ad Eucharistiam, vel celebrat Sacrum; iste est suspectus de hæresi, non quia fornicator, sed quia opus exercuit, quod permittit hæresis; nam ex eo quòd post fornicationem non confitetur, cum possit, & accedit ad Sacram Eucharistiam capitur præsumptio de mala credulitate, quia opus exercet, ac si non esset peccatum simplex fornicatio.

188 Dixi ista facta tali modo exercita generare suspicionem in fide, quia potest concurrere aliqua circunstantia, qua purgetur talis suspicio, constat ex *cap. de homine de celebrat. Missar.* vbi constat, quòd licèt Sacerdos celebrans existens in peccato mortali, meliùs iudicasset non consecrare, sed hostiam non consecratam Populo adorandam ostendere, quam consecrare in mortali, quamvis hoc factum generaret suspicionem in fide; tamen ignorantia excusavit, & à suspicione purgavit, quia talis Sacerdos bona fide existimavit minùs hoc repugnare reverentiæ divinæ, quam consecrare in peccato mortali.

189 Sed in omnibus casibus pertinentibus ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis maximè est observandum, & attēndendum ad diplomata Pontificia; itaque quamvis delictum generet suspicionem in fide, si non est Bulla alicuius Pontificis, vel aliqua dispositio iuris Canonici, aut consuetudo introducta in Tribunali, DD. Inquisitores non iudicant de illo crimine, quia de eo non est suspicio iuridica, sed tantum Theologica. Constat hoc in crimine fractionis sigilli confessionis, quod est gravissimum sacrilegium, & generat suspicionem in fide, quia præsumitur, quòd talia faciens malè sentit de Sacramento Penitentiæ; hoc

non

non obstanti, quia non est Bulla Pontificia, quæ det facultatem Inquisitoribus, vt contra hos Confessarios procedant, suspicio solùm est Theologica; ideòque contra illos criminosos non procedit Tribunal Sancti Officij.

190 Non est dubium in præsenti, an Confessarius solilicitans sit suspectus in fide suspicione iuris, & à iure, quia hoc apertè constat ex diplomatibus Pontificijs, nempè *Pij IV. Pauli V. Clementis VIII. & Gregory XV.* solùm enim est difficultas an sit suspectus tantum de levi, an etiam de vehementi? Sed antequam ad quęstionis resolutionem descendamus oportet radicitus intelligere, quomodo Confessarius solicitans ad venerea, qui regulariter est bonus Catholicus, posit esse aliquo ex dictis modis suspectus in fide?

191 Videtur enim quòd frequenter Confessarius solicitans nullo modo sit suspectus in fide, quia si solicitatio non est ex motivo malæ credulitatis, sed ex vehemẽti passione erga fęminam, cuius pulchritudine vincitur, & præcipuè si est maximè inclinatus ad res venereas, & abusus Sacramenti Pęnitentiæ tantum se habet concomitantèr ad solicitationem, quia si in defensionem Sacramenti Pęnitentiæ occasio se offerret, taliter Confessarius solicitans est radicatus in fide, quòd si esset possibile, millies in favorem tanti Sacramenti moreretur, & præcipuè in Hispania, vbi non permittitur error Sectariorum Luteri, nec vnquam in publico fuit: ergo Confessarius solicitans nullo modo est suspectus in fide.

192 Respõdetur, quòd ista ad sumũ probant, quòd huiusmodi Confessarius in foro interno non deliquit contra fidem, & ideò tãtùm pręsumitur del quisse, quę præsumptio non est temeraria, quamvis possit esse falsa; at verò in foro externo cum abutatur Sacramento Pęnitentiæ prudenter iudicatur suspectus in fide à Summis Pontificibus, quorum declarationibus standum est, quia quantumcumque Confessarius sit radicatus in fide, facto fidẽ Catholicam impugnat,

nat, ideoque adhuc in Hispania, vbi non est error circa hoc Sacramentum non potest totaliter purgari à suspicione, cum factum sit contrarium fidei.

§. II.
Resolvitur quæstio.

193 RESolutio huius quæstionis dependet ex resolutione alterius, scilicèt an Confessarij solicitantes sint suspecti de levi, aut de vehementi; quia si sunt suspecti de vehementi, debent abiurare de vehementi; si autem de levi debent abiurare de levi. Variè enim discurrunt Auctores circa præsentem quæstionem. Carena *part.* 2. *de Confess. solicit. tit.* 6. defensat: Confessarios solicitantes esse suspectos de vehementi; ac perconsequens debere abiurare de vehementi, citat Pegnam *ad direct. part.* 2. *comm.* 81. *vers. Ille quoque* Bariolam *in suis Floribus direct. Inquis. de Confes. solicit. vers. Suspicio, qua vrgentur, & in vers. Debent Confessarij*, Leonem *in Thesauro fori Ecclesiast. part.* 3. *cap.* 37. *num.* 35.

194 Thomas Hurtado *tract.* 4. *de solicitant. cap.* 8. *resol.* 34. *num* 375. loquitur cum distinctione; dicit enim, quòd si solicitatio fit in actu confessionis veræ, Confessarius est suspectus de vehementi, & de vehementi debet abiurare, nisi sit vsus in contrarium; si autem solicitatio fit extra occasionem Confessionis in Confessionario, tunc solùm debet abiurare de levi, quia in hoc casu solùm de levi est suspectus. Alij absque distinctione docent, quòd Confessarius solicitans est tantùm suspectus de levi, ita per Illustris D D. Ioseph Sesse Regius Consiliarius in Supremo Consilio Aragoniæ, huius nostri Cæsar-Augustani Conventus Sanctæ Mariæ de Victoria maximus benefactor, Consultor Supremi Consilij Inquisitionis Hispanicæ suo *tom.* 4. *decis.* 449. *num.* 3. *& decis.* 450. *num.* 9. & *decis.* 454. *num.* 6. Sousa *de Confess. solicit. tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 6. Acuña *tract. de Confess.*

so-

folicit. quæst. 2. num. 29. Castrus à Palao *in Summ. tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct 6. num. 1.* & est communis inter Auctores Hispaniæ, & ex his duabus sententijs orta fuit diversitas inter Inquisitiones Hispaniæ, & Italiæ; sicque adhærẽdo huic sententiæ in Inquisitione Hispanica Confessarij solicitantes abiurant de levi, & in Italia secundum primam sententiam abiurant de vehementi.

195 Mihi valde placet sententia D. Ioann. Escobar, qui *part 1, quæst. 1. num. 12.* defensat, quòd licèt in Hispania regulariter Confessarij solicitantes abiurent de levi, tamen pro suspicione, & abiuratione non potest certa regula statui, quia suspiciones omnes â Iudicum animis oriuntur, cum fundentur in præsumptione, & ex diversis rerum circunstantijs, diversas deducunt præsumptiones secundum textum *in l. ob carmen 21. §. si testes 3. versic. Confirmavit, de testibus, l. minor. 32. de minor.* citat Menochium *lib. 1. præsumpt. quæst. 5. num. 4. & seqq. & quæst. 7.* Farinacium 1. *tom. praxis criminalis, quæst 36. à num 93 maximè 98.*

196 Hanc sententiam sequor, & prima pars illius probatur: suspicio de levi sumitur, & capitur ex illis verbis, & factis, quibus raro in operante reperitur hæresis; sed solicitatio ad venerea in Hispania, vbi non est error circa Sacramentum Pœnitentię est factum, ex quo raro deducitur hęresis, aut error in fide: ergo est delictum quod frequenter tantùm generat suspicionem in fide de levi; ac per consequens regulariter Confessarij debent abiurare de levi. Hoc parificatur in Polygamis, qui in Italia sunt suspecti de vehementi, quia prę sumitur, quòd hoc quod est habere simul duas vxores procedit frequẽter ex aliquo errore intellectus; sed quia frequenter in Hispania, vbi numquam circa hoc delictum fuit error, procedit ex libidine, & non ęx errorę intellectus, Polygami tantùm sunt suspecti de levi: ergo cum eadem ratio militet in Confessarijs solicitantibus, frequenter sunt suspecti in fide tantùm de levi.

197 Secunda pars, scilicèt quòd non potest certa regula

la statui, sed hoc est relinquendum iudicio Inquisitorum; etiam est mihi certa,& videtur clara, si attendamus ad verba Bullæ Gregorij XV. nam vt constat ex eius tenore pro qualitate solicitationis assignat pœnas applicandas ad arbitrium DD. Inquisitorum, & inter alias ponit pœnas non solùm suspensionis,& privationis beneficiorum, sed etiam degradationis, tradditionis brachio sęculari; sed istæ pœnę correspondent in Sancto Officio criminibus, quæ ad minus generant suspicionem in fide de vehementi, & etiam si crimen sit atrocissimum, degradatio, & tradditio brachio sęculari, solùm exercetur cum hæreticis relapsis, vel impęnitentibus, aut negativis: ergo aliquando solicitatio habet tales circunstantias, quòd redit solicitantem plusquam suspectum de levi: ergo non potest statui regula generalis, sed hoc debet reduci ad iudicium DD. Inquisitorum.

198. Vt autem hæc doctrina applicetur ad casus particulares ponam duos, in quibus meo videri Confessarius fuit suspectus vehementer in fide. Primus fuit alijs temporibus in praxi per aliquem Confessarium sacrilegum, qui eodem tempore, quo filia spiritualis confitebatur sua peccata, titulo reliquiæ dicebat,& executioni fuit mandatum, quòd illa haberet verenda Cōfessarij suis manibus. Sentio enim, quod in hoc casu Confessarius fuit suspectus de vehementi, quia addit circunstantiam vertentem magnopere in derisum Sacramenti Pœnitentiæ.

199. Secundus casus comprehensus in Bulla Gregorij XV. est, quando Confessarius solicitat fęminam vt peccet, non secum, sed cum alio. In hoc enim casu intelligo, quòd Confessarius est suspectus de vehementi, quia tota ratio, quare in Regnis Hispaniæ Cōfessarius solicitās ad venerea est suspectus tantum de levi est, quia præsumitur, hanc solicitationem frequenter procedere ex libidine; sed casu, quo solicitet ad peccandum cum alio, hæc causa cessat: ergo est suspectus de vehementi, ac perconsequens huiusmodi Confessarius debet abiurare de vehementi.

Alio

200 Alio modo videtur, quòd in Inquisitione Hispanica Confessarius solicitans debet abiurare de vehementi, licèt Pater Salelles maximè versatus in materijs Inquisitionis contra praxim Inquisitionis Hispanicæ dicat, quòd etiã pro secundo lapsu Confessarius solicitans, qui abiuravit de levi, potest abiurare de vehementi; nam postquam *tom.* 3. *pag.* 30. *num* 17. *&* 18. dixit, quòd si relapsus abiuravit de levi, cum eisdem indicijs levibus, etiam pro secundo lapsu debet abiurare de levi; postea *num.* 20. dixit, quòd si habet cõsuetudinem committendi talia crimina debet abiurare de vehementi, eo quòd indicia de se levia transeant ad vehementia, attenta hac circunstantia, quòd reus similia committere consuescat. Sed prçcisè pro secundo lapsu, si semper perseverãt indicia levia, in Hispania Confessarij solicitantes non abiurant de vehemẽti, sed augentur pœnç propter reincidentiam.

201 Casum præsentem pono in illo, qui 3. incidit in idem crimen solicitationis, quod potest contingere; nam licèt Confessarius solicitans maneat perpetuò privatus ab audiendis confessionibus, potest ductus sua inclinatione depravata iterùm solicitare, vel confitendo, vel simulando cõfessionem, & incidere 3. in manus Sancti Officij; in hoc enim casu iudico, quòd huiusmodi Confessarius potest constringi ad abiurandum de vehementi, sed hoc relinquitur suo arbitrio attenta suspicione secundum circunstantias cõcurrentes, & istæ circunstantiç possunt esse, vel frequentia solicitationum, vel alia causa.

202 Ratio huius resolutionis est, quia in hoc differt crimen solicitationis ab alijs delictis generantibus suspicionem in fide, quòd solicitatio etiam in 3. lapsu prçsumitur, quòd procedit ex fragilitate, & pronitate ad lasciviam, quod non evenit in alijs delictis generantibus suspicionem in fide, vt constat in sortilegijs, quç amatoria non sunt; si enim sortilegus abiuravit de levi, & postea relabitur prçsumitur, quòd habet parvum assensum circa res fidei, & fre-

quenxer malam credulitatem; cum non detur alia cauſa, ex qua in 3. lapſu talia delicta procedant: ergo etiam pro 3. lapſu frequenter debet imponi abiuratio de levi, niſi tales circunſtantiæ concurrant, quòd DD. Inquiſitores iudicent talia exercentem habere malam credulitatem.

203 Nec placet pro Inquiſitione Hiſpanica ſententia Thomæ Hurtado loco citato, nempè quòd ſolicitans in cōfeſſione vera, debet abiurare de vehementi; non autem qui ſolicitat in confeſſione ſimulata, aut prætextu, & occaſione confeſſionis, quia licèt ſit maius crimen, ex eo non reſultat maior ſuſpicio, ſed debet graviùs puniri Confeſſarius; nam ſicut ex ſolicitatione facta ſimulando confeſſionem præſumitur, quòd frequenter procedit ex affectu ad libidinem, ita contingit in ſolicitatione ad venerea in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſicque ſolùm debet abiurare de levi; verum enim eſt, quòd graviùs punitur ſolicitans in actu Sacramentalis Confeſſionis, quam qui ſolicitat tantùm ſimulando confeſſionem.

204 Vt autem hæc meliùs practicentur ſemper DD. Inquiſitores debent habere præ oculis, quòd licèt in omnibus caſibus contentis in Bulla, Confeſſarij ſolicitantes ſint ſuſpecti de levi, ſi non concurrant aliæ circunſtantiæ, ſed pro qualitate delicti graviùs, vel mitiùs puniuntur in Sancto Officio. Itaque ſi cętera ſint paria graviùs debet puniri, qui habuit mollitiem in actu Sacramentalis Confeſſionis, quam Confeſſarius, qui tantùm ſolicitavit ad copulam habendam poſtea, & ſic de cęteris, & graviùs punitur, qui deliquit in actu Sacramentalis Confeſſionis, ac ille qui ſolicitavit ſimulando confeſſionem, aut in Confeſſionali, & ita eſt procedēdum in ſimilibus delictis.

205 Dixi ſi cętera ſunt paria, quia Tribunal Sanctæ Inquiſitionis eſt medium inter Pœnitentię Sacramentum, & alia Tribunalia pro foro externo; imitatur Sacramentum Pœnitentiæ in eo, quòd finis principalis eſt lucrare animas, & ſicut cum maiori miſericordia, & benignitate proceditur

in

in Tribunali Pœnitentiæ cum peccatoribus, qui cum verecundia, & signis emendationis confitentur sua peccata, ac cum illis, qui coacti suasionibus, & pœnis interni tepidè illa fatentur, ita proceditur in Sancto Tribunali, & si imponitur pœna est secundariò; in hoc habet similitudinem cum alijs Tribunalibus, sed discriminatur in eo, quòd alia Tribunalia principaliùs attendunt ad publicam vindictam; at Sanctum Officium ad emendationem, & sic cum pœnitentibus, & confessis mitiùs procedit, quam cum negativis, & impenitentibus; ideo videmus multoties aliquos mitiùs tractari in Sancto Officio cum gravioribus delictis, quam alios cum minoribus.

206 Solùm enim ex his causis procedit maior misericordia cum pœnitentibus in Sancto Officio, quia ibi conservatur semper integritas, nec est periculum pervertendi illud rectum Tribunal ad ingressum vitij acceptationis personarum, quia in illo proceditur summa integritate, & occlusa est via ad favores excommunicatione Pontificia; & hoc modo nec Reges, nec Principes, nec Nobiles se interponunt ad loquendũ pro illis, ne incidant in excommunicationem, & aliunde à nullo Tribunali, vel Principe potest impediri liberum modum procedendi, quia etiam contra hos sunt excommunicationes Pontificiæ. Quare in hoc Sanctissimo Tribunali solùm attenditur ad Deum, & ad illius causam.

§. II.

Argumenta contraria, & aliqua dubiola.

207 ARgumentum 1. pro contraria sententia potest ad hanc formam reduci: in omnibus Inquisitionibus debemus stare ad thenorem Bullarum Pontificum; sed secundum Bullam Gregorij XV. & Pij IIII. Confessarij solicitantes sunt suspecti de vehementi: ergo non solùm in Italia, sed etiam in Hispania debent abiurare de vehementi. Probatur minor, hęc sunt verba Bullæ: *Nos in animum*

inducere nequeuntes, quòd qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei Institutis abutantur, aut illis iniuriã faciant, &c. Sed ex his verbis clarè colligitur, Summũ Pastorem præsumere, non benè sentire de fide, qui abutitur Sacramento Pœnitentiæ, quod generat suspicionem de vehementi in fide: ergo Confessarius solicitans ad venerea in Sacramentali confessione est suspectus de vehementi.

208 Respondetur, quòd ex verbis Summi Pontificis solùm infertur, Confessarium solicitantem esse suspectum in fide; non autem quòd sit de levi, aut de vehementi; nam hoc indefinitum relinquit; imò potius ex his verbis mea sententia confirmatur, quia cum Summus Pontifex statuat præsumptionem de mala credulitate ex abusu Sacramenti Pœnitentiæ, & non determinet, an hæc præsumptio sit vehemens, vel levis deducitur hoc esse iudicandum per DD. Inquisitores attenta qualitate, & modo abusus; ideòque dixi, quòd licèt frequenter Confessarius solicitans in confessione sit suspectus de levi, possunt dari casus, in quibus sit suspectus de vehementi.

209 Argumentum 2. sic procedit: sortilegia, quæ fiunt abusu Sacramentorum generant suspicionem in fide de vehementi: ergo etiam solicitatio cum abusu Sacramenti Pœnitentiæ generat suspicionem de vehementi. Probatur consequentia à paritate: ex eo sortilegia cum abusu Sacramentorum generant suspicionem de vehementi, quia sumuntur, vt media, vel ad consequendam libidinem, vel ad divitias habendas, vel alia huiusmodi; sed etiam solicitatio ad venerea in Sacramento Pœnitentiæ sumit Sacramentum, vt medium ad libidinem explendam: ergo huiusmodi solicitatio generat suspicionem in fide de vehementi.

210 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo minorem, solicitatio sumit Sacramentum, vt medium ad explendam libidinem, immediatum nego minorem, mediatum concedo minorem, quia Sacramentum Pœnitentiæ solùm sumitur vt medium ad solicitandum imme-

dia-

di atè, & Confessarius non existimat, quòd Sacramentum habet virtutem ad consequendam fœminam, sed solùm sperat illam consequi suasionibus fisus in fragilitate humana, & suis verbis amatorijs; quare ad explendam libidinem abusus Sacramenti solùm se habet concomitanter, & Sacramentum propriè non est medium ad explendam libidinem, sed ex illo Confessarius sumit occasionem ad solicitandum ad libidinem, & cum aliunde in Hispania non sit error circa Sacramentum Pœnitentiæ, præsumitur quòd frequentèr hæc solicitatio non procedit ex mala credulitate, sed ex fragilitate, & nimia inclinatione ad res venereas.

211 Non sic accidit in sortilegijs hæreticalibus in primo gradu; nam in illis speratur consequtio mali finis ex efficacia, & virtute Sacramenti; ac per consequens præsumitur, quòd talia faciens frequenter habet malam credulitatem, quia si non crederet, quòd illa media habent efficaciam vel ad consequendum amorem lascivum, vel divitias, non abuteretur Sacramentis; ideoque etiam si in sortilegijs amatorijs, vna ex causis sit libido, & præsumatur, quòd sit ad libidinem consequendam, cum applicentur Sacramenta, vt media immediata ad illum finem consequendum, & hoc frequēter procedat ex credulitate efficacię ad hunc pravum finem consequendum, semper generatur contra operantem suspicio de vehementi in fide, & ad hanc purgandam sortilegus abiurat de vehementi.

212 Primum dubiolum, quòd se offert circa dicta est, an Confessarius solicitans, qui abiurat de levi, teneatur abiurare, & deterreri omnem hæresim? Pegna *in direct. 3. part. Comment. 40. versic. in quo tamen cum seqq.* respondet negativè, sed praxis est contraria: itaque hodiè Confessarius abiurans de levi, omnem hæresim deterret; sed si postea incideret in aliquam hæresim, non puniretur vt hæreticus relapsus, quia quando abiuravit de levi, nō abiuravit de formali, quod erat necessum, vt postea, vt relapsus puniretur.

213 Secundum dubiolum huic affine est, quid sit faciēdum,

dum, quando Confessarius solicitans renuit abiurare? Respondetur, quòd possunt DD. Inquisitores illum cogere per excommunicationem ad abiurandum, sed non potest plecti vltimo suplicio, quia hoc tantum habent locum in veris hæreticis, vt constat *ex cap. ad abolendam 9. versic. Præsenti capite excommunicamus* 13. §. *addÿcimus in fin. de hæreticis*; sed in casu, quòd per annum insordescat potest puniri vt hæreticus, quia insordescentia per vnum annum generat suspicionem violentam contra fidem, & sic pœna ordinaria hæreticorum est puniendus, qui per annum insorduerit.

214 Ex his resultat tertium dubiolum; an non solùm qui insordescit per annum in excommunicationem incursam in causis fidei sit puniendus per DD. Inquisitores, vt hæreticus præsumptus, sed etiam qui incurrit excommunicationem in causis Ciuilibus, & per annum insordescit? Castrus à Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 4. punct. 2. num. 5.* cum Farinacio, & Menochio existimat esse suspectum de fide, qui per annum insordescit, non solùm quando incurritur excommunicatio pro aliquo crimine, sed etiam in causa Ciuili; & ratio illius est, quia minus potest retardare ad comparendum causa Ciuilis, quam Criminalis: ergo si insordescit excommunicatus pro causa Ciuili, maius fundamentum datur ad præsumendum malè sentire de potestate Ecclesiæ.

215 Postquam P. Diana 4. *part. tract. 7. resol.* 18. statuit cum Barbosa *in Collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 6. num. 6.* quòd DD. Inquisitores non procedunt contra insordescentes per annum, quando excommunicatio est lata pro causa Ciuili, in eodem loco *vers. Verum notandum* defensat, quòd DD. Inquisitores solùm procedunt contra insordescentes in excommunicationem per annum, quando excommunicatio fuit incursa in causis fidei, & tunc insordescẽs non condemnatur, vt verus hæreticus, sed vt præsumptus; idemque iudicat esse discurrendum de fautoribus, defensoribus, & receptoribus hæreticorum, & de impedientibus quomodolibet exercicium liberum Sanctæ Inquisitionis.

Quar-

216 Quartum dubiolum est: supposito, quòd Confessarius cum magna irrisione Sacramenti Pœnitentiæ solicitaret ad venerea, taliter quòd esset vehementissimè suspectus de hæresi; ideoque deberet abiurare de vehementi, si torqueretur super intentionem, & in tortura responderet catholicè; an postea tantùm esset ei imponenda abiuratio de levi? Respondetur debere abiurare in hoc casu de vehementi; quia licèt per torturam respondendo catholicè liberetur ab abiuratione de formali, quia cum error consistat in mente, si iste non constat per Confessionem rei, neque hæresis formalis externa, cui correspondet abiuratio de formali; at cum suspicio de vehementi fundetur in præsumptione orta ex ipso delicto, cum hoc semper perseveret, etiam præsumptio; ideoque est imponenda abiuratio de vehementi, quamvis in tortura catholicè respondeat.

217 Ex quibus omnibus infero, esse plures causas, etiam si delictum secundum se sit gravissimum, ad augendas, aut minuendas pœnas, & DD. Inquisitores ad has causas attendunt, & est casus practicabilis: nempè si fœmina audax Confessarium solicitet, & si non assentiatur minetur se vociferaturam, aut testificaturam coram Inquisitoribus se ab illo solicitatam fuisse, & tunc habeat rem cum illa, vel consentiat habendam postea, licèt sit solicitans comprehensus, vt dixi in Bulla, cum illo mitissimè est procedendum. In his, & alijs casibus pœnæ sunt in arbitrio maximo DD. Inquisitorum, qui possunt minuere pęnas impositas à iure, vt communiter docent Auctores, taliter quòd Farinacius *tom. 1. crimin. quæst. 17. num. 22.* etiam extendit hoc arbitrium, si concurrant iustæ causæ, ad crimen hæresis.

QVÆS-

pacientes roturam, licèt idem debeat fieri cum his, aut cum senibus devilis naturæ.

220 Suppono 2. in Sancto Officio pro crimine enormi generanti suspicionem de vehementi in fide non solùm torqueri plebeios, sed etiam Nobiles, licèt isti sint mitiùs torquendi, quã illi in criminibus eiusdem speciei. Ita Simãcas *in Cathol. instit. tit* 65.*num*.62. & Pegna *in direct. par*.3. *comment*.110. Dixi cum æquali delicto, quia si Nobilis esset hæreticus formalis, & plebeius solùm suspectus de levi, aut de vehementi, sentio duriùs esse torquendum nobilem, licèt in pęnis publicis diversę pro illo applicētur pœnę, nisi in casu, in quo esset puniendus vt hęreticus relapsus, negativus, aut impęnitens.

221 Suppono 3. quòd etiam si sint personæ privilegiatę viri, qui non pervenerunt ad 14. annos, vt docet Doctissimus Sesse *in decis. Regni Aragonum tom.2. decis*.476.*nu*.20. hoc privilegium non habet locum in crimine lęsæ Maiestatis Divinæ, & humanæ, sed in alijs criminibus pertinentibus ad Sanctum Officium si sint minores ętate 14. annorum non solùm sunt terrendi verbis, sed terrore reali, vt nudando, ligando, & adducendo ad locum tormenti; non tamen imponendo; si autem sint minores 25. annis ingressi 14. ad minùs, possunt torqueri, sed mitiùs quam maiores. Ita Pegna *in direct Inquis. part*. 3. *comment*. 110. § *minores verò* 20. *annis*, Simancas *in Catol. instit. tit*.65.*num*.45 licèt plures Auctores apud Farinacium *quæst*.42. *nu*.102. & 133. defensent, quòd etiam si sint minores ętate 14. annorum possunt torqueri moderatè, quando potest fieri sine periculo.

222 Si autem fuerint fęminæ, si sint pręgnantes, nec possunt torqueri, nec terreri verbis, & post partum non sunt torquendę nisi post 40. dies. Ita Cantera *in qq. criminal. quæst*.10. *de reo num*.1. Tuschus *lit. F. concl*.328 *num*.21. ita vt si infra 40. dies torqueretur, & fateretur delictum confessio esset nulla, Antonius Gomez *tom*.3 *var.cap*.13.*num*.34.

persona esset suggerere, & incitare ad falsum. Ita Miranda *in ordine Iudic. tom. 2. quæst. 26. art. 15. concl. 7.* Simancas *in Cathol. instit. tit. 65. num. 17 & seqq.* ideòque in instruct. Toletana anni 1561. sic statuitur. *Al tiempo, que la sentencia de tormento se pronunciare, el reo sea advertido, particularmente de las cosas sobre que es puesto à question de tormento; pero despues de pronunciada la sentencia, no se le deve particularizar cosa alguna, ni nombrarsele persona de los que parecieren culpados, ò indiciados por su processo, y en especial, porque la experiencia enseña, que los rèos en aquella agonia dizen qualquier cosa, que les apunten, de que se sigue perjuyzio de terceros, y ocasion para que se revoquen sus confessiones, y otros inconvenientes.* Quàre de nullo delicto in particulari, aut persona interrogandi sunt.

225 Cum confessio facta in tormentis non noceat, nisi postea ratificetur, neque si reus confitetur ex comminatione propinqua tormenti, post tormentum, & confessionem, aut factam in tortura, aut in reali cõminatione propinqua, debet reus ratificare suam confessionem, aliàs non posset per illam condemnari; difficultas ergo est inter Auctores, quomodo, & quo tempore debet fieri hæc ratificatio? De modo non est difficultas; nam omnes conveniunt in eo, quòd debet eam ratificare extra locum torturæ, quia si ibi fieret semper perseveraret reus in confessione facta in tortura timore alteriùs tormenti.

226 Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 2. cap. 39. num 42.* existimat hanc ratificationem debere fieri post duos, vel tres dies postquam inflicta fuit tortura; & ratio huius sententiæ potest esse, quia ratificatio, quæ dat valorem confessioni factæ in tortura debet fieri animo pacato absque aliqua perturbatione animi, & dolore; sed ad hoc est necessarium ad minùs transire duos, aut tres dies, quia ex tortura manet dolor, & vehemens perturbatio animi, ad cuius serenitatẽ aliquod spacium considerabile temporis debet transire: ergo ad dictam ratificationem oportet vt saltẽ transeant duo, aut tres

 dies.

nat, ideòque adhùc in Hiſpania, vbi non eſt error circa hoc Sacramentum non poteſt totaliter purgari à ſuſpicione, cum factum ſit contrarium fidei.

§. II.

Reſolvitur quæſtio.

193 RESolutio huius quæſtionis dependet ex reſolutione alterius, ſcilicèt an Confeſſarij ſolicitantes ſint ſuſpecti de levi, aut de vehementi; quia ſi ſunt ſuſpecti de vehementi, debent abiurare de vehementi; ſi autem de levi debent abiurare de levi. Variè enim diſcurrunt Auctores circa præſentem quæſtionem. Carena *part.* 2. *de Confeſſ. ſolicit. tit.*6. defenſat: Confeſſarios ſolicitantes eſſe ſuſpectos de vehementi; ac perconſequens debere abiurare de vehementi, citat Pegnam *ad direct. part.* 2. *comm.* 81. *verſ. Ille quoque* Bariolam *in ſuis Floribus direct. Inquiſ. de Confeſ. ſolicit. verſ. Suſpicio, quæ vrgentur, & in verſ. Debent Confeſſarij*, Leonem *in Theſauro fori Eccleſiaſt. part.* 3. *cap.* 37. *num.* 35.

194 Thomas Hurtado *tract.* 4. *de ſolicitant. cap.* 8. *reſol.* 34. *num* 375. loquitur cum diſtinctione; dicit enim, quòd ſi ſolicitatio ſit in actu confeſſionis veræ, Confeſſarius eſt ſuſpectus de vehementi, & de vehementi debet abiurare, niſi ſit vſus in contrarium; ſi autem ſolicitatio ſit extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, tunc ſolùm debet abiurare de levi, quia in hoc caſu ſolùm de levi eſt ſuſpectus. Alij abſque diſtinctione docent, quòd Confeſſarius ſolicitans eſt tantùm ſuſpectus de levi, ità per Illuſtris D D. Ioſeph Seſſe Regius Conſiliarius in Supremo Conſilio Aragoniæ, huius noſtri Cæſar-Auguſtani Conventus Sanctæ Mariæ de Victoria maximus benefactor, Conſultor Supremi Conſilij Inquiſitionis Hiſpanicæ ſuo *tom.* 4. *deciſ.* 449. *num.* 3. *& deciſ.* 450. *num.* 9. & *deciſ.* 454. *num.* 6. Souſa *de Confeſſ. ſolicit. tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 6. Acuña *tract. de Confeſſ.* ſo-

solicit. quæst. 2. num. 29. Castrus à Palao *in Summ. tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct 6. num. 1.* & est communis inter Auctores Hispaniæ, & ex his duabus sententijs orta fuit diversitas inter Inquisitiones Hispaniæ, & Italiæ; sicque adhærēdo huic sententiæ in Inquisitione Hispanica Confessarij solicitantes abiurant de levi, & in Italia secundum primam sententiam abiurant de vehementi.

195 Mihi valde placet sententia D. Ioann. Escobar, qui *part 1, quæst. 1. num. 12.* defensat, quòd licèt in Hispania regulariter Confessarij solicitantes abiurent de levi, tamen pro suspicione, & abiuratione non potest certa regula statui, quia suspiciones omnes â Iudicum animis oriuntur, cum fundentur in præsumptione, & ex diversis rerum circunstantijs, diversas deducunt præsumptiones secundum textum *in l. ob carmen 21. §. si testes 3. versic. Confirmavit, de testibus, l. minor. 32. de minor.* citat Menochium *lib. 1. præsumpt. quæst. 5. num. 4. & seqq. & quæst. 7.* Farinacium *1. tom. praxis criminalis, quæst 36. à num 93. maximè 98.*

196 Hanc sententiam sequor, & prima pars illius probatur: suspicio de levi sumitur, & capitur ex illis verbis, & factis, quibus raró in operante reperitur hæresis; sed solicitatio ad venerea in Hispania, vbi non est error circa Sacramentum Pœnitentię est factum, ex quo raró deducitur hęresis, aut error in fide: ergo est delictum quod frequenter tantùm generat suspicionem in fide de levi; ac per consequens regulariter Confessarij debent abiurare de levi. Hoc parificatur in Polygamis, qui in Italia sunt suspecti de vehementi, quia pręsumitur, quòd hoc quod est habere simul duas vxores procedit frequēter ex aliquo errore intellectus; sed quia frequenter in Hispania, vbi numquam circa hoc delictum fuit error, procedit ex libidine, & non ex errore intellectus, Polygami tantùm sunt suspecti de levi: ergo cum eadem ratio militet in Confessarijs solicitantibus, frequenter sunt suspecti in fide tantùm de levi.

197 Secunda pars, scilicèt quòd non potest certa regu-

la

200 Alio modo videtur, quòd in Inquisitione Hispanica Confessarius solicitans debet abiurare de vehementi, licèt Pater Salelles maximè versatus in materijs Inquisitionis contra praxim Inquisitionis Hispanicæ dicat, quòd etiã pro secundo lapsu Confessarius solicitans, qui abiuravit de levi, potest abiurare de vehementi; nam postquam *tom.* 3. *pag.* 30. *num* 17. & 18. dixit, quòd si relapsus abiuravit de levi, cum eisdem indicijs levibus, etiam pro secundo lapsu debet abiurare de levi; postea *num.* 20. dixit, quòd si habet cõsuetudinem committendi talia crimina debet abiurare de vehementi, eo quòd indicia de se levia transeant ad vehementia, attenta hac circunstantia, quòd reus similia committere consuescat. Sed præcisè pro secundo lapsu, si semper perseverãt indicia levia, in Hispania Confessarij solicitantes non abiurant de vehemẽti, sed augentur pœnę propter reincidentiam.

201 Casum præsentem pono in illo, qui 3. incidit in idem crimen solicitationis, quod potest contingere; nam licèt Confessarius solicitans maneat perpetuò privatus ab audiendis confessionibus, potest ductus sua inclinatione depravata iterùm solicitare, vel confitendo, vel simulando cõfessionem, & incidere 3. in manus Sancti Officij; in hoc enim casu iudico, quòd huiusmodi Confessarius potest constringi ad abiurandum de vehementi, sed hoc relinquitur suo arbitrio attenta suspicione secundum circunstantias cõcurrentes, & istæ circunstantię possunt esse, vel frequentia solicitationum, vel alia causa.

202 Ratio huius resolutionis est, quia in hoc differt crimen solicitationis ab alijs delictis generantibus suspicionem in fide, quòd solicitatio etiam in 3. lapsu pręsumitur, quòd procedit ex fragilitate, & pronitate ad lasciviam, quod non evenit in alijs delictis generantibus suspicionem in fide, vt constat in sortilegijs, quę amatoria non sunt; si enim sortilegus abiuravit de levi, & postea relabitur pręsumitur, quòd habet parvum assensum circa res fidei, & fre-

queniter malam credulitatem; cum non detur alia causa, ex qua in 3. lapsu talia delicta procedant: ergo etiam pro 3. lapsu frequenter debet imponi abiuratio de levi, nisi tales circunstantiæ concurrant, quòd DD. Inquisitores iudicent talia exercentem habere malam credulitatem.

203 Nec placet pro Inquisitione Hispanica sententia Thomæ Hurtado loco citato, nempè quòd solicitans in cõfessione vera, debet abiurare de vehementi; non autem qui solicitat in confessione simulata, aut prætextu, & occasione confessionis, quia licèt sit maius crimen, ex eo non resultat maior suspicio, sed debet graviùs puniri Confessarius; nam sicut ex solicitatione facta simulando confessionem præsumitur, quòd frequenter procedit ex affectu ad libidinem, ita contingit in solicitatione ad venerea in actu Sacramentalis Confessionis, sicque solùm debet abiurare de levi; verum enim est, quòd graviùs punitur solicitans in actu Sacramentalis Confessionis, quam qui solicitat tantùm simulando confessionem.

204 Vt autem hæc meliùs practicentur semper DD. Inquisitores debent habere præ oculis, quòd licèt in omnibus casibus contentis in Bulla, Confessarij solicitantes sint suspecti de levi, si non concurrant aliæ circunstantiæ, sed pro qualitate delicti graviùs, vel mitiùs puniuntur in Sancto Officio. Itaque si cętera sint paria graviùs debet puniri, qui habuit mollitiem in actu Sacramentalis Confessionis, quam Confessarius, qui tantùm solicitavit ad copulam habendam postea, & sic de cęteris, & graviùs punitur, qui deliquit in actu Sacramentalis Confessionis, ac ille qui solicitavit simulando confessionem, aut in Confessionali, & ita est procedẽdum in similibus delictis.

205 Dixi si cętera sunt paria, quia Tribunal Sanctæ Inquisitionis est medium inter Pœnitentię Sacramentum, & alia Tribunalia pro foro externo; imitatur Sacramentum Pœnitentiæ in eo, quòd finis principalis est lucrare animas, & sicut cum maiori misericordia, & benignitate proceditur

in

in Tribunali Pœnitentiæ cum peccatoribus, qui cum verecundia, & signis emendationis confitentur sua peccata, ac cum illis, qui coacti suasionibus, & pœnis interni tepidè illa fatentur; ita proceditur in Sancto Tribunali, & si imponitur pœna est secundario; in hoc habet similitudinem cum alijs Tribunalibus, sed discriminatur in eo, quòd alia Tribunalia principaliùs attendunt ad publicam vindictam; at Sanctum Officium ad emendationem, & sic cum pœnitentibus, & confessis mitiùs procedit, quam cum negativis, & impenitentibus; ideo videmus multoties aliquos mitiùs tractari in Sancto Officio cum gravioribus delictis, quam alios cum minoribus.

206 Solùm enim ex his causis procedit maior misericordia cum pœnitentibus in Sancto Officio, quia ibi conservatur semper integritas, nec est periculum pervertendi illud rectum Tribunal ad ingressum vitij acceptationis personarum, quia in illo proceditur summa integritate, & occlusa est via ad favores excommunicatione Pontificia; & hoc modo nec Reges, nec Principes, nec Nobiles se interponunt ad loquendū pro illis, ne incidant in excommunicationem, & aliunde à nullo Tribunali, vel Principe potest impediri liberum modum procedendi, quia etiam contra hos sunt excommunicationes Pontificiæ. Quare in hoc Sanctissimo Tribunali solùm attenditur ad Deum, & ad illius causam.

§. II.

Argumenta contraria, & aliqua dubiola.

207 ARgumentum 1. pro contraria sententia potest ad hanc formam reduci: in omnibus Inquisitionibus debemus stare ad thenorem Bullarum Pontificum; sed secundum Bullam Gregorij XV. & Pij IIII. Confessarij solicitantes sunt suspecti de vehementi: ergo non solùm in Italia, sed etiam in Hispania debent abiurare de vehementi. Probatur minor, hæc sunt verba Bullæ: *Nos in animum*

inducere nequeuntes, quòd qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei Institutis abutantur, aut illis iniuriā faciant, &c. Sed ex his verbis clarè colligitur, Summū Pastorem præsumere, non benè sentire de fide, qui abutitur Sacramento Pœnitentiæ, quod generat suspicionem de vehementi in fide: ergo Confessarius solicitans ad venerea in Sacramentali confessione est suspectus de vehementi.

208 Respondetur, quòd ex verbis Summi Pontificis solùm infertur, Confessarium solicitantem esse suspectum in fide; non autem quòd sit de levi, aut de vehementi; nam hoc indefinitum relinquit; imò potius ex his verbis mea sententia confirmatur, quia cum Summus Pontifex statuat præsumptionem de mala credulitate ex abusu Sacramenti Pœnitentiæ, & non determinet, an hæc præsumptio sit vehemens, vel levis deducitur hoc esse iudicandum per DD. Inquisitores attenta qualitate, & modo abusus; ideòque dixi, quòd licèt frequenter Confessarius solicitans in confessione sit suspectus de levi, possunt dari casus, in quibus sit suspectus de vehementi.

209 Argumentum 2. sic procedit: sortilegia, quæ fiunt abusu Sacramentorum generant suspicionem in fide de vehementi: ergo etiam solicitatio cum abusu Sacramenti Pœnitentiæ generat suspicionem de vehementi. Probatur consequentia à paritate: ex eo sortilegia cum abusu Sacramentorum generant suspicionem de vehementi, quia sumuntur, vt media, vel ad consequendam libidinem, vel ad divitias habendas, vel alia huiusmodi; sed etiam solicitatio ad venerea in Sacramento Pœnitentiæ sumit Sacramentum, vt medium ad libidinem explendam: ergo huiusmodi solicitatio generat suspicionem in fide de vehementi.

210 Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguo minorem, solicitatio sumit Sacramentum, vt medium ad explendam libidinem, immediatum nego minorem, mediatum concedo minorem, quia Sacramentum Pœnitentiæ solùm sumitur vt medium ad solicitandum imme-

dia-

di atè, & Confessarius non existimat, quòd Sacramentum habet virtutem ad consequendam fœminam, sed solùm sperat illam consequi suasionibus fisus in fragilitate humana, & suis verbis amatorijs; quare ad explendam libidinem abusus Sacramenti solùm se habet concomitanter, & Sacramentum propriè non est medium ad explendam libidinem, sed ex illo Confessarius sumit occasionem ad solicitandum ad libidinem, & cum aliunde in Hispania non sit error circa Sacramentum Pœnitentiæ, præsumitur quòd frequentèr hæc solicitatio non procedit ex mala credulitate, sed ex fragilitate, & nimia inclinatione ad res venereas.

211 Non sic accidit in sortilegijs hæreticalibus in primo gradu; nam in illis speratur consequtio mali finis ex efficacia, & virtute Sacramenti; ac per consequens præsumitur, quòd talia faciens frequenter habet malam credulitatem, quia si non crederet, quòd illa media habent efficaciam vel ad consequendum amorem lascivum, vel divitias, non abuteretur Sacramentis; ideoque etiam si in sortilegijs amatorijs, vna ex causis sit libido, & præsumatur, quòd sit ad libidinem consequendam, cum applicentur Sacramenta, vt media immediata ad illum finem consequendum, & hoc frequẽter procedat ex credulitate efficaciẹ ad hunc pravum finem consequendum, semper generatur contra operantem suspicio de vehementi in fide, & ad hanc purgandam sortilegus abiurat de vehementi.

212 Primum dubiolum, quòd se offert circa dicta est, an Confessarius solicitans, qui abiurat de levi, teneatur abiurare, & deterreri omnem hæresim? Pegna *in direct. 3. part. Comment. 40. versic. in quo tamen cum seqq.* respondet negativè, sed praxis est contraria: itaque hodiè Confessarius abiurans de levi, omnem hæresim deterret; sed si postea incideret in aliquam hæresim, non puniretur vt hæreticus relapsus, quia quando abiuravit de levi, nõ abiuravit de formali, quod erat necessium, vt postea, vt relapsus puniretur.

213 Secundum dubiolum huic affine est, quid sit faciẽdum,

dum, quando Confessarius solicitans renuit abiurare? Respondetur, quòd possunt DD. Inquisitores illum cogere per excommunicationem ad abiurandum, sed non potest plecti vltimo suplicio, quia hoc tantum habent locum in veris hæreticis, vt constat *ex cap. ad abolendam 9. versic. Præsenti capite excommunicamus 13. §. addÿcimus in fin. de hæreticis*; sed in casu, quòd per annum insordescat potest puniri vt hæreticus, quia insordescentia per vnum annum generat suspicionem violentam contra fidem, & sic pœna ordinaria hæreticorum est puniendus, qui per annum insorduerit.

214 Ex his resultat tertium dubiolum; an non solùm qui insordescit per annum in excommunicationem incursam in causis fidei sit puniendus per DD. Inquisitores, vt hæreticus præsumptus, sed etiam qui incurrit excommunicationem in causis Civilibus, & per annum insordescit? Castrus à Palao *tom. 1. tract. 4. disp. 4. punct. 2. num. 5.* cum Farinacio, & Menochio existimat esse suspectum de fide, qui per annum insordescit, non solùm quando incurritur excommunicatio pro aliquo crimine, sed etiam in causa Civili; & ratio illius est, quia minus potest retardare ad comparendum causa Civilis, quam Criminalis: ergo si insordescit excommunicatus pro causa Civili, maius fundamentum datur ad præsumendum malè sentire de potestate Ecclesiæ.

215 Postquam P. Diana 4. *part. tract. 7. resol.* 18. statuit cum Barbosa *in Collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 6. num. 6.* quòd DD. Inquisitores non procedunt contra insordescentes per annum, quando excommunicatio est lata pro causa Civili, in eodem loco *vers. Verum notandum* defensat, quòd DD. Inquisitores solùm procedunt contra insordescentes in excommunicationem per annum, quando excommunicatio fuit incursa in causis fidei, & tunc insordescẽs non condemnatur, vt verus hæreticus, sed vt præsumptus; idemque iudicat esse discurrendum de fautoribus, defensoribus, & receptoribus hæreticorum, & de impedientibus quomodolibet exercicium liberum Sanctæ Inquisitionis.

Quar-

216 Quartum dubiolum est: supposito, quòd Confessarius cum magna irrissione Sacramenti Pœnitentiæ solicitaret ad venerea, taliter quòd esset vehementissimè suspectus de hæresi; ideoque deberet abiurare de vehementi, si torquеretur super intentionem, & in tortura responderet catholicè; an postea tantùm esset ei imponenda abiuratio de levi? Respondetur debere abiurare in hoc casu de vehementi; quia licèt per torturam respondendo catholicè liberetur ab abiuratione de formali, quia cum error consistat in mente, si iste non constat per Confessionem rei, neque hæresis formalis externa, cui correspondet abiuratio de formali; at cum suspicio de vehementi fundetur in præsumptione orta ex ipso delicto, cum hoc semper perseveret, etiam præsumptio; ideoque est imponenda abiuratio de vehementi, quamvis in tortura catholicè respondeat.

217 Ex quibus omnibus infero, esse plures causas, etiam si delictum secundum se sit gravissimum, ad augendas, aut minuendas pœnas, & DD. Inquisitores ad has causas attendunt, & est casus practicabilis: nempè si fœmina audax Confessarium solicitet, & si non assentiatur minetur se vociferaturam, aut testificaturam coram Inquisitoribus se ab illo solicitatam fuisse, & tunc habeat rem cum illa, vel consentiat habendam postea, licèt sit solicitans comprehensus, vt dixi in Bulla, cum illo mitissimè est procedendum. In his, & alijs casibus pœnæ sunt in arbitrio maximo DD. Inquisitorum, qui possunt minuere pęnas impositas à iure, vt communiter docent Auctores, taliter quòd Farinacius *tom. 1. crimin. quæst. 17. num. 21.* etiam extendit hoc arbitrium, si concurrant iustæ causæ, ad crimen hæresis.

QVÆS-

pacientes roturam, licèt idem debeat fieri cum his, aut cum senibus de vilis naturæ.

220 Suppono 2. in Sancto Officio pro crimine enormi generanti suspicionem de vehementi in fide non solùm torqueri plebeios, sed etiam Nobiles, licèt isti sint mitiùs torquendi, quã illi in criminibus eiusdem speciei. Ita Simãcas *in Cathol. instit. tit 65. num. 62.* & Pegna *in direct. par. 3. comment. 110.* Dixi cum æquali delicto, quia si Nobilis esset hæreticus formalis, & plebeius solùm suspectus de levi, aut de vehementi, sentio duriùs esse torquendum nobilem, licèt in pęnis publicis diversę pro illo applicētur pœnę, nisi in casu, in quo esset puniendus vt hęreticus relapsus, negativus, aut impęnitens.

221 Suppono 3. quòd etiam si sint personæ privilegiatę viri, qui non pervenerunt ad 14. annos, vt docet Doctissimus Sesse *in decis. Regni Aragonum tom. 2. decis. 476. nu. 20.* hoc privilegium non habet locum in crimine lęsæ Maiestatis Divinæ, & humanæ, sed in alijs criminibus pertinentibus ad Sanctum Officium si sint minores ętate 14. annorum non solùm sunt terrendi verbis, sed terrore reali, vt nudando, ligando, & adducendo ad locum tormenti; non tamen imponendo; si autem sint minores 25. annis ingressi 14. ad minùs, possunt torqueri, sed mitiùs quam maiores. Ita Pegna *in direct Inquis. part. 3. comment. 110. § minores verò 20. annis,* Simancas *in Catol. instit. tit. 65. num. 45* licèt plures Auctores apud Farinacium *quæst. 42. nu. 102. & 133.* defensent, quòd etiam si sint minores ętate 14. annorum possunt torqueri moderatè, quando potest fieri sine periculo.

222 Si autem fuerint fęminæ, si sint pręgnantes, nec possunt torqueri, nec terreri verbis, & post partum non sunt torquendę nisi post 40. dies. Ita Cantera *in qq. criminal. quæst. 10. de reo num. 1.* Tuschus *lit. F. concl. 328 num. 21.* ita vt si infra 40. dies torqueretur, & fateretur delictum confessio esset nulla, Antonius Gomez *tom. 3 var. cap. 13. num. 34.*

persona esset suggerere, & incitare ad falsum. Ita Miranda *in ordine Iudic. tom. 2. quæst. 26. art. 15. concl. 7.* Simancas *in Cathol. instit. tit. 65. num. 17 & seqq.* ideòque in instruct. Toletana anni 1561. sic statuitur. *Al tiempo, que la sentencia de tormento se pronunciare, el reo sea advertido, particularmente de las cosas sobre que es puesto à question de tormento; pero despues de pronunciada la sentencia, no se le deve particularizar cosa alguna, ni nombrarsele persona de los que parecieren culpados, ò indiciados por su processo, y en especial, porque la experiencia enseña, que los rèos en aquella agonia dizen qualquier cosa, que les apunten, de que se sigue perjuyzio de terceros, y ocasion para que se revoquen sus confessiones, y otros inconvenientes.* Quàre de nullo delicto in particulari, aut persona interrogandi sunt.

225 Cum confessio facta in tormentis non noceat, nisi postea ratificetur, neque si reus confitetur ex comminatione propinqua tormenti, post tormentum, & confessionem, aut factam in tortura, aut in reali cõminatione propinqua, debet reus ratificare suam confessionem, aliàs non posset per illam condemnari; difficultas ergo est inter Auctores, quomodo, & quo tempore debet fieri hæc ratificatio? De modo non est difficultas; nam omnes conveniunt in eo, quòd debet eam ratificare extra locum torturæ, quia si ibi fieret semper perseveraret reus in confessione facta in tortura timore alteriùs tormenti.

226 Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 2. cap. 39. num 42.* existimat hanc ratificationem debere fieri post duos, vel tres dies postquam inflicta fuit tortura; & ratio huius sententiæ potest esse, quia ratificatio, quæ dat valorem confessioni factæ in tortura debet fieri animo paccato absque aliqua perturbatione animi, & dolore; sed ad hoc est necessarium ad minùs transire duos, aut tres dies, quia ex tortura manet dolor, & vehemens perturbatio animi, ad cuius serenitatẽ aliquod spacium considerabile temporis debet transire: ergo ad dictam ratificationem oportet vt saltẽ transeant duo, aut tres

 dies.

te, & ratificare intendat; licèt enim alij ponant alium modum ratificandi ab hoc nón est recedendum, quia est magis receptus in praxi.

230 Circa præsentem materiam omnes Iudices debent advertere, quod si reus est minor, ratificatio confessionis factæ in tortura facienda est coram curatore, quod inviolabiliter observatur in Tribunali Sanctæ Inquisitionis, & ita tenet Villadiego *in polit. cap* 3. *num.* 330. ideoque Paulus Garsias *in ordine Proces in Sancto Officio, fol.* 40. dicit: *Si el reo fuere menos de* 25. *años se ha de ratificar con assistencia de su Curador, y firmar ambos* Sed etiam si confessio sit ratificata postea potest revocari; sed ad hoc vt revocatio faciat fidem debet reus allegare, & probare causas revocationis, aut erroris habiti in ratificatione.

131 Cantera loco citato advertit, quòd si reus fuerit confessus in tortura, & postea ad Tribunal Iudicis revocaverit, & post revocationem spontè fuit iterum confessus, dicendo, quòd illud, quòd dixit in tortura erat verum, tunc valebit confessio facta in tortura, cum fuerit corroborata cũ confessione spontanea postea facta; hæc affert Cantera, & dicit: *Istum casum habui in praxi, & sic fuit determinatum per Consilium Supremum Inquisitionis*; & ego addo nunc sic esse determinandum.

QVÆSTIO VII.

An Confessarius qui in Tribunali abiuravit sit inhabilis ad Prælaturas, & privatus perpetuo voce activa, & passiva.

§. I.

Aliqua notabilia, & Decretum Sacræ Congregationis præmituntur.

232 SVPPONO 1. nullam esse difficultatem in illis Religionibus, in quibus est Statutum Capituli

inhabilem ad omnia Officia, & Beneficia, & licèt sit contraria sententia non est deducenda ad praxim.

235 Suppono.3. quòd hic non est difficultas de Confessario solicitante, qui abiuravit in Sancto Officio extraiudicialiter, quia spontè comparuit, & DD. Inquisitores ei imposuerunt pœnitentias salutares secretò, quia iam de isto fuit sermo in 1. part. sed in præsenti solùm est difficultas de Confessarijs solicitantibus, qui iuridicè, vel quia fuerũt confessi, aut convicti abiurarunt in Sancto Officio, aut de vehementi, aut de levi, an isti maneant perpetuò inhabiles ad Prælaturas, & privati perpetuò voce activa, & passiva ex iure communi, aut speciali? Vt autem cum fundamento decidatur hæc quæstio præmitto Decretum Sacræ Congregationis Cardinalium habitæ Coram Sanctissimo Pastore Vrbano VIII. die 1. Octobris anno 1626. & illud referam de verbo àd verbum, quod est tenoris sequentis.

236 In generali Congregatione S.R.& Vnivers.Inquis. habita in Palatio Apostol. Montis Quirin. Coram S. D. N. D. Vrbano, Divina Providentia Papa VIII. Illust. DD. S. R. E. Cardinalibus in vniversa Reg. adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à S. Sede Apostolica specialitèr deputatis S. D. N. iustis de causis animum suum moventibus decrevit, & statuit, vt in posterum Regulares omnes cuiuscumque Ordinis, Religionis, Societatis, & Instituti, quibus pro delictis ad S. Inquisitionis Officium spectantibus pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pęnitentijs exceptis) eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus,& Officia inhabiles censeantur; & deinceps (etiam si pœnitentiæ tempus expleverint, vel gratiam receperint) ad illa tamen promoveri nullatenus posint, nisi prius obtenta à S. D. N. vel ab hac Sàcra Congregatione coram Sanctitate sua habenda speciali, & expressa rehabilitationis gratia; aliàs promotiò quælibet nulla sit, & promoventes ipsi privationem suorum Officiorum, ac præterea vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrant, ad quæ restitui nisi ab-

impositionem abiurationis de levi debere delictum, seu indicium plenè, & perfectè esse probatum: ergo abiuratio est pœna, sed ex Decreto Vrbani VIII. nullus punitus in Sancto Officio est eligibilis ad prælaturas: ergo qui propter solicitationem abiuravit de levi iudicialiter inhabilis manet ad gradus, & prælaturas Religionis. Quòd autem non sit tantũ abiuratio pœnitentia salutaris ex eo constat, quia ad pœnitentias salutares imponendas non requiritur plena, & perfecta probatio, vt plures Auctores tenent, quia existimant non esse denigrativas personæ, benè verò abiuratio de levi iudicialis.

240 Sit secunda conclusio: ex vi decreti Vrbani VIII. licèt Regularis, qui abiuravit iudicialiter in Sancto Officio maneat privatus in perpetuum voce passiva, non autem activa. Probatur conclusio: non potest negari, quod istud decretum sit pœnale, quia solùm per illud imponuntur pœnæ, & etiam si aliquomodo sit favorabile, quia timore harum pœnarum rectè Confessarij procedent in administratione Sacramenti Pœnitentiæ non debet extendi ad diversum genus pœnarum; sed privatio vocis passivæ est diversa pœna à privatione vocis activæ, sicque benè componitur, quòd Regularis habeat vocem activam in electione Prælatorum, & sit privatus voce passiva: ergo ex vi decreti Vrbani VIII. Confessarius solicitans, qui in Sancto Officio abiuravit de levi iudicialiter non manet privatus voce activa. Hęc dixi ex vi decreti probabiliter, sed secundum intelligentiam Tribunalis, huiusmodi Confessarij manent perpetuò privati voce activa, & passiva, & est iustissimum.

241 Sit tertia conclusio: Confessarius solicitans, qui non solùm abiuravit iudicialiter in Sancto Officio, sed ei fuerunt impositæ aliæ pœnæ, vt reclusio in Monasterio per aliquod tempus, exilium, & alia huiusmodi non est eligibilis ad Prælaturas. Hæc conclusio deducitur ex antecedentibus. Sed superest difficultas resolvenda, vt hæ conclusiones habeant solidum fundamentum; nempè an decretum

Vrbani VIII. sit receptum, aut promulgatum in Hispania? Vt autem hæc difficultas decidatur adverto, hoc decretum obligare in omnibus Religionibus, in quibus huiusmodi decretum fuit publicatum in Capitulo Generali. In nostra Religione Minimorum nullum est dubium, quia illud habemus insertum in libro Constitutionum generalium, cuius titulus est, digestum Minimorum. Et credo hoc decretum esse promulgatum, & acceptatum in omnibus Religionibus; & si forte in aliqua Religione non sit intimatum, in ea est sequens difficultas.

242 An in illis Religionibus, in quibus non est publicatum Decretum Vrbani VIII. obliget? Responsio dependet ex resolutione alterius difficultatis, scilicèt, an vt decreta Congregationum obligent requiratur intimatio eorum in Provincijs? Pro quo est advertendum, quòd circa leges Pontificias est duplex sententia. Prima enim asserit, & est probabilior in materia de legibus, non obligare leges, etiam Pontificias, si non publicantur in omnibus Provincijs. Secunda sententia tenet, leges Pontificias obligare, si sint publicatæ in Curia Romana, & affixæ ad Valuas Sancti Petri, & in Campo Floræ. Etiam si hæc secunda sententia esset vera, ratio fundamentalis illius non habet locũ in præsenti Decreto; quia decreta, quæ fiunt in congregationibus particularibus Eminentissimorum Cardinalium, sive pro Episcopis, sive Generalis Inquisitionis, cum non publicentur in Campo Floræ, quia non sunt sicut leges vniversales, vt obligent opportet, quòd publicentur in Provincijs, aut si fuerint pro Religiosis in Capitulis Generalibus, aut Provincialibus.

243 His positis est certum, quòd si hoc Decretum non est publicatum in aliqua Religione, si aliquis Religiosus abiuravit de levi in Sancto Tribunali pro crimine solicitationis non est inhabilis ad officia, & gradus Religionis, nisi hac pœna mulctetur in Sancto Officio, quæ solùm solet apponi per aliquos annos; hoc enim clarè constat ex dictis;
nam

nam decreta Sacræ Congregationis solùm obligant si publicentur; sed vt dixi, non publicantur, quando sunt pro Regularibus, nisi intimentur in Capitulis Generalibus, aut in Provincijs: ergo si in aliqua Religione hoc decretum non est publicatum, in illa tenore huius decreti Confessarius solicitans non est inhabilis ad obtinenda officia Religionis.

244 Sit quarta conclusio: si aliquis Religiosus fuit punitus in Sancto Officio, vi huius decreti manet privatus non solùm officijs, & dignitatibus Religionis, sed etiam gradibus Magistri, Doctoris, Præsentati, & Lectoris. Probatur, quia in dicto decreto sic statuitur: *Eo ipso ad omnes Religionis suæ gradus, & officia inhabiles censeantur*; sed gradus Religionis sunt Præsentaturæ, Magisterij, &c. ergo manent privati omnibus his gradibus, qui in Sancto Officio puniti fuerunt. Per illa verba: *Ad officia inhabiles censentur*, non solùm intelligũtur Prælaturæ, sed etiam quodlibet aliud officium honorificũ Religionis; ideòque huiusmodi pœnitentiati, etiam si pœnitentiam expleverint non possunt præfici in Diffinitores, Socios Provinciæ, Magistros Novitiorum, & alia huiusmodi, quia sunt officia honorifica in Religione.

245 Thomas Hurtado *tract* 4. *de Confess. solicit. cap*. 8. *resol*. 60. §. 3. *num*. 804. dicit absolutè, quòd per has dignitates, officia, & gradus intelliguntur illa, quæ iurisdictionem, aut regimen regulare exercent; non autem illa, quæ potiùs sunt onera, quam honores, vt declaravit Sixtus V. esse Magistrũ Ordinis, ad quæ peracta pęnitentia congrum est restitui, si alias fictè non pœnitet, vt constat *ex cap. bene valet*, & *capit vt constueretur* 50. *distinct*. Sed pace tanti Auctoris, debebat advertere, quòd decretum Sixti V. emanavit multo tempore antequam esset decretum Vrbani VIII. sed in isto decreto, etiam peracta pœnitentia, Regularis qui fuit punitus in Sancto Officio iudicialiter non solùm manet privatus officijs, sed etiam gradibus, inter quos præcipuus est Magisterium: ergo etiam peracta pœnitentia non potest restitui,

tur, nisi ex dispensatione Pontificis ad gradum Magistri.

246 Quod enim existimo verum est, quòd peracta pœnitentia dicti pœnitentiati possunt prædicare, legere, docere, & imprimere, & si homo literatus sit pœnitentiatus, taliter quòd eius libri sint valdè vtiles ad alios instruendos; nō invenio rationem, quare superiores illis licentiā non concedant, vt Typis eorum opera mandent, licèt Trimarch *sect. vlt. num 63. & 69.* & Peyrinis *tom. 2. de privil. Constit.* 10. *Vrbani VIII.* § 18. *num.* 5. nimis rigidè loquantur. Sed etiam ad has licencias concedendas valdè est attendendum ad genus delicti; nam si iste Regularis ductus ex vehementi passione incidit in peccatum solicitationis, & aliàs sua doctrina sit vtilis Ecclesię, quia cum ędificatione docet, & scribit, congrum est, vt prosequatur docendo, scribendo, aut prædicando; ideòque in Sancto Officio Hispaniæ, si Confessarius tantum est solicitans non privatur prædicatione Verbi Divini, si in hoc ministerio cum integritate, & ædificatione processit.

§. III.

Aliqua dubiola deciduntur.

247 OMNIA dicta procedunt ex vi decreti Vrbani VIII. independenter enim à decreto aliqua dubiola in hac materia se offerunt. Primum dubiolum est, an Confessarius, qui iudicialiter fuit multatus in Sancto Officio independenter à decreto Vrbani VIII. sit inhabilis ad Prælaturas? Ad hoc dubium respondet Diana 4. *part. tract.* 5. *resol.* 83. negativè, quia existimat, & benè, quòd sicut irregularitas solùm incurritur in casibus à iure expressis, ita infamia iuris, sed etiam si Confessarius solicitans multatus in Sancto Officio sit, in iure non est expressum, quòd contrahat infamiam iuris: ergo non est inhabilis ad Prælaturas independenter à decreto Vrbani VIII. citat pro hac sententia Riccium *decis. Cur. Neap. part.* 1. *decis.*

cis 129. Homobonum *in cons. casuum conscientiæ vol. 1 part. 4. resp.* 158. Glossam *in cap. Infamibus, de regul. iuris.*

248 Et etiam quòd per pœnitentiam in Sancto Officio Confessarius, qui abiuravit, & multatus fuit alijs pœnis, incurrat infamiam iuris, & ideo ineligibilis sit ad Dignitates, & Officia ex iure communi; si v.g. fuit privatus ab audiendis confessionibus ad tempus, & condemnatus ad exilium, & reclusionem in aliquo Monasterio; finita pœnitentia eligibilis est ad Officia Religionis, quia vt dicit Glossa singularis *ad cap. omnis caro, verb. Leges,* finito tempore relegationis tollitur infamia orta ex sententia, *L. ordine ff. ad municipia:* ergo licèt quando adimplet pœnitentiam, cum sit sub pœna, ac per consequens adhuc non sit purgata infamia ineligibilis sit ex iure communi; cum finita pœnitentia tollatur infamia eligibilis est ad Prælaturas.

249 Contra hanc resolutionem hæc instantia potest fieri: Confessarius solicitans est suspectus de hæresi, ideoque abiurat in Sancto Officio: ergo etiam peracta pœnitentia est ineligibilis ad Prælaturas ex iure communi. Probatur consequentia: qui fuit condemnatus in iudicio propter crimen publicũ, etiã post impletã pœnitentiam manet infamis *cap. infamis* 3. *quæst.* 7. sed infamis inhabilis est ad Prælaturas, etiam peracta pœnitentia *Regula infamibus* 87. *regul. in* 6. & pœnitentiatus iuridicè in Sancto Officio infamis est: ergo ex iure communi, & independenter à Decreto Vrbani VIII. non est eligibilis ad Prælaturas.

250 Propter hoc argumentum sententia contraria habet magnam probabilitatem, & intelligo, quòd ad tollendam ambiguitatem in Sacra Congregatione, Coram Sanctissimo fuit determinatum pœnitentiatum in Sancto Officio manere in perpetuum privatum Officijs Religionis, gradibus, & Dignitatibus. Cum autem nostra resolutio sit independenter ab hoc decreto est respondendum; non omnem infamiã reddere reum inhabilem ad Officia, & Dignitates, sed illã, quæ est expressa in iure; ideoque licèt apud homines reputetur

tur vt infamia maxima, quòd aliquis sit punitus in Sancto Officio; cum hæc infamia post pœnitentiam impletam non reperiatur in iure; non dicitur infamia iuris: ideoque Confessarius solicitans post peractam pœnitentiam eligibilis est ex iure communi.

251 Ex his resultat 2. dubiolum, scilicèt an ex iure cõmuni; si Confessarius adimplevit omnes pœnitentias impositas in Sancto Officio, in quo perpetuò fuit privatus ab excipiendis confessionibus, sit eligibilis ad Officia, & Dignitates Religionis? Respondetur negativè, quia vt dixi, solùm infamia contracta ex pœnitentia iuridica Sancti Officij purgatur postquam impletæ sunt omnes pœnitentiæ; sed Confessarius, qui est privatus iuridicè perpetuò ab audiendis confessionibus est in perpetua pœna inflicta à DD. Inquisitoribus: ergo etiam si alias pœnas adimpleat, si perpetuò est privatus à confessionibus audiendis ineligibilis est ad Officia, & Dignitates Religionis.

252 Ex quibus infero, quòd in Hispania independenter à decreto Vrbani VIII. Confessarius punitus in Sancto Officio pro crimine solicitationis nunquam est eligibilis; quia in Tribunali semper privatur perpetuò à confessionibus audiendis, & benè, quia cum finis principalis Sancti Officij sit emendatio Confessarij, & medium ad emendationem sit efficaciter tollere occasionem; hoc modo radicaliter aufertur, quia nunquam erit tempus, in quo possit patrare tan enormia delicta; ideoque hæc pęna nunquam dispensatur in Sancto Officio: ergo cum Confessarius solicitans sit in perpetua infamia iuris non potest eligi ad Officia Religionis.

253 Tertium dubiolum est: an DD. Inquisitores possint cum Regularibus, qui iudicialiter fuerunt condemnati in Sancto Officio dispensare, vt sint habiles ad Officia, & Dignitates, aut gradus Religionis? Et idem interrogo de promoventibus ad Officia? Respondetur ad 1. negativè neque indigemus alia probatione, quam aducere verba Decreti Vrbani VIII. quæ sunt sequentia: *Ad illa tamen promoveri*

nul-

nullatenus possint, nisi prius obtenta à S. D N. vel ab hac Sacra Congregatione coram Sanctitate sua habenda speciali, & expressa reabilitationis gratia. Si enim Romæ sola Sacra. Congregatio Inquisitionis posset reabilitare huiusmodi Regulares; idem posset supremum Consilium Inquisitionis Hispaniæ, quia sicut illa Sacra Congregatio est Suprema Inquisitio pro Italia, ita Supremum Consilium pro Hispania; sed cum ex decreto constet, quòd adhoc est necessaria præsentia Sanctissimi; huiusmodi Confessarius non potest rehabilitari à Supremo Consilio Inquisitionis.

254 Ad 2. etiam respondetur negativè, quia expressè habetur in Decreto Vrbani VIII. sed potest esse difficultas an dicta pęna contra promoventes solùm incurratur post sẽtentiam? Ad quod respondeo, quòd ipso facto incurritur; solùm enim debet constare de corpore delicti; nempè qui fuerint promoventes ad Officia; nam ex hoc, quod hoc constet absque alia declaratione promoventes manent privati suis Officijs, & voce activa, & passiva, taliter quòd solùm possunt restitui ab eodem S. D. N. vel à Sacra Congregatione coram Sanctitate sua habenda.

255 Non desinam 4. & vltimo loco proponere quoddã dubiolum, quod resolvit Thomas Hurtado loco citato §. 3. *num.* 801. quod hoc modo potest proponi: quidam Sacerdos Sæcularis fuit punitus in Sancto Officio, quia solicitavit in confessione; peracta pęnitentia Religionem ingreditur, ex quo fuit orta difficultas, an fuerit habilis ad Dignitates; & Officia Religionis? Thomas Hurtado respondet habilem fuisse. Sed ego contrarium resolvo. 1. quia alio modo casus his temporibus est impracticabilis in Hispania; nam Confessarij solicitantes perpetuò sunt in pęnitentia, cum ab audiẽdis confessionibus in perpetuùm priventur. 2. quia, vt multoties dixi, etiam si Bulla sit pęnalis extenditur ad idem genus personarum, quando est eadem identitas rationis; sed in primis stat Bulla contra Confessarios punitos ob crimen solicitationis: deinde post impletam pęnitentiam dictus Con-

Confessarius Regularis invenitur: ergo est inhabilis ad Officia, & Dignitates Religionis. Idem sentio contra eundē Auctorem si Sacerdos novitius solicitavit, & pro hoc delicto fuit punitus in Sancto Officio, & peracta penitentia profitetur in Religione. Et hæc sufficiant de toto hoc tractatu, & vtinam cedant in laudem, & gloriam Omnipotentis Dei trini, & Vni, & Beatæ Genitricis Mariæ, Dominæ nostræ, eius Sponsi Sanctissimi, Patris nostri Francisci à Paula, & Doctoris Angelici Divi Thomæ Aquinatis, &c.





INDEX

INDEX QVÆSTIONVM, ET PARAGRAPHORVM.

LITTERA P. INDICAT PAGINAM.

PARS PRIMA.

PARS

PARS II.

§ 3.

Quæ-

ELEN-

ELENCHVS RERVM NOTABILIVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Littera P. paginam indicat, & littera N. numerum marginalem.

Con-

Con-

possunt excedere fines delegationis, p.233. n 160.

Delicta difficilis probationis, vt hæresis, solicitatio in confessione, ad sui probationem admittunt in testes denunciantes, p.409. n. 54.

Denunciatio facta à fęmina in Hispania coram Ordinario contra Confessarium solicitantem illam non liberat, vt iterum denunciet coram Inquisitoribus, p 31. n.54.

Denunciatio cōtra Episcopos, Archiepiscopos Legatos, & Ministros Sedis Apostolicæ potest fieri coram Inquisitoribus, vt referāt Summo Pontifici, p.40.n.76.

Denunciationis definitio, & distinctio ab accusatione, p.56.n.108 & 109.

Denunciatio debet fieri intra terminum præfixum ad evitandū peccatum, & censuram, sed non computantur dies feriati, p.59.n. 116.

Denunciatio in criminibus generantibus suspicionem in fide nō est omittenda prætextu correctionis fraternæ, p.68.n.137.

Denunciatio fęminæ debet fieri absque eo quod explicetur consensus, & aliquando convenit vt fiat per Confessarium loco Commissarij, p.125.n.256.& 257.

Denunciandus est Confessarius solicitans etiam si in aliquo casu nō esset suspectus in fide, & dederit sufficiētia signa emendationis, p.69.n.138.& seqq.

Denūciandus est Confessarius, qui facilitat fęminam ad peccatū venereum proponendo eius absolutionem, p.309 n.339.

Denunciandus est Confessarius qui ingreditur ad fęminam ægrotam confitendam, si per minas cō sentit solicitationi, p.433.n.108. & 109.

Denunciandus est Cōfessarius, qui solicitat in parlatorio die, vel horis, in quibus ibi audiuntur cō fessiones, p.347.n.423.& seqq.

Denunciandi solicitantes est præceptum naturale, & positivū, & additur à Tribunali excommunicatio, p.56.n.109.

Denuncians non tenetur probare delictum bene vero accusās, ideoq; ille debet denunciare quāvis non possit probare crimen, p. 58.n.114.

Denunciandus non est Confessarius, qui solicitat fęminam accedētem ad communicandum aliquod secretum, quamvis ea dicat, illud dicere sub confessione dummodo non conducat ad confessionem Sacramentalem, p.311.n. 339.

Dubium de solicitatione, & de alijs rebus pertinētibus ad mores quomodo debet vinci, & cum quibus est consulendum, p.397.n.29. & seqq.

Vide verbo Ædictum.

E

E

Homo

tolat





ress-

 Re-

So-

FINIS.